




# Orationes postremae

<https://hdl.handle.net/1874/420809>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

X. oct.

112




80

Y

melanthe











N 95. c.

82  
ex dono Buchhol

ORATIONES  
POSTREMÆ  
SCRIPTÆ A REVE-  
RENDO VIRO PHILIPPO ME-  
LANTHONÆ, proximis annis  
ante obitum,

HIS ADIUNCTÆ SVNT ALIÆ  
Orationes ab illius obitu recitatæ publicè  
in Academia VVitebergensi.



Cum Gratia & Priuilegio ad  
annos quindecim.

VVITEBERGÆ.  
ANNO M. D. L. X. V.



OF THE

# POSTER

FOR THE

RENEWAL

OF THE

MEMBERSHIP

OF THE

ASSOCIATION

OF THE



THE

ASSOCIATION

OF THE

MEMBERSHIP

AND THE

PIETATE, VIR-  
TVTE, PRVDENTIA,  
ET SAPIENTIA PRÆSTANTISSI-  
mis Viris, amplissimi ordinis  
Reipublicæ Noribergensis,  
Dominis suis co-  
lendis.

**I**NTER BONA VITÆ  
huius sicut ordine primum  
est, eorum, quæ extra nos  
sunt, ita re etiam et dignita-  
te in hoc genere nō postremum esse vi-  
detur patriæ locus commodus, qui nas-  
centes excipit. Hic enim si & cælum  
habet bene affectum, neq, vt Poëtæ  
verbis vtamur, auersos equos ab eo  
Sol iungit, & homines eiusmodi, qui  
sint ingenijs excultis, nō barbari, Tum  
igitur de ijs omnibus, in quibus Virtus  
et præstantia generis humani consistit,  
in sobole spes concipi potest, & per se  
bona, & melior multo atq, certior,  
A 2 quàm

## EPISTOLA

quam de ijs, qui in non similibus locis  
 in hanc vitam eduntur. In primis tamen  
 si ingenia exculpta patria habet, spes  
 hæc confirmatur, nam cæli constitutio  
 repugnantibus voluntatibus parum po-  
 test, voluntas & studium hac in parte  
 contra cælum aliquid & multum pro-  
 ficat, in quo genere Anacharsis ex-  
 emplum esse potest vnum pro multis,  
 qui Patria Scythia sapientiæ laudem  
 consecutus est, Et Bio Boristhenites  
 fuit, Nam Vlysses etiamsi aspero &  
 montoso loco natus, Græcus tamen fuit.

Primum autem beneficium, quod  
 ex patria culta percipitur, occasio est  
 educationis rectæ, qua ad virtutem  
 laudem & decus, compendiosa via, per-  
 ducuntur ij quibus hæc contingit, cum  
 cæteris, qui sine vllis veluti adminicu-  
 lis eo contendunt, labores & difficul-  
 tates, atq; impedimenta in tali itinere  
 suo

DEDICATORIA.

suo multiplicari necesse sit, Itaq; Plato maximum in terris bonum esse pronunciat ὀφθλῶν πρῶτος εἶτα, & eos, qui huius participes fiant facultatē habere comparandi sibi in terris præstantiam divinam, id est, excellentem & mirificam, Ad hæc si accedit religionis veritas, ut educationis non tantum sapientis, sed piæ etiam & religiosæ copia suppetat, immortale fit quod à patria accipitur beneficium, cuius cum expectes fuerint pleriq; ex veteribus sapientibus Græcis & Latinis, grauißimè tamen de officijs disputant, quæ patriæ debeantur, & Plato quidem præ cæteris, ut si iam huius boni consideratio accedat, quod ab institutione Christiana existit, nullæ disputationes in hoc genere hyperbolicæ videri possint aut debeant.

Cum enim pius magistratus custos

A 3 sit



## EPISTOLA

sit vtriusque tabulae legis diuinæ, &  
 ortum honestum nostri, & parentum  
 honestatem, & fortunulas, & educa-  
 tionem nostram vniuersam, patriæ, atq;  
 ita plus huic quam parentibus debe-  
 mus, sicut Plato scribit, cum à parenti-  
 bus horum nihil accipere possemus abs-  
 que patria si esset & administratione  
 huius legitima.

Itaq; qui domi & in patria hoc in-  
 gens bonum educationis piæ & hone-  
 stæ non habent, y, aut pereunt inter  
 profanos & barbaros, aut mirabiliter  
 conseruantur, diuinitus conciliatis oc-  
 casionibus priuatis & peculiaribus,  
 aut educti etiam in aliã terram, quam  
 deinceps patriam habeant, Neq; enim  
 simpliciter, Vbi bene est, ibi patria  
 est, ut Græci versus veteris sententia  
 habet *ἔστιν ἡ πατρίδα*, quem & propterea  
 Lysias

DEDICATORIA.

*Lysias refutat, sed ubi indicata bona nobis conciliantur vel vniuersa vel præcipua, alijs enim sæpè alia ortus, alia ciuitatis & institutionis atq; ita duplex aut triplex etiam patria est. Erga quæ loca qui naturæ affectum deponit, in eo pietatis, humanitatis, gratiæ, atq; honestatis omnis cura et respectus euauisse videtur.*

*Ego vero meo loco causas me habere intelligo maximas, cur Deo gratias agam etiam hoc nomine, quod vestram Rempublicam, Amplissimi Viri, patriam mihi dedit, quæ hæc bona educationis luculentè mihi suppeditauit, cum ciuitas vestra, quod ad ciuilem administrationem attinet, ad vtrumque tempus Reipub., pacis & belli præclarè sit constituta, id quod multis ex veteribus illis, quæ sapientum literis ce-*

A 4 lebran-

## EPISTOLA

lebrantur, defuit, ut in utroque genere parem laudem mererentur, aliqua etiam ex his unum tantum agentes, alterum prorsus neglexerunt.

Repurgatam autem in Religione veritatis doctrinam, prima in Germania accepit, & constantissimè per infinitas difficultates, & in multiplicibus periculis hætenus conseruat & tuetur. Itaque inter præcipuas Germaniæ ciuitates celebratur, tam ab ijs quæ in oculos incurrunt omnium, quam quæ à sapientibus intelliguntur. Fidei autem & sapientiæ laus eximia est, & antiqua, quæ declaratur etiam studio & beneficentia vestra erga ministerium Ecclesiasticum, & scholas. A pietate enim sapientia existit, et scriptum est, τὸς ἐὺς ἐβροίη ἔδωκε σοφίαν. Quæ pietas vestra non tantum officio, sed exemplo

plo

DEDICATORIA.

plo etiam prodest Reipub. Sicut enim  
 in cæteris in vulgus manant exempla  
 regentum, Ita magistratus sui exem-  
 plum hac etiam in parte populus se-  
 quitur, qui quam sit erga Scholas &  
 Ecclesias beneficus, testamenta docent  
 multorum civium, quibus sumtus con-  
 stituuntur tenuioribus, ut in Scholas  
 publicas mittantur, & multò plures  
 idem faciunt ex superstitibus, atque  
 hæc publicè nota sunt, cum de priua-  
 ta in hoc genere benignitate nihil di-  
 cendum hoc loco & tempore videa-  
 tur.

Vbi autem Magistratus pius est,  
 sapiens, magnificus, civium amans,  
 Βονδὸς ἀρετῆς καὶ ἀνταγωνίστης κακίας,  
 secundum veteris Theologi elogium,  
 Et populus in timore Domini παθάρχι-  
 κος, industrius, sui negotij bene gerens,  
 politus, elegans, liberalis, gravis, locu-  
 A 5 ples,

## EPISTOLA

ples, ibi ab vtrisque præsidium est bonis rebus & artibus, & doctrinæ liberali vniuersæ, firmissimum, sicut Dei beneficio, in vestra Repub. Ecclesiæ & Scholæ florent, & multæ vtilis vitæ negotiationes & artes fœliciter exercentur.

Etsi autem doctrina literarum, & sapientiæ studia præcipua sunt, & maximè necessaria, non tamen alijs etiam artibus & opificijs carere hæc vita potest, de quib. Siracides scribit gloriosè ἀντὶ αὐτῶν οὐκ ὀικιὰθήσεται πόλις, Et κτήματα αὐτῶν & σπριῖσι, καὶ ἡδέσσις αὐτῶν ἐν ἐργασίᾳ τέχνης. Atq; celebria etiam sunt ex vestra Vrbe multorum ingenia in omnibus doctrinarum generibus, qui varia laude & dignitate præditi, tam apud suos quam externos, Reipub. in præcipuis vitæ muneribus operam nauant eiusma-

DEDICATORIA.

eiufmodi, vt non tantum noſtro ſeculo ſed ad poſteritatem etiam memoriam ſibi comparare videantur memorabilem. Et peregrinantur, non tantum negotiationum, ſed doctrinæ etiam & liberalis cognitionis cauſa non pauci, & tam in externarum gentium, quam in Germaniæ Scholis multi feliciter diſcunt, Et in hanc noſtram à multis iam annis ex noſtra patria multi aduenientes cum laude apud nos verſati ſunt, & adhuc verſantur.

Hæc omnia cum veriſſima ſint non metuo aſſentationis crimen, quæ vera non dicit, neq; iudicia curo aut ſufficiones illiberalium hominum, cum erga patriam ſtadium pietatis laudem habeat, ciuium tamen præconia pietatis, externorum ponderis plus habent, itaq; in præſentia nihil de hac amplius dicendum

## EPISTOLA

dicendum putavi, Sed me gaudere testor, & Deo gratias ago, quod civis sum laudatæ reipublicæ.

Etiam amplissimo ordini vestro, magistratui patriæ meæ, vt pius civis ex animo gratias ago pro publicis & priuatis beneficijs, quòd vt publicè ad nostros homines, & ut confido ad posteritatem etiam, notum ac testatum fieret, cum hac Epistola mea has Orationes, quæ in Academia nostra habitæ vt antehac alia scripta publica huius, à me collectæ sunt, vestræ Amplitudini mittere, eiq; more inueterato inscribere, atq; dedicare volui, vel etiam ausus fui. Scriptum quidem quale sit & vò de ejs quod vestræ amplitudini propter honorificentissimum iudicium, & opinionem de Academia nostra, non poterit esse ingratum.

Meum

DEDICATORIA.

Meum autem factum hoc ut gratum, acceptumq; vobis esse patiamini, & me fauore, & beneuolentia vestra complecti ut velitis, submissè oro. Idq; polliceor me erga Amplissimum ordinem vestrum debito cultu, Veneratione, obseruantia, studio, & quibuscunq; potero rebus, & officijs esse promeriturum.

Oro etiam propitium Deum Patrem Domini & Saluatoris nostri IESV CHRISTI, ut mentes & consilia vestra deinceps quoque gubernet & dirigat ad laudem, & gloriam sanctissimi nominis sui, & patriæ salutem, sicut hætenus diuinitus has esse gubernatas, & ciuitatem vestram hoc diuino beneficio conseruatam esse, res ostendit.

Perscri-




EPIST. DEDICATORIA.


Perscriptum V. Id: Maij. Anno  
1565. quo tempore, Christo gratia,  
ex periculosissimo morbo conualescere  
cæpi, & quasi ex faucibus mortis diuina  
benignitate sum ereptus.

V. Amplitud:

subiectiſſ: Cuius

Michael Maius No  
ribergens. Academiæ  
Witebergensis mini  
ſter iam ab annis ſep  
tendecim.





ANNO 1555.

1

ORATIO QVA PV-

Blice resignavit svvm

magistratum Scholasticum, Illustris & Generosus

D. Stanislaus Comes à Gorgka Polonus &c.

Rector, Calend. Maij.



PRIMUM AGO GRATIAS

Deo omnipotenti, eterno patri Do-  
mini nostri Iesu Christi, conditori  
caeli & terræ & Angelorum &  
hominum, una cum filio suo Domino  
nostro Iesu Christo & Spiritu sancto suo, quod &  
colligit in his regionibus Ecclesiam, & clementer  
hactenus tribuit huic Academiæ, & vicinis regio-  
nibus doctrinæ lucem, & mediocrem tranquillita-  
tem, quia uerissimum est Psal: dictum: Nisi Domi-  
nus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui cu-  
stodit eam. Deinde & hunc ipsum custodem Ec-  
clesiæ suæ Deum omnipotentem oro, ut deinceps  
quoq; protegat & gubernet has regiones & Ec-  
clesias in eis, & hanc Academiam.

Quia uero optimè constitutum est, ut quolibet  
semestri hoc difficile onus gubernationis in alium  
transferatur (Nam uicissitudo laborem leuat, &  
est Aristocratia) Significo uobis, electum esse Re-  
ctorem Illustrum & Generosum D. Christopho-  
rum, Comitem in Barby &c.

B

Cum

Cum autem seuerissimè præcipiat uox diuina, ut in quolibet cœtu legibus consociato ciues obediant suis magistratibus, Mementote uobis quoq; præceptum esse, ut huic uestro Rectori illustri & Generoso Comiti Christophoro, reuerenter obediatis. Est omnino politicus ordo testimonium sapientiæ, iustitiæ, prouidentie, & præsentie Dei inter homines, quod sæpe cogitandum est, ut reuerentia erga totum ordinem politicum confirmetur. Nec uero quidquam usquam legitur dictum grauius de hac re tota, quàm Pauli concio, quæ ad Romanos scripta est, in qua hæc uerba studiosè consideranda sunt: Neesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Expressè adfirmat contumaciam non tantum ira magistratuum in præsentia puniri, sed etiam tale scelus esse, quod mentes à Deo auellat. Hoc dicto magis munita est authoritas Magistratuum apud mediocres homines, quàm ullis armis aut præsijs. Quare tribuite Magistratui debita officia, ne Deus offensus uos abijciat. Hæc tota doctrina, Dei beneficio, piè in hac Academia illustrata est.

Cognitis autem fontibus decet uos Deo gratias agere pro hac doctrina, & magistratibus maiori reuerentia obedire. Tibi autem nouo Rectori ritè electo suffragijs senatus Academiæ, trado magistratum, & signa magistratus, & oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, cum sit λόγος, per quem doctrina de Deo patefacta est, ut ipse & doctrina

doctrinae studia, & hunc coetum docentium & discipulorum regat, & uere sit Rector & conseruator. Deinde ut te gubernet, & faciat, ut tua gubernatio sit fausta & foelix, Amen. Anno 1555.

RESIGNATIO PV-  
BLICE HABITA MAGISTRATVS  
Scholastici à Generoso & Inelyto Comite  
Christophoro Barbiense, Domino in  
Mullingen &c.

**Q**uod faustum & foelix sit, electus est Rector Academiae clarissimus uir nobilitate ac uirtute praestans Dominus Ioachimus à Beust utriusq; iuris Doctor & Professor. Huius electionem uobis publice renuncio. Multae sunt enim cause, cur talem renunciationem fieri publice deceat. Vos necesse est scire, cui mandetur magistratus, & utile est, me & senatum Academiae palam profiteri, & studium atq; autoritatem ad eum iuuandum, & tuendam disciplinam collaturos esse. Praecipimus autem uobis, ut reuerenter huic Rectori Academiae nostrae deinceps obtemperetis propter mandatum diuinum, quod Paulus Apostolus his uerbis recitat: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter poenas, sed etiam propter conscientiam. Haec uerba infigite intimis sensibus pectorum. Nihil enim dici grauius potest ad sanc-

ciendam disciplinam, & muniendum ordinem politicum, quàm quod Paulus ait, conscientias à Deo auelli & fieri hostes Dei, si sint contumaces Magistratibus: Quid est autem tristius, quàm à Deo auiusum & damnatum esse? Ideo propter Deum flectite animos ad piam obedientiam erga Magistratus. Pro quo officio Deus præmia daturum se promittit in hoc præcepto: Honora patrem & matrem, ut sis longæuius super terram. Deinde mementote scholas esse partem Ecclesiæ Dei præcipuam. Ideò sitis modestiores, ne mali mores dedecorent Ecclesiam Dei, & mœrorem adferant Spiritui Sancto in bonis. Nunc uero tibi nouo rectori hunc Scholasticum cœtum commendo, & hæc Rectoris signa trado. Et cum Filius DEI Dominus noster IESVS CHRISTVS, crucifixus pro nobis, & resuscitatus promiserit, se semper adfuturum esse Ecclesiæ suæ inuocanti ipsum, oro, ut ipse huic parti Ecclesiæ, scilicet cœtui Scholastico intersit, & te, & nos omnes gubernet, imò ut ipse per sese sit Rector nostræ Academiæ perpetuus, sicut uerè est pontifex, & caput Ecclesiæ suæ, & seruet studia doctrinæ, per quam celebratur Deus, & uera inuocatio & officia  
Deo grata docentur,  
Amen.

ANNO 1556.

5

ORATIO HABITA IN  
RENUNCIATIONE GRADVS

Doctoris in Theologia Cunradi Beckeri

Brunsvicensis 5. Nouemb:

**C**Ræcus uersus est, maximè congruens ad de-  
clirum Papam Paulum Quartum, qui in ulti-  
ma senectæ egens & imparatus nuper intulit bel-  
lum potenti Regi & acerrimè nationi Hispanicæ.  
Ἡσυχὴ ἀνασκητισαὶ καὶ πολλὰ κωνιορτόν ἐγείρει.

Eripuit familiæ Columnensi Papa aliquot op-  
pida, eaq; tradidit suis agnatis. Et rursus in Neapo-  
li collocare suos conatur.

Has tantas res moliens tali ætate, quid aliud est,  
quam anus inconcinne saltando magnum pulue-  
rem excitans. Hunc ludum mox abrumpet ipsius  
interitus, & interea plus tumultuum excitauit in  
Italia.

**H**Arum rerum historiam cum his diebus audi-  
rensus, cumq; de calamitatibus generis hu-  
mani, & de earum causis multa cogitarem, non  
potui non deplorare hominum miseriam, qui ad  
mala αὐτόματα, ut nominantur, quorum est ma-  
gna moles, plurima addunt αὐθαίρετα, quæ medi-  
ocri diligentia uitari & poterant & debebant.  
Cui uestrum non hoc sæpe accidit, quod est in uer-  
su Homericō:

ἴτοι καὶ τέχα ἶρος ἄερος ἐπίπασσιν κακῶν  
ἔσει.



Sed uult nos Deus commonefactos nostris & alienis exemplis agnoscere infirmitatem nostram, et ad diligentiam adiungere precationem, ut diuinitus regantur pectora nostra in omnibus negocijs, sicut scriptum est, Scio Domine, non est hominis uia eius, Sed Deus dat sapientiam sapientibus.

Ac ut ad historiam redeam, Pontifices contemptu Dei fiunt cæci, quare furenter ruunt in multa scelera, que pœnas attrahunt. Collocarunt Idola in Ecclesiam, de quibus dictum est. Cum, uidebitis stantem in loco sancto abominationem uastatricem. Qui legit intelligat. Et ueris bonis abiectis quærunt imperia & obscenas uoluptates, Estq; impudentia tanta, ut fecerint decreta, quibus sanxerunt, iure diuino Papam non solum Episcoporum summum esse, sed etiam Regum Dominum, & suo arbitrio posse dare & eripere regna quibus uelit. Horum mendaciorum adeo manifesta est uanitas, ut si quis uelit refutare, uideatur in meridie lychnum accendere. Et tamen ut Dionysius habebat κόλακαç, qui ipsius sputa lungebant, Sic aula Romana habet harum ineptiarum patronos. Aliquoties in Germania accidit, ut hoc prætextu Principibus non malis, Pontifices imperia ademerint, cumq; aduersus Henricum quartum Rodolfus Imperator creatus esset, missa est ei corona, in qua uersus inscriptus fuit, quo ostendere Papa uoluit, Pontificiæ potestatis esse, abrogare & tradere imperia. Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo.

Qualis

Qualis impudentia est dicere Christum Petro dedisse regiam potestatem, seu mundi Monarchiam, cum expresse discernat imperia à Ministerio Euangelij, cum inquit, Reges gentium dominantur, uos autem non sic.

Non uult prætextu Euangelij imperia occupari, Sed uult uocem esse, qua ipse sit efficax in mentibus, & accendat ueri Dei agnitionem, qua sese diuinitas ipsa credentibus communicat, Et hac uoce in magna confusione generis humani colligitur Ecclesia sine armis, in qua filius Dei inchoat æternam iusticiam & uitam, & sinit corpora in hac uita exercere officia œconomica & politica, quæ non sunt illa æterna lux & iusticia, quæ fulget in mentibus.

Sed ita fieri solet, Non solum gentes, sed etiam singuli priuatim, nisi diuinitus regantur, Euangelium inflectunt ad suas naturas, ac de gentibus magis perspicua sunt exempla.

Ægyptij & Syriaci semper prodigiosas superstitiones & inuenerunt & exercuerunt. Ibi igitur nati sunt monachi, alij perpetua silentia & longam in diem sibi imperarunt, quorum alij stando in uno uestigio magnam partem uitæ consumpserunt, literarum & doctrinæ studia neglecta & spreta sunt. Et hi quidem uirtutes distribuerunt in ἡθικὰς, καὶ δαρῦτικὰς & θεουργικὰς. Communes quas nominabant ἡθικὰς, uideri uolebant longe uincere, cui illam corporum carnificinam ad-

debant, qua & preparari se ad tertium gradum  
& ad Enthusiastmos dicebant.

Græcis ingenijs blanditur concinnitas opinio-  
num & artium metis incluse explicationes.

Plus igitur in hoc genere callidarum disputa-  
tionum fuit. Ibi Fotinus, Eunomius & alij trans-  
formarunt doctrinam de filio Dei, & de Spiritu  
sancto in Philosophiam.

In Africa latè uagata sunt contagia Mani-  
cheorum, quia illud hominum genus etsi aliquid  
habet acuminis, tamen concinnitatem non querit,  
sed delectatur nouis & prodigiosis inuentis.

Germanis ingenuitas & libertas gratae sunt.  
Ideo fucosas superstitiones leti abiicimus.

Sed regere Imperio populos Romane memora-  
to,

Haec tibi erunt artes paciꝑ; imponere morem.

Non solum celsitudo animorum est in Italis &  
dominationis cupiditas, sed industria etiam utilis  
in gubernatione.

Quare magna arte inde usq; à Gregorij primi  
tempore constituta est ab eis dominatio. Quae fiti  
sunt & nerui dominationis opes, & regum adiun-  
ctio, quorum alios nouis honoribus sibi obligarunt,  
alios tenuerunt fascinatos barbaricis persuasio-  
nibus de ijs Idolis quæ quisq; magnificiebat.

Multum Pontifices & umbra dignitatis, quam  
adhuc utcunq; urbs Roma retinebat, adiuuit. Et  
Italiae populi cum græcos Imperatores & Exar-  
chos

chos iuste odissent, intuebantur illam ueterem ar-  
cem Romam, & autoritate pontificum peregrinos  
reges placare studebant.

Facilis est autem & perspicua refutatio eius  
mendacij, quod Romano Pontifici Imperia mundi  
tribuit. Et extant ea de re scripta tempore Ludo-  
uici Bauari à multis edita, Fuitq; diligentia tanta  
in Occam, ut quanquam græca lingue ignarus  
fuit, tamen sumpserit à doctis græca testimonia.  
Recitat enim ad uerbum sententiam Chrysostomi  
quæ rectè discernit regiam potestatem, & ministe-  
rium Euangelij, quod ait Ministerium esse docen-  
di doctrinam à Deo traditam, sine armis, nec esse  
potestatem cuiquam dandi aut eripiendi imperia,  
aut condendi leges de politica gubernatione. Sint  
distincti gradus, ut dixit ad Constantium Impera-  
torem in Synodo Leontius Lydorum Episcopus,  
ἑτέρα δ' ἐπέεα τὰ χεῖρα, ἑτέροις ἐπιχερῆς.

Explodenda sunt igitur Bonifacij constitutio  
& similium nugarum commenta, quæ monarchi-  
am politicam Romano Episcopo tribuunt.

Quòd uero id confirmant hoc typo, Quia Pe-  
trus dixerit, Ecce duo gladij hic, id refutat ipse  
Dominus, uetans Petrum præliari, Et tristis intera-  
pretatio est, cum inquit, satis est duos esse gladios,  
id est, geminos esse hostes, scilicet, Tyrannos &  
impios Doctores, Ethnicos & Iudeos.

Sed aliqui minus impudentes fatentur monar-  
chiam Politicam non esse traditam Petro, Sed di-

sputant inter Episcopos oportere primum aliquem esse, ut sit ordo, & ut sciatur quis conuocare alios ad iudicia & ad Synodos debeat. Huc accommodant dicta, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Item pasce oues meas. In his uerbis quia Petrum Dominus alloquitur, aiunt prælatum esse cæteris, Et successorem Petri summum Episcopum esse. Id quoque refutatur dicto Christi, Reges gentium dominantur eorum, Vos autem non sic.

Remoueantur à ministerio Euangelij κακοζῆλαια, quæ transformant hunc docendi laborem, qui similis est in omnibus, in Politicam potentiam aut antecellentiam. Idem Euangelium est omnium rectè docentium, Et omnium uoce efficax est filius Dei λόγος & æterni Patris.

Vnum caput est Ecclesiæ filius Dei perficiens omnia in omnibus. Remoueatur monstruosa figura, quæ addit alterum Caput. Remouet Imperia Christus, & similitudinem imperiorum seu gradus & omnia ambitiosa certamina, cum ait, Vos autem non sic.

Cum autem in natura humana sit hæc labes, ut alta concupiscat, Sicut scriptum est, Initium peccati superbia, omnibus temporibus fuerunt, sunt & erunt horribilia ambitionum certamina in Ecclesiæ. Nec tantum in Imperijs hoc accidit, quod scripsit Poëta.

Patriam tamen obruit olim

Gloria paucorum, laudis tituliq; cupido.

Multò sæpius Ecclesijs nocet ambitio, Nec inter applausus populi mentes ebrise dulcedine false gloriæ mouentur hoc diuino fulmine, Abominatio est Dei, quicquid est sublime coram hominibus, ac præsertim in gubernatione, cum ibi sit occasio, facilius sese efferunt homines. Ideo cito in sede Romana quesita est dominatio, ac præbuit occasionem decretum Synodi, quæ Ecclesiarum inspectio nem in Oriente commendauit Alexandrinæ Ecclesiæ, In Occidente uero Romanæ. Hoc cum esset humano iure constitutum, Romanus Antistes statim post Nicenam Synodum extra has metas egredi ausus, scripsit ad Orientis Episcopos, ut à Romano confirmationem peterent. Extat responsio in Theodoro ubi nomina plurimorum recitantur, inter quos & Basilius est, qui Romanum Pontificem grauer accusant, quod seruitutem Ecclesijs imponere conetur. Ea Epistola illustre testimonium est uetustæ æqualitatis Episcoporum. Postea secutum est certamen inter Romanum & Constantinopolitanum, in quo Gregorius crudelissimo parricide Phocæ fuit æquior, quia Romanum Episcopum prætulit Constantinopolitano. Sed tamen uideri modestus uoluit, Non uult quenquam dici *ὀικουµενικόν*, & grauer accusat ambitionem, inquiens: O tempora, ô mores, uastatur orbis terrarum à Barbaris, delentur urbes & templa,

truci-

trucidantur non solum exercitus nostri, sed etiam  
inermis multitudo in urbibus, Senes, pueri, matro-  
nae, uirgines, occupantur prouinciae à cultoribus  
Idolorum, qui Barbarica Idola collocant in templa  
nostra, trucidatis pijs sacerdotibus. In his tantis ca-  
lamitatibus & doloribus piorum, tamen delician-  
tur Episcopi & uanitatis nomina expetunt, &  
nouos ac prophanos titulos sibi tribuunt.

Gregorius odiosum nomen uitauit, Principa-  
tum tamen non abiicit.

Postea deposita uerecundia Romani Episcopi  
non solum collocarunt se in fastigio Ecclesiae, sed  
etiam addiderunt ad se pertinere monarchiam im-  
periorum, creuerant enim opes & potentia, cum  
nostri Imperatores attribuissent Romanae Ecclesiae  
praedia quaedam. Haec donationes initio mediocres  
fuerunt, & bono consilio factae sunt, ut sumptus  
haberent familiae docentium, discentium, Iudicum,  
Scribarum, & aliorum ministrorum, quibus carere  
gubernatio non potest.

Credo etiam Principes natura magnificos non  
tantum necessitatis sed splendoris quoque rationem  
habuisse, Sed paulatim ipsi Pontifices, non contenti  
praedijs, quae iuste possidebant & ad usus necessa-  
rios data erant, inuaserunt in uicinas possessiones,  
partim fraude, partim manifesta uolentia, Et ac-  
cessit aliud scelus.

Initio praedia non Episcopis, sed Ecclesijs dona-  
ta sunt, ut nunc dantur redditus aut praedia Aca-  
demij.

*mijs, Nec quisquam unus est ararij Dominus.*

Et uetus consuetudo fuit distribuere Ecclesiarum redditus in quatuor partes, prima erat docentium & discipulorum, secunda iudicum & aliorum ministrorum, qui nominabantur *διᾶκονοι*. Tertia pauperum. Quarta edificationum & aliorum quotidianorum sumptuum. Hęc distributio honesta fuit & certos questores habuit, ac scitis in omni gubernatione, quantumuis exigua, tamen multorum hominum opera & multis rebus opus esse.

Talis autem cum initio fuisset questura facultatum Ecclesiasticarum, Tyranni Pontifices araria ad sese transtulerunt. Ea quę discipulis & quę pauperibus attributa fuerant, ipsi interuenterunt, & umbram aliquam iudiciorum potentie causa retinuerunt.

Ita iam reges facti, fruuntur alienis facultatibus, tanquam proprijs, & sicut scriptum est, *heluantur de elemosynis publicis.*

Creuerunt autem cum opibus ut dixi, cum alia uicia, tum uerò maxime iniusta dominandi cupiditas, Nostri Imperatores arte oppressi sunt, cum bella aduersus Henricos Quartum & Quintum accensa sunt, ut alia multa omittam.

Per sese autem bella doctrinas & disciplinam delent, & cum Pontifices ipsi fiunt bellatores, multo magis fit quod uetus Poëta dixit:

*Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.*

Multi



Multi igitur tetri errores non solum de cotta-  
menticia potestate Pontificum, sed multo magis de  
impijs cultibus confirmati sunt.

Hæc ingentia mala nullius eloquentia satis de-  
plorare potest. Quanta libidinum turpitudine est  
in Pontificijs lustris? Quantum mali in Missis,  
in quibus adorant Deum suum Maosim, seu Ma-  
zam.

His magnis sceleribus ualde irritari iram Dei  
non dubitandum est.

Etsi autem nunc de tanta amplitudine rerum  
prolixè dici non potest, tamen hæc commonefactio  
iuniorum causa repetita est, ut & cogitent de er-  
roribus Pontificijs, & de ira Dei, & quærant quo-  
modo sibi rectius consulere possint. Non certan-  
dum est uitijs, contemptu doctrinarum, arrogan-  
tia, uanitate, luxu, cum factione Pontificia, sed stu-  
dio recta discendi, ardenti inuocatione Dei, pia  
morum gubernatione.

Hæc sint præsidia aduersus mala Pontificia.  
Orate inquit Dominus, ne uenientes poenæ uos op-  
primant.

Vt autem recte inuocare Deum possimus, do-  
ctrina de ueris cultibus tenenda est, & conuersio  
ad Deum necessaria est, sicut hanc & seuerissimam  
& dulcissimam concionem Deus sepe repetit.  
Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Ni-  
hil dubium est propter idola & libidines puniri  
genus humanum horribilibus mutationibus impe-  
riorum,

riorum, & olim de Roma in Sibyllinis carminibus dictum est:

ῥώμη μὲν ῥώμη ἔσεται Ἑ δὴ λῶ ἄδελῶ.

Sed nunc quoque ruere eam uidemus, Et scriptum est de ultimo iudicio, Pseudoprophetae & Gog & Magog simul abijci in aeternos cruciatus. Vbi Pontificium regnum Pseudoprophetae, Gog & Magog Turcicum regnum nominari adparet. Sed ante ultimas poenas, utriusque regni potentia saeuiciam in Ecclesiam exercebit.

In his tantis periculis, ut Ecclesiam inter nos filius Dei Dominus noster Iesus Christus seruet peccamus, Et sciamus inuocationem nostram, non fore irritam, si uera animorum conuersio ad Deum fiet, Et ad hanc necessaria est in singulis diligentia cognoscendae uerae doctrinae, Quare fontes doctrinae studiose discite, Sicut scriptum est, Sis assiduus & attentus in lectione, doctrina, & consolatione.

DIXI.

## QUAESTIO PROPO-

SITA AB ADOLESCENTE

Paulo Ebero.

NON utar usitato exordio, in quo excusatio est, cur pueri in coetu seniorum dicamus, Sed mihi peculiari excusatione opus est, cur toties huc redeam. Eius rei causa est multorum morositas, qui grauatim obtemperant. Ego si facilitate pecco

pecco, ueniam mihi date. Sed tamen sic iudico, obediendum esse pijs parentibus & Præceptoribus sine morositate.

Propono autem questionem dignam consideratione: Vtrum Pastori Ecclesiæ rectè sentienti & pio, liceat habere superiorem iurisdictionem in prædio attributo, ut ipse ibi usum fructum habeat.

De hac questione eo disputo, quia nonnulli excusant hoc exemplo Episcopos retinentes dominationem. Sic igitur sentio. Non probo articulum Vuicleuicum in Synodo Basiliensi propositum: Ne sacerdotes habeant certos redditus, sed uiuant ex quotidianis eleemosynis, ut Franciscani, Sed iudico sapienter & piè constitutum esse, ut certi sint redditus Pastorum, & ut sit talis modus, ut nec inopia, nec diuitiæ impediunt ministerium.

Concedit enim nobis omnibus Euangelium habere proprium, ut concedit uti alijs legitimis ordinationibus uitæ œconomicae & politicae, ut scriptum est: Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum maneto.

Si igitur Pastor habeat in suo fundo iurisdictionem superiorem, non impediunt ministerium, potest eam retinere, ut alias fundi commoditates. Nec pugnat cum hac sententia dictum: Reges gentium dominantur, Vos autem non sic. Nam illa concio proprie hoc docet, non constitui imperia Euangelio.

Quòd autem hoc exemplo quidam excusant Episcopos, tenentes Imperia, non rectè accommo-  
dant exemplum. Primum enim etiamsi essent pij,  
illud onus iurisdictionis tantum est, ut impediatur  
ministerium. Deinde hoc considerandum est, Episcopos  
dominari non in suo, sed in alieno, quia  
prædia illa initio Ecclesijs, non Episcopis donata  
sunt, ut inde docentes & discipuli alerentur, & ut  
aliquorum calamitosorum egestati consuleretur.  
Nunc Episcopi donata Ecclesijs, uelut Reges pos-  
sident tanquam sua, & sunt uelut *Harpyæ*, quæ eri-  
piunt uictum alijs, quibus debetur. Non igitur  
transferatur exemplum pij Pastoris, rectè fruuentis  
suo, ad hos Episcopos, qui alieno fruuntur. Sic ubi  
Principes detrusis Episcopis illa prædia & iuris-  
dictionem occupant, cogitent, quibus illa bona ini-  
tuo data sint, & uel aliquid inde reddant Ecclesijs,  
quod pauci faciunt.

Quare illorum benignitas, qui uel parum inde  
transferunt ad Ecclesias, & Scholas, à nonnullis  
laudatur citato ueteri uersu.

ὁ πολλὰ κλέψας, ἢ ὀλίγα δούσ, ἐκφεύξετα.

Si uidelicet Ecclesijs & Scholis aliquid lar-  
gantur. Sed tuum iudicium Re-  
uerende Domine Doctor

Cunrade audi-

am.

## ORATIO BREVIS

QVA GENEROSVS AC NOBILIS  
Baro, Dauid ab Vngnad, &c. Austriacus, electus  
in Academie Rectorem suum excusat pueritiam su-  
mulq; petit se & Vicerectorem ipsius in hac per-  
molesta Scholastica gubernatione adiuuari à  
ceteris Professoribus, x. Maij.

**O**Rnatissimi uiri, Præceptores charissimi: Ita  
præter spem ista uestra mihi petitio oblata  
est, ut rei nouitate turbatus, uix inueniam, quid re-  
spondeam. Virorum grauissimorum, & prudenti-  
simum consilium improbare, aut reprehende-  
re non debeo, quos ut parentes merito ueneror.  
Disimulare tamen non possum, me considerantem  
meæ ætatis imbecillitatem, & rerum omnium im-  
peritiam, mirari quid uos mouerit, ut hoc tempore  
munus Rectoris puero committeretis, Quod qui-  
dem quàm rectè & utiliter fiat, uestrum erit per-  
pendere.

Ego cum adueniens in hanc scholam, eius gu-  
bernatoribus obedientiam promiserim, puto mei  
officij esse, non desugere id, quòd à me tanto studio  
exigitur. Quare etsi me planè ineptū esse ad hanc  
functionem intelligo, & ad eius declinationem  
multa uerè, & iustè prætexere possem: tamen ne  
superbus, aut contumax iudicer: quod faustum sit  
ac foelix, uestræ uoluntati obtemperabo, fretus bo-  
nitate uestra, mihiq; certò persuadens, uos, & can-  
dido

didō de me iudicio hunc Rectoris titulum & officium ad me detulisse, & in hac gubernatione cum me, tum cum, quem mihi socium huius administrationis adiungetis, uestro consilio, presentia, opera & autoritate benigne adiuturos esse.

Deum eternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut per hoc semestre tranquillitatem his regionibus concedat, & hanc scholam, nosq; omnes clementer gubernet, protegat & conseruet. DIXI. Prima Maij. Anno 1557.

## ORATIO DE LAUDE

REMEDIORVM ET MEDICATIONIS,

habita à Doctore Iohanne Hermano

no 17. Iunij.

**E**T si uidemur inepti, quòd sæpe eandem orationem adferimus de laude remediorum, & Medicationis: cum in re manifesta non sit opus toties repetere commonestationem, utilitas enim omnibus in conspectu est, & illæ barbaricæ & Cyclopicæ opiniones satis refutatae sunt, quæ fingunt casu omnia fieri, nec insitas esse dissimiles uires remedijs, & artem commenticiam esse: Tamen grauisissima causa est, cur sæpè de his operibus diuinis & dicitur, & dicendum est, uidelicet, ut grati Deum celebremus, & testimonia presentiae Dei & pro- uidentiae cogitemus, ac simul nos ipsos commone-

faciamus, ad quem finem nos ipsi conditi simus.  
 Socordia est querere, ad quem usum condita sint  
 absinthia, & κίχώρα: nec intueri finem, ad quem  
 multo maiore arte homines conditi sunt. Remediorum  
 copia & distributio ostendit hominum uitam  
 Deo curæ esse. Sed cur uult Deus seruari homines?  
 Tantum ne ideo, ut fruamur ijs uoluptatibus quas  
 maxima pars hominum solas expetit? Imò propter  
 causam hanc unam omnium maximam, sese ut nos  
 bis communicet. Et simul uitam, lucem, sapientiam  
 & iusticiam suam in nos spargat in tota æternitate,  
 quod quidem facit in cogitatione nostra de Creatione  
 & redemptione per Filium.

Sic inquit Stigelius & uir & Poëta  
 optimus.

Præsentemq; refert qualibet herba Deum.

Sed addamus hos uersus:

Nec Deus ostendit se tantum ut corpora curet,  
 Sed cur seruari nos uelit: ille monet.

Scilicet ut sese nobis communicet ipse,  
 Semper & ut uiuant pectora plena Deo.

Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,  
 Mens pia cum discit munera nosse Dei.

Sepè cum intueor luctantia pharmaca cum  
 morbis, cogito de causis cur homines conditi sint,  
 Vnde hæc tanta sit tam præstantis naturæ infirmitas?  
 quare mors in hanc Dei imaginem grassetur.

Cut

Cur ad tempus in hac uita nos cibo, & remedijs seruet, quomodo nos per filium restituat? De his rebus maximis simul nos remediorum consideratio & medicatio commonescit. Cùm igitur de remedijs, & de arte Medica dicimus, sæpè repetimus conditoris mentionem, & dicimus, ad quem usum non solum remedia condita sint; sed etiam hominum natura: ut sæpè nos ipsi Deo in publico cœtu gratias agamus pro omnibus beneficijs: Et uuentuti hortatores simus, ut de Deo, & de eius beneficijs sæpius cogitent, grati eum celebrent, & eius donis rectè utantur. Sit igitur hæc prima & præcipua pars nostræ orationis, quàm uos mecum pijs mentibus recitate.

Tibi omnipotens Deus, uiue, sapiens, uerax, iuste, benefice, caste, & liberrime, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ & hominum, unâ cum filio tuo cœterno Domino nostro Iesu Christo, Et Spiritu tuo sancto effuso in Apostolos, paraclete: gratias agimus, quòd immensa misericordia te patefecisti in creatione, redemptione, & resurrectione generis humani. Et quòd in hac uita colligis æternam Ecclesiam, & ut colligas, hominum uitam seruas, & das innumera beneficia beneficia, Teq; ueris gemitibus oramus, ut deinceps quoq; semper inter nos æternam Ecclesiam colligas, & serues ac regas nos & familias nostras. Post hanc commemorationem de Deo, adiungamus etiam particulam doctrinæ Physicæ.



Amplissima est sapientia in hac doctrina: Sed nunc excerpemus particulam dulcissimam de Sympathia, & Antipathia multarum rerum in natura. Sunt enim propositæ imagines, ut nos commonefaciant debere homines Deo conformes esse, & inimicos hostium Dei. Ac dolendum est cum aliæ Creaturæ seruent ordinem, quo conditæ sunt: horribiliter turbari hunc ordinem ab hominibus.

Perpetua est concordia Magnetis & ferri, uel potius Magnetis ad polum Arcticum, quæ sympathia mirabilior est. Cur nos homines non tuemur concordiam cum Deo? cur non sequimur Deum trahentem nos luce sapientiæ suæ, ut ferrum trahitur à Magnete, multo obscuriore causa? Cur discedimus à Deo, cum Magnes semper ad polum Arcticum se conuertat? Quasdam igitur imagines recitabimus: Ac prima sit, In maximis corporibus miranda consensio est Stellarum & aëris, quam si quis negat esse, manifestè furit. Cum Sol à nostro uertice discedit, aër fit frigidior, quia radij obliqui sunt imbecilliores: Cum ad nos redit, magis calefit aër, quia uis est maior in radijs rectoribus. Cum sunt congressus Planetarum siccorum in siccis signis, ut uidimus anno millesimo quingentesimo quadragesimo, æstus in aëre, et in terra siccitas maior est. Contra cum sunt humidorum congressus in signis humidis, maior est & aëris & terræ humiditas.

Nec dubium est cœlestium corporum, & Elementorum concordiam mirificam esse. Debebat & rationalis animæ cum Deo perpetua concordia esse, cum quidem homo sit imago Dei, & intelligat causas consensionis. Sed dicamus de plantis aliquot. Balsamo ferrum adeo inimicum est, ut, cum ferro secatur, mox arefiat. Unguibus igitur in scalpendo & putando utendum est. Imago est Ecclesiæ, quæ non ferro regenda est, sed uoce doctrinæ. Balsami succo aluntur uiperæ, et magna agmina uiperarum fruticem, uelut obsidione cingunt, delectantur & umbra foliorum. Succus autem Balsami remedium est contra uenena optimum. Sit aluntur Balsamo, id est, uoce doctrinæ cœlestis, autores & defensores malorum dogmatum, & mutatur pabulum in uenena, sed Balsamum rursus remedium est. Olea formidat quercum, adeo ut moriatur cum uicina est. Imperia premunt Ecclesiam, ac præsertim cum aut centauri dogmata condunt, seu inflectunt doctrinam ad suas commoditates: aut dogmatum conditores armant se tribunicia & tyrannica potentia.

Cognatio autem oleæ & uitis mirifica est. Inserta uiti olea gignit & uuas & oliuas. Ita cum fides regit opera, fit dulcis societas Euangelij & Legis. Et Lex fit multo foecundior, dulcescit labor & Deo placet. Sunt & Antipathie multarum rerum mirificæ. Magnes cum allium ei illinitur, non trahit ferrum. Græci allium σκόπος op nominant,

quod aiunt dictum, quasi σπουδὴν ῥόδου, rosa foetida. Cum doctrinae infunduntur foetida sophismata, uim priorem amittit: Ut uera & dulcis consolatio est, dicere illi, qui uerè expauescit agnitione iræ Dei: Iustificati fide, pacem habemus. Hæc dulcissima & uerissima uox fit σπουδὴν ῥόδου, si quis fingat se iustum esse fide, etiam cum furenter perseuerat in sceleribus contra conscientiam. Dissidia natiua sunt multarum rerum: Aquilæ & Cygni, ut regum & oratorum. Luporum & ouium, ut Tyrannorum & Ecclesiæ. Formicas metuit mus, ut sedulos & amantes laborum metuit fur. In festis apes fucis, ut recte docentes, ignauis & gulæ indulgentibus. Scarabeus Aquilam odit: Cum enim aquila sorbeat oua scarabei, uicissim scarabeus aequilæ oua celsis arboribus deiecit. Qua re significatur etiam potentium Tyrannorum iniuste facta ab infimis posse puniri. Sed illustre testimonium est prouidentia Dei, quod ita plantas distribuit, ut uelut in œconomia, magno consilio alijs alias uires attribuerit. Fit panis ex frumentis, farre, tritico, olyra & paucis alijs, quarum rerum talis est natura, ut in sanguinem corporum nostrorum conuerti possint. Et addita est rigatio, que fit potu. Nam solæ res sicca conuerti in sanguinem non possent. Deinde & morborum remedia, que non possunt esse cibi, condita sunt, Et tanta arte distributa, ut prouidens diuersos morbos, alia remedia, alijs morbis opposuerit. Alia bilem, alia

pituitam

pituitam trahunt, aliæ herbæ opitulantur cerebro, aliæ cordi, aliæ pulmone, aliæ pectori, aliæ epati, aliæ spleni, aliæ uentriculo. Hæc artificiosa distributio nequaquam casu facta est, sed testatur hunc mundum arcano consilio conditum esse, & quidem ita, ut adpareat conditorem amantem esse hominum, quia res tam multæ, præcipuè ad humanos usus factæ sunt. Ac huius distributionis doctrina Dei beneficio in arte nostra & quotidianis exemplis artis, conseruatur. Quare & propter sapientiam Dei & propter nostram utilitatem hæc studia magni faciendæ sunt. Cùm autem hæc oratio iam habeatur, cùm arborum fructus maturescere incipiunt, monendos esse adolescentes censui de dysenterijs. Vidimus enim aliquoties immaturos fructus, aut etiam maturos cum accessit intemperantia adferre lethales morbos. Conditi sunt arborum fructus ad grauissimas utilitates. Sed arte & ratione utamur. Cerasa & pruna, ut de alijs non dicam, delectant oculos, suauiter refrigerant, deinde sole nonnihil cocta, cibi sunt ualdè salubres.

Quid usitatius est in febribus, & cùm faciendæ est *ευκοιλία*, quàm uulgaria pruna, quibus utimur, postquam sol crudum succum exhaustit, quæ nominamus *βράβυλα*. Credo enim Athenæo qui *βράβυλα* esse pruna scribit, Et Suidas addit Etymologiam *βράβυλα βράβυλον*, id est, Crudam molem ex uentriculo eijcientia. Vt autem cum rectè utimur

saluberrima sunt, ita cum cruda autdè uorantur, celerrimè succi illi putrescunt, & passim in corpore putrefactiones, efficiunt. Vertitur ergo massa putrefacta in materiam biliosam, & rodentem ac lacerantem intestina, Vnde dysenteria nomen est. Scitis autem multos illa laceratione intestinorum interfici. Et putrefactæ massæ incendia adiuuantur foris aestu, Et intus infuso potu immoderato. Hæc mala diligentius hoc anno cauenda sunt, quia minus benè maturescent fructus, cum aestas frigidior sit, quàm qualem coctio terra nascentium poscit. Longè autem tutius est arcere morbos temperantia, quàm attractos depellere pharmacis, cum uidelicet dupliciter languefacta est natura & morbo præcedente & intemperantia. Multò plus ualet ante morbum mediocris abstinentia, quàm in morbo terra Lemnia, aut pomum Cydonium. Sitis igitur memores huius dicti: Sperne uoluptates, nocet empta dolore uoluptas. Oro autem Dominum nostrum Iesum Christum, custodem & caput Ecclesie, ut omnium nostrum corpora & mentes protegat.

DIXI.

QVÆSTIO EXPLI-  
CATA A DOCTORE HEN-  
rico Paxmanno.

SI quos scirem in hoc esse circumstantium scho-  
lasticorum coetu, uel ignaros publicorum rituum  
huius scholæ, uel peruersa horum temporum  
sapientia ita imbutos, ut nihil delectet eos nisi de-  
risio & reprehensio omnium, quæ sapientissimo  
consilio à maioribus instituta, piè religioseq; huc  
usq; culta sunt & conseruata, ac scurrilib; exag-  
tatio uel cauillatio potius rectè dictorum & fa-  
ctorum, repeterem altius causas consuetudinis  
probatissimæ & uetustissimæ, quæ nobis productis  
in publicum imponit partes de argumento aliquo  
differendi. Sed quia non dubito uos & scire hunc  
morem Academiæ antiquum esse, & uero obedi-  
entiæ ac obseruantię studio maiorum instituta uene-  
rari, nec aspernari ea uel fastidio delicato uel in-  
sulsâ censura, hanc orationem omittendam censeo.  
Quare omissa excusatione accuratiore publici ri-  
tus de me dicam, qui quanquam maluissem tacere  
prorsus in hoc publico confesso, sum enim natura  
timidior & meæ mihi imbecillitatis optimè con-  
scius: tamen quia id unicè studui semper, ut legibus  
scholæ & auctoritati præceptorum reuerenter pa-  
rerem, & ostenderem non delectari me Cynica illa  
sapientia, quæ omnem euertit & contemnit ordi-  
nem in uita, & uirtutem putat esse sapienter à ma-  
ioribus

ioribus conditas leges abijcere aut irridere, uolui  
hanc quoq; consuetudinem seruare. Ac uehemen-  
ter etiam atq; etiam uos oro, ut me consuetudinis  
& officij causa dicentem libenter audiat, ac hu-  
manitate uestra & beneuolentia subleuetis. Argu-  
mentum orationis desumpsi usitato scholæ mor-  
te ex Aphorismo 46. partis quartæ, Aphorismi uer-  
ba sunt: Si rigor incidat febre non intermittente,  
egro iam debili, lethale est. Quid sit discriminis  
queritur inter rigores illos, qui cum febribus præ-  
sertim biliosis & διαλεπδσας simul inuadunt,  
corruptumq; concutiunt egrum grauissime, atque  
inter συμεια σωεδρεύοντα rectè recensentur,  
& reliquos, qui & διαλεπδσας quandoq; cum  
resoluta ac dissipata materia desinunt, quandoq;  
ardores continuos, quos κάυσωνες uocant conse-  
quuntur, quæ rigorum sit causa, quomodo cieantur  
& cuius materie impulsu, motu atque agitatione,  
deniq; à qua causa incitetur materia tanto impetu  
tantaq; uehementia, ut corpus tam uiolenter im-  
pulsu suo seratur ac ruat, an uerò conatu propellat-  
tur nature. Distinctio horum rigorum ex ipsa  
rum est petenda febrium causis ac natura. Biliosæ  
febres aut continuas ac feruidissimis caloribus in-  
festant, ac penè deurrunt corpus, ut κάυσωνες,  
neq; interquiescunt aut cessant. Semel enim incen-  
sæ ardent continenter, donec consumpta, quam  
corripuit incendium, materia deflagrent ac defu-  
ciant.

ciant. Aut κατὰ περιόδους ἄνας, repetitis per  
 interualla paroxysmis atque exacerbationibus as-  
 figunt, extinctoq; incendio ac sopito abeunt atq;  
 euanescent, scilicet ubi materia quæ concepta ex  
 putredine flamma, exarserat, conflagrauit atq; ex-  
 cussa est. καύσωνες aut de uehementia flammæ ni-  
 hil remittunt, qui ἔ κακονδῆς ἔ ὀλέθριοι νο-  
 cantur, aut ceu destimatis circuitibus, ubi aliquan-  
 tulum spacio aliquo de æstu remiserunt, non tamen  
 conquieuerunt, post rursus exasperati uehementi-  
 us insurgunt atque intenduntur, qui ἔ επιανε-  
 σοφοί sunt. Origo harum febrium omnium è pu-  
 tredine est bilis flauæ putrescentis in uasis uel he-  
 patis ipsius uel inde propagatis propinquis aut re-  
 motioribus. Si enim aucta iusto amplius flaua bilis,  
 modumq; ac mensuram naturæ conuenientem ex-  
 cedens, ἔ à suæ speciei norma degenerans, oneret  
 naturam corporis, hæc irritata ἔ onere grauan-  
 tis materiæ, ἔ acredine pungentis ac uellicantis,  
 exerit eas, quibus sese regit ac sustentat, uires, ac  
 primum experiundo coctionem ac separationem  
 ui caloris natiui, à tota redundantis bilis massa  
 τὸ ἰχωρῶδες περιττώμα impurissimum, quod  
 nulla coctione emendari potest, ut corporis usui  
 seruiat, secernit ac secludit, idq; cum fortis calor  
 natiuus uiget eijcit uel in sudores extenuatum ac  
 dissolutum, uel detrusum in aluum, uel ablegatum  
 ad urinæ meatus. Si exitus impediatur obstructio-  
 nibus interclusus, detentum hæret in corpore, ἔ  
 quia



quia caloris natiui regimine destituitur, ab alieno circumuentum atq; occupatum putrescit. Putredinis lesionem natura fortis sentiens (tantisper enim donec ἰχῶρα<sup>s</sup> separat natura, uiget ualetq;) quanto potest conatu atq; impetu incumbit in expulsionem materie putrescentis. Hoc impulsu nature agitata materia, halitus quidam subtiles ex putredine feruidi, concitatisimo motu per uenas delati in omnes corporis partes, musculos illisu ualido percellunt, quatiunt ac uibrant, cum qua concussione etsi illa a calidorum atque acrium fumorum citato impetu excitatur, sensus tamen infri- gidationis extremorum coniungitur perpetuo, quod cor percepto putridorum halituum hinc inde discurrentium nocumento, protinus ab exterioribus omnibus calorem intro ad sese reuocat. Is tandem ubi affluxu accessuq; putridorum halituum adauctus atque incensus exæstuat atque effervescit, cor impatiens flammæ, quantum potest & repulsis halitibus feruidis & effusis spiritibus, quos contactus commixtioq; halituum appulso- rum feruescit, sese tuetur & uindicat, inde æstus totum corpus occupat, qui è corde fluens uocatur febris. Pars materie putrescentis eo motu per hep- ar in intestina depellitur, indeq; si leuior est sur- sum in uentriculum fertur, & acredine mordit- cando uomitus ciet si grauior subsidit in aluum decumbens, & turbata aluo deiectiones commo- uet. Hinc præcordiorum tensio, capitis dolor ac uertigo,

vertigo, nausæ, tormina uentris interdum existunt. Halitus crassiores æstuante iam toto corpore, motu lentiore protrudit natura ad cutem, quam laxatam calore ideoq; hiantibus poris peruiam illi pererrumpentes, ubi occurssu paulò remissius calentis aëris densantur atque coguntur, in sudores distillant. Desinit itaq; feruor excussa talibus naturæ motibus materia quæ cœperat putrescere, & redit tantisper, donec uel omnis sit euacuata atq; exhausta materia putrida, uel natura uincat ac dominetur. Redit autem collectis denuò quos natura separarat ichoribus, & derelictis à calore natiuo ideoq; putrescentibus, cum separatos uel propter obseptos meatus uel quod ob imbecillitatem oneri sit impar, extrudere ad potentiores meatus nequeat. Si uero natura languens & ex caloris natiuo imbecillo præsidio nonnihil deficiens non possit putrescentem è uasis depellere materiam, retinetur ea intra uasa & καύσιον excitat, quos aut continuo aut paululum remittente incendio fouet. De quouis enim humore perpetuò natura donec ualet, quod optimum est ac corpori conuenientissimum, tuctur ac defendit à corruptione, sciunctis ac destitutis primo ichoribus, etiamsi hebetatus calor natiuus cœperit languere. Si ergo putredo retinetur intra uasa, tantisper donec naturæ superest tantum uirium ut coquendo separandoq; asseruare aliquid ac tueri possit, etsi calor febrilis non extinguitur prorsus, sedatur tamen certis interuallis æstus

æstus aliquantulum, & putredo fit mitior unde  
 κάυσωνες ἐπιεικέσθροι existunt. Si profligati  
 prostratouè prorsus aut conculcato calore natura  
 frustra laboret natura, & serpens putredo in illa  
 quoq; inuadat quod ad sui conseruationem ac re-  
 fectionem natura ceu repositura erat, κάυσωνες  
 exoriuntur ὀλέθριοι. De harum febrium rigori-  
 bus præcipuè loquitur Hypocrates in hoc Apho-  
 rismo. Rarius enim rigores cum his in principij  
 inuadere consueuerunt cumq; corripunt ægro  
 constanti uirtute & signis coctionis sese ostenden-  
 tibus, fere sequuturas euacuationes, quas natura  
 uires primum periclitata suas paulo post molietur,  
 præcedunt ac denunciant. Si uerò rigor incidat fe-  
 bre non intermittente, ægro iam debili, lethale est.  
 Aut enim præuius ac prænuncius rigor euacua-  
 tionem adferet, aut sine sequutura euacuatione in-  
 festabit. Si rigorem insequuta euacuatio sponta-  
 nea fuerit, quæ nec æstum febrilis flammæ mitiget,  
 nec leuationem ægro afferat, ab imbecilli natura  
 frustra tentatam esse materiæ exclusionem, &  
 eandem ruere suo impetu sine ductu & gubernac-  
 tione, ac ægri languidas uires dissoluturam esse in-  
 dicat συμπίωματες λόγῳ ὀν κρισεως. Æger  
 etiam rigoris agitationes difficulter sustinebit. Si  
 rigori euacuatio non succedat, frustra anniti na-  
 turam, ut noxia amoliatur atque effundat, & uir-  
 etam succumbere arguit, & rigor ipse concussione  
 uiolenta pene fractas antea ac labantes iam ægri  
 uires

uires prorsus contundit. Atque ut generatim & obiter de rigoribus aliquid addam, Rigor omnis aut νοσώδης est, aut non est νοσώδης. Concutitur enim sepe rigoribus corpus aut frigidiore aëre subito afflatum, præsertim à sudoribus, aut aqua perfusum frigida, cælo immoderatus aestuante, quos ciet impetus caloris natiui, circumfusi aëris uel effuse aquæ frigiditate, repulsi ad interiora uehementius ac collecti introrsum & refluentis cum impetu & copia, obuiosq; in meatibus halitus propellentis atq; eijcientis ad musculos. Sed νοσώδης ῥίγησος κατὰ φύσιν ὄσιν ἀλγεσὴν μετὰ ζυγῶν ἀνωμάλου σεισμῶν καὶ κλόνου πάντως τῶ σώματι. Huius rigoris αἰτίον προκυδῶνον est copia humorum uel calidorum acrium, uel mixtorum, ut in quartanis, uel frigidorū, sed calore fisorum atq; extenuatorum, προκυδῶνον ἀχώρισον uel σωκελικόν uel σωκεχέσ αἰτίον, uehemens motus, uel humorum ipsorum, uel resolutorum inde halituum per musculosas & sensibiles corporis partes, quem motum ciet, uel natura ipsa noxia excutiens, uel μικτὴ κίνησις caloris natiui reciproco motu uehementer intro forasq; delati, quæcunq; causa motus illius initium faciat. Organum motus illius sed inuoluntarium & ἀπροαίρετον sunt musculose & sensibiles corporis partes, quæ illisu humorum uel halituum cōcutiuntur, ut conuulsi nequeant. Ad has & species & causas, quæ de rigoribus dicuntur, cum reduci possint, nota

lui earum commemorationem omittere, & peto, ut qualemcunq; hanc explicationem boni consulas, in qua si quid desiderauerint aliqui, ut desiderari multa posse intelligo, ab ijs praesertim, qui accuratius de his rebus inquirunt, & fontes scrutantur, oro, ut quod deest expleant, quod obscurius indicatum est, declarent, quod breuiter nimis & concise ceu perstringitur explicent fusius. Oro etiam Deum aeternum patrem Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, fontem sapientiae & felicitis ac salutaris medicationis, ut adsit nobis sancto suo Spiritu, & mentes nostras doceat ac regat, & iuuet ac fortunet conatus & industriam nostram, ut medicationes nostrae profint multis in genere humano, & faciat nos uasa misericordiae.

DIXI.

QVAESTIO PROPOSITA  
A LAURENTIO  
Milichio.

**A**Tatem nostram decet praecipue amor & studium uerecundiae, quae hoc quoque complectitur, ut cum adhibemur certo grauique consilio ad publicorum rituum in schola spectacula, excitatis intus animis ad aliquam considerationem, foris uero sensibus ad seriam intentionem, & reliqui corporis gestibus ad decentem ac sedatam modestiam compositis, cognoscamus quae fiant & dicantur.

dicantur, nec uel importuna & obstrepera garulitate turbemus occupatos attentione sensus aliorum, uel audacter sumamus nobis ea, quæ sunt maiorum ac præceptorum.

Hæc cogitans cum & natura & sedula parentum cura atque institutione ducar ad studium cultumq; modestiæ, & abhorream ab indecora ætati nostræ procacitate, difficulter me ad dicendum ex hoc loco & in hoc amplissimo confessu pertrahi fuissem passus, nisi autoritas me præceptorum & officij mei atque obedientiæ ratio eogisset. Et quia requiri à uobis uideo non tantum ut de ijs quæ erudite & sapienter dicuntur & ex uiuis exemplis, quæ ante oculos nostros constituuntur, pulchritudinem uirtutis & optimarum artium decus intelligere discamus atque admirari, sed imitari etiam proposita exempla à teneris consuescimus certis exercitijs ætati nostræ accommodatis: Confido & consilia illa, quæ confirmatiores ætas rectius intelligit, & autoritatem præceptorum, cui reuerenter nos subijcimus, excusatura esse, quæ obijci ætati nostræ poterant.

Propono igitur de more atq; instituto scholæ ueteri questionem, cuius explicatio conducere poterit hoc anni tempore ad cauendas occasiones multarum ægritudinum & acuendam diligentiam in appetitu compescendo & regendis ac exercendis manibus, ne appetitui obsequantur &

indulgeant, scilicet, Cur præcoces & crudi fructus, quos ὀπώρας uocant Græci, auidius ingestæ exulcerent intestina, commotis alui cruentis defluxionibus, quas δυσεντερας nominant, & dolore excitato, cum dissenteria magna ex parte cieatur ab acri & uenenata bile arrodente & ceu abrodente intestinorum pelliculas interiores mordacitatis acredine? Et cur crebrius hoc efficiant fructus immaturi, Ex genere uero cerasorum, cur, quæ uel carne constant copiosa, succulenta ac præpingui, uel rara quidem sed dulci ac sanguineo liquore exuberante, ut cœciliiana, duracina, Actiana, Apronia, magis quàm reliqua quæ colore saturo purpurascencia acorem sapiunt: Ex genere prunorû cerea magis & Asinina, quam Iberica uini sapore æmula, idem pariant, cum & fructus crudi & illa cerasorum ac prunorum genera succo affluent frigido, hæc acredine sua pungendo uellicandoq; teneras intestinorum cuticulas stringere facilius & lacerare possint? Causam hanc esse existimo.

Cerasa & pruna largo & aqueo redundare succo, eoq; in alijs plus, in alijs minus calore solis percocto, sapor arguit, qui aut dulcis est, aut ex aqueo ad dulcedinem obscuram tendit, & quòd decerpta protinus uel putrescunt, uel parte superflui humoris extensa emarcescunt & flaccescendo corrugantur, deniq; quòd leui occasione intra sese uermes procreant, quorum non est origo aliunde

unde, nisi ex putredine humoris excrementitij, quem calor natiuus destituit. Dulcedo argumentum est caloris insiti, maior atq; euidentior uberioris, remissior & hebetior languidioris. Humida itaq; illa esse & uel frigida uel tenuiter calida ob humiditatem exuberantem ac uincenem minime obscurum est. Talia uero putredini concipiende ac fouende sunt maxime idonea, idq; & uermiculi qui prunis innasce consueuerunt, ostendunt.

Quare cum auidius & largius deuorantur, corpus succis crudis replent, quos quando debilis alioquin & circumfusi aeris aestu euocatus ac dispersus calor natiuus uincere nequit, relictis illi a natura & ab alieno calore circumuenti corrumpuntur ac putrescunt, tanto citius, quanto solidius corpus ac compactius obstructionibus facilius corripitur. Calore ergo putrefaciente incenduntur & acuuntur: de putrefactione lentorem acquirunt tenaciorem, cumq; & onere & acredine caloris infestant naturam, eijciuntur tandem ab illa irritata, Sed tardius ob lentorem prorepentes insistent subinde ac herent, caloreq; putrido affligunt hepar, acredinis morsu erodunt intestina. Ad utramq; affectionem & retentrice hepatis debilitata & sauciatis intestinis, consequitur fluxus alui cruentus, qui eo est periculosior, quo & biliosum in corpore excrementum copiosius ante collectum fuerit, & hepatis languor



plus creuerit, & intestina tenero sensu delicata  
erosionem grauius tulerint.

Ceteri fructus immaturi, in quibus succus aqueus cum sicco terreo nondum probe subactus, nec calore solis est maturatus, eodem modo crudorum succorum coaceruatione materiam præbent ac fomentum & putredini & fluxui dysenterico. Quandoq; si ad collectos antea crudos humores hi accedant, febres incendunt. Quandoq; ad cutem sparguntur exclusi per uenas nature impetu & in Ἰσχυρὰ δὴματα erumpunt, uel ad unam aliquam depelluntur partem, quam in tumorem attollunt. Quare magna cura uitandum estum crudorum fructuum existimo, & nobis pueris eo magis, quod corpora nostra etate adhuc mollia & tenera, & ex ἀδδιδραγία crudis impleta humoribus ac defessa offenduntur facilius ac periculosius leduntur. Sed qua ui inquieti succi frigidi & humidi exulcerando tam periculose sauciant intestina, ut & ramenta insignia ac lacinias pelliculis deterant, & caloris febrilis sensum inuehant, & prouocent tantam sanguinis eruptionem? Respondeo. Non sua ui nec primo statim occurso hoc efficiunt, sed putredine corrupti. Nam dum largioris & crudioris succi copia calorem natiuum prius languidum amplius hebetant, tandem ab eo destituti & conclusi undiq; calore exardescunt alieno & putrescunt. Sed atas nostra nec capit nec assequitur explicatio-

nem

*nem accuratiorem. Quare Clarissimum D. Doctorem reuerenter oro, ut eruditius eam & copiosius auditoribus explicet.*

## ORATIO INCLYTI

A C MAGNIFICI D. RECTORIS,

Baronis Dauidis ab Vngnad &c. habita

ante legum scholasticarum prae-

tionem 18. Iulij.

**D**Ecet nos adolescentes nosse & saepe intueri mente adolescentiam Cyri, & exempla primae aetatis nobilissimi Principis, quem Deus optima indole instruxerat, ut ad maximi imperij constitutionem eum prae pararet. Sunt enim descripta quaedam illius exempla, ut nobis ad uirtutem commonefactiones essent. Saepe autem recitari auditis historiam de Cyri iudicio, propter quod adolescens narrat matri, se plagas accepisse. Id nunc repetam, quia & ipse ea narratione ualde delector, & uobis omnibus dulcissimam esse existimo.

Erat, inquit, procerior adolescens qui breuem tunicam habebat. Is alteri adolescenti breuiori, habenti longam uestem, ui hanc detraxit, data sua breuiore, conueniente ad modum corporis illius. Desert autem ad Cyrum iudicem in agmine puerili hanc causam, is, cui longior tunica crepta erat. Hic pronunciat Cyrus instum esse, queng; tenere uestem suo corpori congruentem. Mouetur enim

commoditate, quam in usu uestium fore cogitabat. Postea cum Magistro iudicium, & causam sententiae, ut mos erat, exponeret, reiecta hac sententia inquit Magister, Lege iudicandum esse, non ex commoditate, quam quisque priuatim cogitet, τὸ νόμιμον δίκουον εἶναι, ac Cyro plagas dat, ut discant & ipse & ceteri, Legem debere iudicij normam esse, non priuatas imaginationes.

Hæc narratio, quia de exercitijs puerilibus loquitur, qui uidetur, dulcior est nostræ ætati. Sed re ipsa commune factio est de Legum autoritate, quam sapiens uetustas maximam esse uoluit. Ac Ethnicos quidem ratio & utilitas mouerunt, ut uitam & mores hominum legibus regi uellent, non priuatis opinionibus aut cupiditatibus. Qualis enim confusio in uita esset, si suas opiniones aut cupiditates singuli potentes sequerentur, nec essent freni cupiditatum honestæ leges?

Nos moueant non tantum ratio & utilitas, sed multo magis Deus ipse. Quantum bonum est, quod Deus hanc suam sapientiam, scilicet leges, nobis patefecit, quæ testantur esse Deum, & docent qualis sit? Vult Deus homines ijs legibus regi & frenari, quas sua uoce tradidit, non tantum ut inter nos pax sit, sed primum ut commune facti hac ipsa sapientia, agnoscamus esse Deum conditorem, & cogitemus qualis sit, uidelicet sapiens, uerax, bonus, beneficus, iustus, castus, misericors, uindex scelerum. Et ne hanc legem putemus esse fabulam,

bulam, hominum astutia excogitatam, ipse Deus custos & executor suæ uocis adest generi humano, rapit ad pœnas omnes sceleratos, etiam cùm Magistratum & iudiciorum autoritas eluditur, sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Omnis anima polluta incestis libidinibus euometur ex terra. Hæ non sunt inanes minæ, sed exempla pœnarum omnibus ætæ tibus conspiciuntur. Vult igitur Deus lege nos doceri, genus humanum non casu natum esse & Deum reuera adesse hominum societati, & scelerum uindicem esse. Deinde uult eam prodesse nobis ad communem pacem.

Hæc consilia Dei considerentur, ac non solum timeamus, sed etiam amemus & ueneremur leges, & totum politicum ordinem.

Rursus uerò non solum picturas Cycloperum & Centaurorum intueamur, quibus significati sunt populi legum inimici: sed etiam execremur Antinomos nostri temporis, qui legum & disciplinæ contemptum in Ecclesiam adferunt. Scripsit nuper quidam Antronius, summam artem Christianorum esse, nescire legem. Rectius erat dicere: Summam Cycloperum artem esse, nescire legem. Qualis furor est, de sapientia Dei, quam semper Deus immensa bonitate in Ecclesia conspici ac intelligi uoluit, dicere: Summam artem esse, hanc nescire? Ideò ne Deus in rupe Sinai inter tanta miracula, in cœtu sexcentorum millium uirorum, ter-

ribili uoce Legem edidit in manu mediatoris, ut nunc impudentissimus tribunus plebis eam deleat, & iubeat nescire Legem?

Sed dices, hanc hyperbolen posse mitigari bella interpretatione.

Si alia est sententia, cur impropria & ambigua spargis in populum? cui haec dicuntur, non ut queratur interpretatio, sed ut furentibus blandiaris, & frenos cupiditatum laxes, & plausus captes, & tibi dominationem & tyrannidem in uulgo queras. Non obscurum est, quò isti tribunicij clamores spectent. Vetera haec artificia sunt:

Spargere uoces

In uulgum ambiguas, odijs ac addere flammās.

Longè uerius dicitur: In sola Ecclesia Dei res estè intelligi & magnifieri legem.

Vos igitur cum ciues sitis Ecclesiae, discite & amate legem diuinitus traditam.

Mementote etiam ea, quae saepe auditis, quomodo disciplina & inchoata obedientia Deo placeant. Cogitate discrimen Euangelij & politici ordinis, & neruum illum uobis proponite: Necessè est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Idcò leges de disciplina & de tranquillitate uestra honestissime conditas, attentè audite.      Lege statuta.

POST

# POST RECITATIO-

## NEM LEGVM.

**H**is legibus, quæ iam lectæ sunt, ut obtemperetis, præcipimus ea authoritate, quam scitis diuinitus attributam esse legibus. Aliæ sunt ipsa uox Decalogi, quarum Deus immediatè author est: Aliæ sunt additæ optimo consilio piorum principum. Præcipit autem Deus utrisq; obedire, & uindex est petulantia & contumacia in utroq; legum gradu. Vt igitur obtemperetis, moueamini primum cogitatione sapientia & uoluntatis Dei, qui est fons & defensor iusticia: Deinde communi tranquillitate, quam propter conseruationem societatis humane tueri debemus: Tertio propria utilitate. Est enim immota ueritas diuinitus tradita: Non erit bene impio. Parcite etiam Ecclesie, cui cum necessaria sit doctrina, scholæ conseruandæ sunt, Ac debebat post gradum Ministrorum Euangelij, agmen scholasticum flos & decus esse Ecclesie. Et est flos præcipuus, pij senes Doctores, & pij adolescentes, quales multos in hoc nostro cœtu esse non dubito. Ac utinam non essent admixti alij efferi, qui Cyclopica immanitate Deum, Leges, Ecclesiam, honestam societatem, & omnia uirtutum officia contemnunt. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum IESVM Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα αἰδίου αἰδίου πατρὸς, seden-

tem

tem ad dextram æterni patris, ut det dona hominibus, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colli-  
 gat, & gubernet ac protegat hanc Academiam, & in ea uos adolescentes Deum rectè inuocantes, ut semper sit hæc Academia talis coetus, in quo regnet & uerè adsit filius Dei, sicut scriptum est: Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Pia schola sine ulla dubitatione est templum Dei, & congruit ad dictum: Domus mea, domus orationis uocabitur. Vos quoq; pij adolescentes quotidianis uotis petite, ut Deus uos & totam Ecclesiam gubernet, etiam si multi admixti sunt, quorum uoluntates non sunt pie, tamen Deus exaudiet piorum gemitus, & eos seruabit, & ut nos seruet & gubernet, propter Filij sui gloriam, toto eum pectore oro.

DIXI.

## ORATIO DE LEGIBUS.

GIBVS.

**Q**uo sæpius & quo plura de Legibus deq; humane uite gubernatione cogito, & causas tum in doctrina cælesti, tum in Philosophia traditas ipse mecum reputo, qui fiat, ut maxima pars hominum cæca, & uarijs ardens cupiditatibus, nec legum uoci, nec atrocissimorum suppliciorum metu coerceri possit, eo difficilius mihi est de legibus dicere. Deplorare magis con-  
 uincem

munem generis humani imbecillitatē uelim, quā multa de bonitate legum differere inter adolēscētes, quorum etas nondum intelligere & amare has res diuinas, noticiam Dei & iusticiæ, & ordinem uitæ à Deo impressum mentibus humanis, qui est effigies & imago mentis diuinæ, potest. Imò iuuentus non secus ac carcerem leges odit, quas existimat esse tristia & iniqua uincula nature ad uoluptatem conditæ. Nec solum primæ etas, luxurians adhuc genuino succo & ignara humanarum miseriarum, & incauta, inimica est legibus: Sed etiam maxima pars grandiorum prospiciens pœnas contemptarum legum, sciens tamen indulget exitiosis cupiditatibus. Paris, Ægisthus, Sextus Tarquinius, Pausanias, Alcibiades, Marius, Catilina, & alij innumerabiles, dum libidini, ambitioni, cupidati uindictæ morem gerunt, scientes accersunt sibi & alijs tristissimas calamitates. Si metu pœnarum & ingentium miseriarum, quæ certò comitantur delicta, non frenantur animi, quid legum uoce & laudatione proficere possumus? Nec noua est hæc querela. Semper homines sapientes doluerunt, uinci leges hominum petulantia & furoribus. Sed in hoc dolore consolemur nos mandato Dei. Etiam si multi nec audiunt nec intelligunt nec metuunt leges, tamen earum uocem extare Deus inter homines uoluit. Ideo ab initio generis humani tradidit eas, & imperia constituit, ut leges, iudicia,



cia, poenas, disciplinam, tuerentur. Obtemperamus igitur Deo, & legum uocem & libros in populis circumferamus, nec deterreamur hominum contumacia, sed sciamus nostros labores parti hominum prodesse. Audierant uocem Dei sonantem ex monte Sina, sexcenta millia uirorum, quæ etsi magnæ parti eius multitudinis nihil profuit, tamen & tunc aliquorum mentes rexit, & reget semper aliquos ad omnem æternitatem. Nec frangamur animis, ut omnia doctrinæ & legum studia abijciamus, quia nulla sunt firma & perpetua imperia, nullæ perpetuæ sedes doctrinæ. Olim in Ægypto & Phœnicia, postea in Asia & in Græciâ fuerunt politiæ florentes, quæ fuerunt literarum & legum scholæ. Nunc ibi homines barbari sine iure uelut Cyclopes uagantur. Et metuendæ sunt similes uastationes in alijs gentibus. Etsi angustia metu sanos homines decet, tamen hac nos consolatione diuinitus proposita sustentemus. In hac fragilitate hominum et breuitate uitæ res ipsa ostendit, humanis uiribus non posse retineri eundem imperiorum statum. Alexander magna uirtute inchoauit imperij formam, sed eo extincto qualis secuta est dilaceratio totius orbis terrarum? quam diuturna bella? quæ leges & disciplinam in omnibus gentibus atrociter labefactarunt. Tales sunt subinde fatales poenæ, & mutationes orbis terrarum, lugendæ quidem, sed tamen inter has confusiones sciamus Deum seruare Ecclesiam suam, &

aliquas

aliquas politias iure & legibus constitutas, ut sint  
 hospitia Ecclesiæ Dei, literarum & doctrinæ. Er-  
 runt ergo aliquæ respublicæ, ubi legum uocem au-  
 dient, discunt, sonabunt, colent aliqui non pauci,  
 etsi maior semper & fuit & est & erit Cyclo-  
 pum multitudo, qui leges contemnunt. Vtrunq;  
 igitur modesti homines, præsertim in schola, cogi-  
 tent, uidelicet Dei mandatum esse, ut legum uocem  
 custodiamus, discamus, doceamus, proferamus in  
 priuatis & publicis consilijs, et Deum semper ali-  
 quas politias seruaturum esse, quæ doctrinæ do-  
 micilia erunt. Nos igitur bona cum spe nostrum  
 officium faciamus, nec legum studia abijciamus, e-  
 tiamsi superbe ac furenter eas contemnunt non  
 solum Turci, sed etiam alij tyranni, & uulgi pars  
 maxima toto orbe terrarum.

Hæc præfatus sum ad confirmandos animos  
 aliquorum, qui leuius sentiunt de legibus, propter  
 rea quòd non satis frenare hominum audaciam  
 possunt, aut mutatis imperijs alicubi delentur.  
 Etsi hæc ita fiunt, tamen sciamus leges Dei uocem  
 esse, nec prorsus deleri posse, etiamsi diabolus, qui  
 est autor dissipationum, subinde homines furio-  
 sos impellit, ut sicut Gygantes aggestis montibus  
 cælum ferro perfodere conati sunt, ita ipsi gras-  
 sentur aduersus Deum & Leges.

Postquam hæc præfatus sum ad omnes, nunc  
 alloquar tantum studiosos & modestos, & petant  
 ab eis officium Deo debitum, & ipsis salutare.

Pro-

Propter Deum uos studiosi & modesti auditores oro atq; obtestor, ut cum homo ad imaginem Dei conditus sit, cogitetis, quanto bono ornatus sit homo, & quid sit illa imago, & quantum malum, quanta miseria sit, imaginem illam uel corrumpere uel delere. De hac imagine, quia fons est legum nostrarum & iuris, pauca adijciam, Vtrunq; uoluit Deus, cum suam imaginem in hominem transfudit, uidelicet ut homo agnosceret Archetypum, & se Archetypo subiectum esse debere sciret. Ac ut agnosceretur Deus, lumen humanis mentibus insitum est, in quo ut in speculo nostra corpora, sic Deus aliquo modo cernitur, quod sit, qualis sit eius uoluntas, & quod congruere nostram uoluntatem ad hunc archetypum oporteat.

Cogitate queso, quanta hæ res sint. Deus uult nostras mentes tanquam specula esse, in quibus ipse conspiciatur. Vult nos tanquam libros esse, in quibus suam sapientiam digitis suis scripsit, docuit nos quid sit Deus, uidelicet mens æterna & immensa, & qualis sit, uidelicet sapiens, uerax, amans castitatem & iusticiam, id est, æqualitatem, tribuens æqualia æqualibus sine acceptatione personarum, bona bonis, mala malis, liberrimè agens, benefica, diligens homines, ut conditor, ac præsertim illud opus diligit, quod uoluit esse suam effigiem, & flagitans ut nostra mens & uoluntas congruat cum sua mente & uoluntate. Hanc admirandam sapientiam, legimus & discimus in ipsa  
 consi-

consideratione humane mentis. Nec ulla hominum aut angelorum eloquentia tanta est, quæ satis dicere possit, quantum sit hoc decus, quod Deus hoc tanto munere & tanta luce, similitudine & societate sue mentis, nos ornauit.

Sed proh dolor non aspicimus hanc imaginem, nec contemnimus tantum, sed etiam obruimus cæno & stercoribus. Fulget in mente noticia insita à Deo, quod sit Deus, rectè facientes approbans & defendens, contra uerò sceleratos puniens. At Epicurei pugnantes cum hac ipsa luce, furenter disputant, nullam esse providentiam. Lux diuina docet, non esse rapiendam alterius coniugem, sed Paris, Ægisthus, & alij multi rapiunt. Docet lux eadem diuina, non mouenda esse bella ciuilia, rapiendæ dominationis causa, sine ordine legum, & Deum uelle, ut legitimos magistratus ueneremur, simus pacis custodes, non inflati appetamus sublimes gradus sine uocatione, sed amemus humilia. At Marius, Catilina, Antonius, Borgias, & alij innumerabiles, elati ambitione, bella ipsis & multis gentibus exitialia mouerunt. Ita conculcatur imago Dei à maxima parte hominum.

Sed studiosi ac modesti sese ipsi aspiciant, ac admoniti hac Dei imagine Deum quærant, & considerent uerè diligi humanum genus à Deo conditore, & amante ac fouente humilia, ac uicissim à nobis postulari, ut nostra uita ad hanc imaginem congruat.

E Deinde

Deinde & illud reputent, hanc legum doctrinam, quam profitemur, ex hac imagine Dei descriptam esse, & nostros libros enarrationem esse diuinae imaginis. Quod qui agnoscent, ut res est, uenerari leges tanquam sapientiae Dei aeternae rituum incipient.

Est igitur fons iuris nostri, ut dixi, imago illa Dei: Sed accedere oportet sapientium gubernatorum consilium, qui Deo mentes eorum gubernante sagaciter illam in natura hominis lucem cernunt. Idque etiam Dei opus est, mentes gubernatorum regere, ut uera & iusta deprehendant, sicut Salomon inquit: Diuimant labia regis, id est, Deo gubernante cernunt & eligunt uera & iusta. Itaque leges imperiorum, congruentes cum imagine Dei insita humanis mentibus, reuera sunt sententiae diuinae, & explicatio legis Dei. Quod cum uerissimum sit, excitemus animos nostros ad amorem & reuerentiam legum.

Hec in praesentia ad commonefaciendos studiosos & modestos breuiter dixi, quae scio saepe in hac schola repeti. Deum oro, ut ipse nos adiuuet & regat, ut uita nostra congruat ad legem, quae est sapientia Dei, & omnes actiones nostrae nobis & toti generi humano sint salutare.

DIXI.

ALIA

ALIA EIVSDEM,  
 QVA INVITATIS AD SE PRO=  
 fessoribus & alijs hospitibus omnibus in prandio,  
 cum à fratre propter parentis obitum domum  
 reuocatus esset, ualedixit, atq; magistratum  
 scholasticum simul resignauit

28. Iulij.

CLarissimi Viri, eruditione & uirtute præ=  
 stantes, Præceptores carissimi. Scio uos hor=  
 tari adolescentiam, ut Cyri historiam à Xeno=  
 phonte scriptam, sepe multumq; legamus, quam  
 quidem narrat Cicero, Scipionem semper in mani=  
 bus habuisse. In ea historia legimus, disciplina Per=  
 sica in iudicijs accusatos & punitos esse ingra=  
 tos, & expressè dicitur: Ingratitudinem esse  
 maximam ductricem ad omnia turpia.

Μεγίστῳ ἡγεμόνῳ ἐπὶ πάντα τὰ ἀσχα.  
 Cohorresco legens tantam uituperationem, ac  
 Deum toto pectore oro, ut meum animum, lin=  
 guam, & uoluntatem flectat ad ueram & perpe=  
 tuam gratitudinem erga ipsum, & erga Domi=  
 num nostrum Iesum Christum, & erga homines  
 benemeritos.

Ac nunc coram uobis testibus, celebros Deum  
 æternum, patrem Domini nostri Iesu Christi pro  
 hoc ingenti beneficio, quòd me ad agnitionem filij  
 uocauit, & quidem quòd in hac uestra Ecclesia  
 mihi semina necessaria doctrinæ præbuit, quæ hic

maiore perspicuitate proponitur, quàm alibi. Deinde profiteor me uobis gratitudinem & omnia gratitudinis officia debere, pro uestro labore, & pro singulari erga me beneuolentia, quam cum alijs rebus, tum uerò etiam hoc honorifico de me iudicio uestro declarastis, cum me fungi magistratu uoluistis. Pro his omnibus beneficijs promitto me gratum fore in tota uita mea, & in tota eternitate. Quinquàm autem non est officiosum, si nulla grauis causa sit, discedere ex Academia gerentes magistratum, antequam legitimo tempore deponendus est, tamen uobis tristissima causa nota est, quæ me domum reuocat, quòd orbatì carissimo patre de domesticis negotijs nos fratres deliberare cogimur.

Excrucior itaq; multiplici dolore, quòd immatura morte pater à nobis auulsus est, quòd studia doctrinarum, in quæ bona cum spe ingressus sum, interrumpuntur, & domesticis difficultatibus conflictamur. Oro igitur ut mihi benignè concedatis, ut & nunc deponam Magistratum, si ad iustum tempus adesse non possem, & domum redeam. Id ut publicè peterem, iam uos ad prandium uocaui, quod uolo in hoc meo discessu simul esse fœdus mutue beneuolentiæ inter nos. Vosq; oro, ut beneuolentiam erga me uestram non sinatis extingui.

Ego uicissim & Academiae, & uobis perpetuam gratitudinem promitto, & Filium Dei, Dominum

minum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα δίδιορ δίδις καὶ ἕος oro, ut nos omnes gubernet, & protegat, & regat labores docentium. Sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Sine me nihil potestis facere. Hunc Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oro, ut semper nos sibi palmites faciat, & semper inter nos sibi eternam Ecclesiam colligat. DIXI.

Die 28. Iulij.

## ORATIO DE GREGORIO NAZIANZENO, RECITATA

à M. Iacobo Lechnero Austriaco

Decano. 10. Februarij.

**H**onestæ causæ sunt horum congressuum, Nam & renunciationem testimoniorum decet esse publicam, & conuenire senes tanquam Censores, ut audiant qualia sint iuniorum studia utile est, & ipse conspectus multorum eruditorum in hac frequentia accendit animos iuniorum ad cogitationem de studijs doctrinæ. Conuenimus autem non tantum ad hæc spectacula, sed multo magis ad precationem. Quare initio ad hanc meam commemorationem gemitus & uota uestra adiungite, Gratias agimus Deo eterno Patri Domini nostri Iesu Christi, creatori generis humani, una cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, &



Spiritu sancto, quod uoce Euangelij inter nos æternam Ecclesiam colligit, & hactenus nos clementer seruauit, & studia doctrine apud nos rexit, cumq; oramus, ut deinceps nos seruet & gubernet, & non sinat extingui lucem doctrine sue, & semper inter nos æternam Ecclesiam colligat.

Deinde cum honestè institutum sit, ut in his congressibus dicatur aliquid ad excitandos iuniores ad discendum, aut ad formanda iudicia, decreui historiam recitare Gregorij Nazianzeni, quæ & disputationes multas continet, & exempla digna memoria. Libenter enim huc historias ueterum scriptorum adferimus, ut ad cognoscendam Ecclesiæ antiquitatem, & ad considerandas dijudicationes maximorum certaminum iuniores inuitentur. Et prodest intueri omnium temporum Ecclesiam, ut piorum iudicijs de doctrina confirmemur, & exemplis erigamur, ut cum uidemus omnibus temporibus cymbam filij Dei horribilibus tempestatibus quassatam esse, & tamen diuinitus seruatam, non frangamur animis illa tristissima specie, existimantes prorsus abiectum esse genus humanum à Deo, sed sciamus tamen semper aliquas seruari reliquias, quæ sint uera Dei Ecclesia, & hanc gestari manibus Filij Dei, ne prorsus opprimatur, sicut apud Esaiam dictum est. Ego uos gestabo etiam in senectâ, Ego feci, ego saluabo uos. Nec dubito quin omnes qui Ecclesiam amant, his historijs

historijs delectentur, in quibus recitandis etsi deest splendor, quem adhibuit uetustas in Panegyricis, quem pauci imitari possunt, etiamsi uelint, tamen etiam breuis commemoratio multas admonitiones offert utiles partim studijs, partim moribus.

Nec uerò quidquam dulcius est, quàm cum illis uiris quasi colloqui, quod fit, cum in his narrationibus confirmamur ipsorum sententijs de doctrina, & exemplis, quæ in similibus ærumnis aut consilium ostendunt, aut certe mœsticiam leniunt. Videmur enim iniuste petere, ut extra communem quasi legem, nobis nihil insuaue accidat, cum quidem sciamus quare tota hominum natura ingentibus miserijs onerata sit, & illos uiros meliores asperiora tulisse.

Ac in ipso initio huius historiae hoc exemplum nobis gratum esse debet, quod scimus Gregorium Nazianzenum natum esse Patre Episcopo, & scribit ipse tam felix fuisse coniugium, ut aliud tranquillius non uiderit. Matrem etiam narrat, quia propter prudentiam & sanctissimos mores magna eius autoritas apud omnes honestas matronas erat, multorum dissidiorum semina in urbe Nazianza & uicinia extinxisse.

Est autem Nazianza oppidum Cappadocia uicinum Casaræ, in qua natus erat Basilius cum quo postea huic & amicicia perpetua, & studiorum societas fuit, ut postea dicam. Cùm autem do-

mi à parentibus disceret Prophetarum & Apostolorum enarrationes, Ecclesie historiam, & iudicia sanctorum uirorum de grauissimis contro- uersis, Viderant enim parentes longi temporis certamina, quia egressi sunt annum nonagesimum, Pater simul curauit ut ad domesticam doctrinam adiungeret adolescens studia Eloquentie & Philosophie, eumq; primum Alexandriam misit, quae tunc fuit arx doctrinarum in toto genere humano praecipua. Fortassis & eo libentius filium eò misit, quia tunc post longum exilium senex Athanasius eo redierat, cui Ecclesia recte sentiens in Vrbe Treuirorum hospitium annos octo dederat.

Cum autem eloquentiae exercitia maiora esse Athenis, & sonum Graecae linguae suauiore ibi esse audiret, & ipse natura magis ad ea studia duceretur, Athenas post aliquot annos profectus est. Ibi Basilium nosse cepit, & cum patria communis esset, & similia essent studia, similes uoluntates, & quedam naturarum adiunctio, spectis alijs sodolacijs huic uni familiaris fuit, narrat enim & tunc Athenis fuisse corruptissimos mores & insignem iuuentutis petulantiam, quia multi diuites Scholastici plus dediti erant ludis, spectaculis, conuiujs, & obscenis uoluptatibus, quam doctrinarum studijs, plures etiam palam Athei, & multi magicis artibus dediti erant. Ab his cum ambo abhorrent Basilius & Gregorius, quia domesti-  
ca disci-

ea disciplina ad ueram Dei agnitionem, & ad honestos & castos mores adsuefacti fuerant, sese coniunxerunt, & simul in studijs doctrinae processerunt. Ex ea familiaritate orta amicitia deinde nunquam interrupta est, ut sunt durabiles amicitiae, quarum honesta sunt initia. Et uerum illud est, ἁπλοῦς τὸ ἀγαθὸν πλὴν ἰσχυρῆς φύσεως. Eo tempore uenit Athenas & Iulianus nondum Imperator, sed iam ex schola accersitus ad regendam Galliam, & sperans Imperium. Hic confirmauit etiam improborum audaciam Athenis, quia Ethnicis sese uenditabat, & Magos consulebat, & Christianos aspernabatur. Ex his moribus tunc quoque coniecturam fecerunt multi, rapturum esse dominationem, & renouaturum se uicium aduersus Christianos, ut non multo post accidit. Estque insignis & luculenta descriptio gestuum Iuliani apud Nazianzenum, ex quibus uaticinatus est, qualis futurus esset.

Etsi enim magnae sunt latebrae pectorum in improbis & astutis, & artificiosae sunt Ironiae & consiliorum occultationes, tamen naturae peruersitas ex monstrosis gestibus & alijs signis animaduerti potest. Verba Nazianzeni de Iuliano haec sunt. Tunc mea coniectura non fuit uana. Fecit enim me uatem morum ipsius inaequalitas & admirationis magnitudo. Non enim mihi uidebantur signa bonae naturae esse, crebri flexus colli, humeri per uices subsultantes. Oculi uagabundi

& truces, & quales sunt in furentibus, pedes in-  
 stabiles & crebrae geniculationes. Nasus corru-  
 gatus ad significandum contemptum, ridicula fi-  
 gurae uultus, cachinni alium crepantes, Nutus  
 & renutus sine sermone, sermones abrupti non  
 completis sententijs, interrogationes inordinatae,  
 & sine causa factae, responsiones alienae à propo-  
 sito, nec inter se consentientes. Sed quid singula  
 scribam. Talem ante facta esse animaduerti, qua-  
 lem esse postea in ipsis factis uidimus. Haec cum ui-  
 dissem, exclamaui coram multis, qui testes huius  
 mei sermonis esse possunt, O quantum malum nu-  
 trit Romanum Imperium. Hanc descriptionem  
 hic inserui, ut adolescentes hac narratione com-  
 monefacti cogitent gestus recte regendos esse, &  
 modestae significationes considerent.

Discesserat Athenis Basilius, manu fratris edu-  
 ctus ex sede, in qua declamitabat, & iam Grego-  
 rio Athenae solitudo erant, quia casta mens fugie-  
 bat Ethnica & alia sodalicia. Quare & ipse ali-  
 quanto post ad senem patrem redit, cum iam tri-  
 cesimum annum attigisset. Tunc accepto baptis-  
 mo pater adiunxit eum Presbyteris, ibi diremptis  
 controuersijs & restituta concordia secessit ad  
 Basilium, qui et ipse cum lector Caesariae fuisset, reli-  
 cta patria propter obreccationes, tunc in suo pre-  
 dio cum aliquot auditoribus uixit. Ibi simul tredec-  
 cim annis commorati sunt, non in ignauo ocio, sed  
 in pre-

in precationibus & in collatione scriptorum, quibus uniuersæ Asiæ Ecclesiæ erudiebant, & ueritatem propugnabant aduersus Arianos, Manicheos, & alios furores. Quantum bonum sit habere fidelem παρῆσαρτῶν, & uelut Achatem, ex ueteri Prouerbio notum est. Duobus pariter euntibus.

Multum igitur profuit Ecclesiæ horum duorum coniunctio, cum alter alterum moneret, & confirmaret, & ambo consentientes uicinorum concordiam retinerent. Sed utrumq; Deus ex illo dulcissimo successu in aciem, & in magna prælia eduxit, Basilium patria uocauit ad Episcopi munus, Vbi cum Imperatore Valente magna ei certamina fuerunt. Gregorium senex Pater egressus annum nonagesimum sibi adiunxit, ut doceret Ecclesiam in publicis concionibus. Ibi donec pater uixit, & deinde post mortem patris Ecclesiam feliciter rexit.

Etsi autem Valentis Imperatoris seuitia passim ex Ecclesijs pij Doctores pellebantur, tamen Gregorius non est pulsus. Et fortassis cum aliquo modo texit Olympij præsidis pietas, de quo scribit ipse, discedere eum relinquentem lacrymas ciuibus & memoriam beneficiorum non in columnis, sed in mentibus bonorum, & reditum eius optat. Magnam bonum est, concordia Pastoris & præsidis, Sed hæc esse non potuisset, si aut Olympius ad Tyrannum se inflexisset, aut Gregorius alterum pe-

dem

dem in Ecclesia, alterum in Curia habere uoluisset, Laudanda est igitur prudentia Gregorij, quod a nimum praesidis non alienauit πολυπραγμοσιν. Et ostendunt Epistole Gregorij mutuam inter ipsos beneuolentiam fuisse eximiam.

Postea cum Ariani dominarentur Constanti nopoli, uocatus est eo Gregorius ut Episcopi munere fungeretur, & Arianos refutaret. Ibi mansit annos duodecim inter magna certamina nunquam animo fractus, etiamsi magnis contumelijs adfectus est. Primum in templo praecipuo ut Episcopus docuit, inde pulsus ab Arianis, locum, non docendi munus reliquit, cum quidem lapidibus etiam obrutus esset, Sed in priuata domo annos aliquot docuit, donec Theodosius Imperator Constantinopolim uenit. Hic duxit eum in templum repressis Arianis, ubi deinceps docuit donec ibi mansit.

Cum autem Ariani non potuissent eum pelle re, exoritur alia pestis ad eum perdendum. Gregorius Cynico cuidam nomine Maximo persuaserat, ut doctrinam Ecclesiae amplecteretur, eumque ad presbyteri & Lectoris munus euehit. Hic ut Cynicus & humana et diuina iura oblitus, ardens ambitione adiungit se factioni, quae Gregorio erat inimica, & excutere senem & in sese transferre Episcopi dignitatem conatur, pugnat factione, & pecunia, & profectus Alexandriam calumnijs accendit Episcopum contra Gregorium. Sed praes  
ses cui

ses cui nota erat integritas Gregorij, eum indopellit. Redit tamen armatus ab Alexandrino, & magnos tumultus ciet. Interea Theodosius optimus Imperator cum sediciosos & Tyrannos in Europa magnis praelijs deleuisset, & uictor iam pacatum Imperium teneret, tollere etiam dissidia Ecclesiastica conatus est. Et exemplo Constantini Synodum indixit, quæ secunda nominatur, ad quam conuenerunt Episcopi centum & quinquaginta Constantinopoli, Anno à natali Christi trecentesimo octogesimo tertio. Extat Decretum in quo profitentur Patres se amplecti Symbolum Nicenum, & ab eo non discessuros esse, & damnantur qui negant τὸν λόγον esse ὑψίστων, & qui negant Spiritum sanctum esse ὑψίστων.

De his tantis rebus cum decreta facta essent, Maximi ambitio nouum certamen mouit. Hic factione Alexandrina stipatus se uoluit Episcopum Constantinopoli creari. Gregorius placidissime inquit, se si de doctrina accusetur, responsurum esse & iudicium ipsis qui tunc conuenerant summa uoluntate permittere. At de Episcopi dignitate, se prorsus nihil contendere. Sed magis petere ut senex iam liberetur maximis laboribus, curis, contentionibus, quas sustinere in hac ætatis imbecillitate non posset. Addit etiam se malle ut Ionam è naui eijci quam dissensionem de dignitate diutius durare. Hortatur ut idoneum eligant, & sint

me



memores dicti Prophetici, Diligite Veritatem, & pacem. Nam hæc ipsa uerba in eius oratione recensentur. Non uicit Ambitio Maximi, Et tandem seueritate Theodosij sycophanta Maximus repressus est, & piorum sententijs creatus Episcopus Nectarius Tarsensis uir eruditus & recte sentiens.

Redit igitur in patriam Gregorius, & ibi discordijs sedatis successorem eligi curat Eulaliu. Ipse secedit in prædium paternum Arianza, ubi consilijs & literis multos rexit. Sed uocatus ad Synodos non accessit ad eas usus excusatione ualitudinis, ut ostendit eius Epistola, quam prodest notam esse, ut consideretur, quàm periculosum sit Synodos conuocare aut ad eas accedere. Ad Procopium sic scribit. Sic adfectus sum, si uerum scribendum est, ut omnes Episcoporum Synodos fugere uelim, quia nullius Synodi exitum uidi bonum, aut magis finire eas dissidia, quam accendere, nam cupiditas contentionis & dominationis uincunt rationem. Nec tamen existimes hæc me odio scribere. Ac citius aliquis iudicans, accusabitur ipse, quam aliorum certamen dirimet. Ideo me in hoc secessu contineo, & ne turbetur precatio, tranquillitatem tueri studeo. Nunc autem & corporis infirmitas me excusat, assidue enim uelut extremum halitum spiro, & meo corpore uti non possum. Ideo te oro, ut & tu mihi ignoscas, & persuadeas Imperatori pio, ne me propter igna-

uini

uiam non accedere ad ceteros existimet, sed ue-  
niam det imbecillitati, propter quam scit se mihi  
petenti, secessum potius quam aliud beneficium  
concessisse. Hæc de Synodis in Epistola scribit.  
Asperiora dicit in carminibus non quæri uerita-  
tatem, sed dominationem, & dilacerari orbem ter-  
rarum ambitione docentium, & ait eos Cercopum  
similes esse, id est, impostores, qui, qui Sophisma-  
tum prestigijs homines decipiunt.

Τὰυτὰ μὲν ὄσισι εἶλον. Ἐκδοκώτερ κρᾶτος εἶν,  
αὐτὰρ ἐγὼ χριστὸν πλῆσομαι ἀρεμέων.

Cercopum teneant ut querant regna superbi,  
Sed Christi sit mens nostra quieta, domus.

Hæc de uita eius legimus, quæ exemplum est  
uiri modesti, non discedentis ob officio propter  
iniurias, amantis ueritatem & pacem. Ex doctri-  
na uero ipsius testimonia petamus uera sententia,  
& enarrationes aliquas eruditas.

Constanter amplexus est Symbolum Nicenum,  
& adfirmavit eam esse ueteris Ecclesiæ doctrinā.  
Nec ab ea confessione discessit fractus ullis cruci-  
atibus aut minis. Resutat Manicheos & hostes  
gratiæ, πᾶν κατορθώμαον παρά θεῷ ὄσι, & καὶ  
δέδοται τοῖς καλουμένοις καὶ οὕτως νεύουσι.  
Et aliquoties has sententias repetit. Resutat &  
Nouatianos & Catharos, Taxat eos qui negabant  
Deum efficacem esse uoce Euangelij aut Baptismo  
si mi-

si minister sit indignus, ut in Africa Donatistæ uociferabantur. Contra hos grauiter & splendide inquit, Vt eadem est σφραγίς, siue aureo siue ferreo annulo impressa sit, ita eandem esse uim ministerij in Ecclesia. Et quidem dulcissime ait, Deus est qui baptizat, minister tantum commodato dat manum. Colligit adpellationes filij Dei & enarrat, λόγος ait dici quia sit ὁ ζωνωνὸς proferens uocem Euangelij ex arcano sinu æterni Patris.

Etsi autem desiderantur in eo interdum explicationes longiores, tamen quid de summa doctrinæ Christianæ senserit, si candor sit in iudicando, intelligi potest. Et hanc commemorationem de uita eius institui, non modo ut exempla morum ab eo petantur, sed etiam ut inuitemus iuniores ad antiquitatis considerationem. Prodest scire quæ sit perpetua uox Ecclesiæ. Etsi enim fides non humana autoritate nititur, sed dictis Dei, tamen iussit Deus nos audire docentem Ecclesiam, nosq; uult ab ea & commonescieri & confirmari. Atque utinam illi qui iactitant se uetustatem Ecclesiæ tueri, non umbram eius ostenderent, sed ipsam proferrent integram. Nunc excerpunt mutila dicta, notha, recentia. Hæc obtrudunt Regibus & Principibus titulis ueterum, qui si adessent, hos impostores iuberent ut sacrilegos puniri. Scriptum est. Non dicas falsum testimonium, quanta igitur contumelia est ueterum, producere eos, ad falsum

falsum testimonium dicendum. Id ne fiat, legendi sunt fontes, considerandum quid quisq; adfirmet, qui libri quasi in alienas domos ut fures & τοι= Χόρυχοι penetrauerint, & simus nos quoq; memores dicti Prophetici, quod citauit Nazianzenus.

Diligite ueritatem & pacem.

D I X I.

## PETITIO AD

DECANVM.

**D**octissime domine Decane & Procancellarie dignissime. Est historia Nazianzeni expressa horum temporum, & morum atque hominum huius seculi pictura. Antecelluerunt illa etate ceteris in Ecclesia, autoritate, meritis, & doctrinae eloquentiae ac pietatis laude, Basilius Magnus, & huius frater Gregorius Nissenus, Gregorius Nazianzenus, Amphilocheus Iconij Episcopus & alij non multi. Hi cum essent à prima etate recte instituti in doctrina Ecclesiae, & Philosophicis artibus praclare exculti, & adsuefacti ad sapientem & perspicuam eloquentiam, & arderent studio inquirendae explicandaeq; ueritatis, magno studio ac contentione doctrinam Apostolicam illustrarunt ac defenderunt, peruestigatis diligenter ac pensitatis testimonijs primae Ecclesiae, quae erant autoritate Apostolica tradita, & de Philosophicis studijs in Ecclesia retinendis, quae eiecta

F

pror=

prorsus & sublata uolebat Grex indoctorum hypocritarum, pugnarunt acerrimè.

Extat graue testimonium Gregorij Nazianzeni contra Philosophicæ doctrinæ hostes in funebri oratione de Basilio Magno, cum inquit: Confiteri oportet omnes sana mente præditos, doctrinam inter humana omnia primam ac præcipuam esse, non solum hanc nostram, quæ ad Dei nos agnitionem deducit, & salutis nostræ continet atq; explicat fundamenta, sed & alteram illam, τὴν ἕξωθεν τῆς ἐκκλησίας, quam multi ὡς ἐπίθουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ δεῦρ' ἄλλω βάλλουσιν criminantur ac traducunt, κακῶς εἰδότες. Et concludens eam partem addit: Non contemnenda est doctrina liberalior eò, quod aliquibus hoc faciendum uidetur, sed potius σκαλοὶ ἢ ἀπαιδεύτοι censendi sunt illi, qui in ea sunt opinione, ut optarint omnes sui similes esse, ut in sui similibus frequentia latere, & iustam ruditatis atq; inscitie sue reprehensionem effugere possint. Basilius peculiari scripto edito, quæ iam explosa erant ex Scholis studia, reuocauit, excitatis ad ea colenda adolescentibus.

De eloquentia Basiliij & Nazianzeni fuit iudicium uetustatis, Basilium λαμπρότατον εἶναι & τῷ πανυγκρισῶν: Nazianzenum excellere in utroq; genere, ὑπομνηματικῶν & πανυγκρικῶν, sed σαδρόθροον esse Basilio. Hos tantos uiros impiorum hypocritarum cohors, quæ dominaba-

tur in aulis Imperatorum & Principum, sycophanticis calumnijs, mendacibus insectationibus, nefarijs & occultis molitionibus adeo exercuit, ut & Episcopatibus excusserit quosdam, & in exilium pulsos presserit aliquandiu. Sed quia opprimi ueritas & innocentia non potest, ut maxime laboret aliquantisper, ideo paulò post, innocentia patefacta, reuocati sunt ab exilio ac restituti honorificè. Hæc eo commemoro, ut adolescentes exemplo & iudicijs tantorum uirorum, quorum testimonia usurpat Ecclesia tanquam ἄξιότισα, confirmati, contemnant insulsa iudicia aliorum, qui similibus artibus & scriptis studia Philosophica nunc oppugnant & sese ad studium ardentius exuscitent. Quid enim sit hoc tempore his dissimile? Cum itaq; in uera Philosophia & doctrina Ecclesiæ egregiam nauasse operam cognouerimus hos doctos & honestos uiros, & spes sit, operam eorum profuturam esse Ecclesiæ & Reipublicæ, tibi eos commendo, ac peto Collegij nostri & ipsorum nomine, ut publica autoritate testimonium eis doctrinæ tribuas. Hoc beneficio ipsos tibi in perpetuum deuincies. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, conditorem generis humani & Ecclesiæ, ut semper in his regionibus & inter nos eternam sibi colligat Ecclesiam uoce & Ministerio Euangelij sui, & nos omnes faciat uasa misericordiæ, & organa salutaria.

## QVAESTIO.

**N**on est nostri officij de causis disputare pro-  
 pter quas institutum est, ut in hoc loco iu-  
 niores in confessum doctorum senum, & in magna  
 frequentia dicant, etsi multas esse causas honestas  
 cogito. Sed nos decet modestè legibus & consue-  
 tudini obtemperare, quod ut uerecundè me facere  
 intelligatis, primum à uobis peto, ut me patienter  
 audiatis, deinde ut orationem iuuenilem boni con-  
 sulatis. Est hoc quoq; modestiæ, cauere ne proli-  
 xè dicendo uidear mihi ineptè placere. Ut igitur  
 usitatum est, quæstionem propono. An Romanus  
 Pontifex ius habeat transferendæ dignitatis Ro-  
 mani Imperatoris & Principum Electorum. Scio  
 disputationem de re tanta magis pertinere ad  
 summorum Principum consilia, quam ad iuueniles  
 declamationes, tamen cum his diebus Germaniæ  
 Principes ad deliberationem de re maxima conue-  
 niant, iustum est nos omnes, senes & iuuenes ar-  
 dentibus uotis Deum precari, ut consilia Princi-  
 pum gubernet, & patriæ nostræ pacem & saluta-  
 rem gubernationem tribuat. Id ut faciat, toto pe-  
 ctore eum oro. In hac cogitatione non est intent-  
 pestium simul de mutatione ueteris Imperij, &  
 de ueterum Germanorum uirtute, & de horum  
 recentium Pontificum audacia cogitare, qui non  
 nunc primum, sed antea quoq; conati sunt germa-  
 niam turbare, mutata forma gubernationis. Ma-  
 nifestum

nifestum est uerissimum esse dictum Xenophontis,  
 πᾶσα μεταβολαὶ πολιτείῳ δυνατῆρόροι.  
 Magnæ igitur cædes & uastationes secutæ sunt,  
 quoties tentata est mutatio, sæpe autem inde usque  
 à quadringentis annis tentata est. Et Pontifices  
 armauerunt se decretis, iubent, ut articulum fidei  
 omnes amplecti hanc sententiam, Romanos Ponti-  
 fices habere utrunq; gladium, hoc est, ius transfe-  
 rendi Regna. Ideo Henricos, Fridericos, Ludo-  
 uicum Bauarum non solum remouere à guberna-  
 tione, sed etiam ex Ecclesia eijcere conati sunt. In-  
 de longa bella, multorum Principum cædes, & ua-  
 stationes ortæ sunt, quæ etiam posteritati nocue-  
 runt, ut dicitur. Alta sedent ciuilibus uulnera dex-  
 træ. Sic autem argumentantur. Summus Sacer-  
 dos in Lege Mosaica potestatem habuit constitu-  
 endi & remouendi Reges, ut Samuel, Ioiada,  
 & alij. Nunc Romanus Pontifex est summus Sa-  
 cerdos. Sit igitur similis potestas. Constat etiam  
 hanc Imperij germanici formam ab Othone tertio  
 & Romano Pontifice institutam esse. Potest igitur  
 à Romano Pontifice mutari aut aboleri, præ-  
 fertim si Principes ab ipso dissentiant, aut non de-  
 fendunt Pontificum potentiam. Hæc splendide  
 exaggerari possunt. Et Ludouici Bauari tempore  
 de hac questione terribiles disputationes editæ  
 sunt. Est autem plausibilis oratio quæ coniungit  
 tanquam diuino fœdere summum Sacerdotem, &  
 summum Regem, quia profecto pius utriusq; po-  
 testatis



testatis consensus ingens bonum est. Ideo contraria sententia, quæ Sacerdotem quasi auellit à Rege, minus splendida est. Vt ueritas sæpe speciosa opinione quanquam falsa obscuratur, ut dicitur. *Ὁ δὲ αὐτὸς βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.*

Circundat autem Euangelium certas metas Episcopis. Adfirmat non pertinere ad eos constituere Imperia, ut dictum est, Reges gentium dominantur. Vos autem non sic. Non igitur habet Pontifex ius dandi aut eripiendi regna suo arbitrio. Carolus Magnus Italiam usq; ad Neapolim tenebat, quia rebellantes Longobardos necesse fuit eum reprimere. Hoc iure cum teneat illam Italiae oram, tribuit ei titulum Imperatoris Pontifex, quo titulo tamen non est usus, nisi concedentibus Græcis. Hanc disputationem refero ad uirum clarissimum Doctorem Georgium Maiorem, & eum oro, ut de ea copiosius dicat.

## RESPONSIO.

**E**Tsi deliberationes de Imperijs sunt propriæ Principum, tamen sollicitudo & uota debent esse communia omnium. Sicut & præceptum est. Orate pro Regibus. Ac profecto nunc pericula magna sunt, & deliberatio de re maxima instituitur. Hæc eo cogitanda sunt, ut pectora ad precationem accendantur. Si qui non adficiuntur cura publicæ salutis, & tantum suas uoluptates querunt,

runt, horum uita similis est seu pecudum uita, seu orgijs Bacchanalium. Non igitur reprehendendi sunt qui modeste & pio studio seu ueteres mutationes in hoc imperio, seu presentia pericula commemorant. Est omnino pulchrum & ἄξιωμα senatus Principum Electorum in Germania. Nec consilium in genere humano sublimius est, & iam annos quingentos saepe profuit toti Europæ, quod quidem Romani Pontifices saepe euertere conati sunt. Ac ut bella aduersus Henricos et alios accensa omittam, recens neruū electionis hac arte incidere conatus est Pontifex Æneas Syluius. Episcopum Moguntinum Isebergensem confirmare noluit, nisi promitteret, nunq̄ Moguntinum Episcopum conuocaturum esse Electores, nisi interrogato & adsentiente Romano Pontifice. Hoc si obtinuisset Romanus Pontifex, Electorum autoritas prorsus extincta fuisset. Repugnat igitur constanter Isebergius, qui cum fulmine Pontificio ictus, pelleretur, suscepit eius defensionem in causa iusta, & ad Electorum dignitatem & Germaniæ salutem pertinente Fridericus Palatinus. Cumq; bellum inde ortum esset, uicit tandem causa iustior. Senescit autem hæc forma germanici Imperij, & iam periodus communis Imperijs fatalis, uidelicet quingenti anni à tertio Othone, præterijt. Ideo non leuia pericula impendent. Cum autem uerissimum sit imperia & constitui & conseruari à Deo, sicut Daniel inquit, Deus est qui

transfert & stabilit regna, oro Deum conditor  
rem generis humani & custodem politicae socie-  
tatis, ut tribuat germaniae pacem & salutarem gu-  
bernationem.

De argumentis tuis breuiter respondeo. Est  
omnino speciosa oratio quae copulat summum sa-  
cerdotem & Regem. Sed tamen falsa sunt Pon-  
tificia decreta, quae Petro utrunq; gladium tribu-  
erunt. Falsus & ille uersus est, qui fuit inscriptus  
coronae Rodolphi qui in uicina urbe Mersburg  
sepultus est. Petra dedit Petro, Petrus diadema Ro-  
dolphi. Cause autem bellorum quales fuerint lon-  
gum esset recitare. Creuit Pontificia potentia suo  
quodam fato, & nunc stabilitur illorum dissi-  
dijs qui eam oppugnant. Fiet tamen quod in Sibyllae  
uersu praedictum est.

ρωμη μὲν ῥωμη ἔσεται, ἢ δ' ἦλθ' ἄδ' ἦλθ'.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum  
Iesum Christum, ut Ecclesiam suam  
& nos in ea seruet &  
gubernet.

OR A=

ANNO 1558. 71

ORATIO QVA RE-

CTOR ACADEMIÆ, ILLVSTRIS,  
ac Generosus Comes à Nassauu, CattenElnbo-  
gen Vianden & Dietz &c. Adolphus suum  
renunciavit Magistratum scholasticum  
publice. 18. Octobris.

**D**OCTISSIMI uiri & Præceptores uenerandi,  
honestum & Deo gratum est, uenerari ac  
tueri politicum ordinem, & iustis legibus obtem-  
perare. Cum igitur in hac Academia leges bono  
consilio quolibet semestri transferant labores in  
alios, ego iam uolens depono Magistratum, quem  
mibi singulari beneuolentia Calendis Maij man-  
dastis, & uobis gratiam habeo pro iudicio de me  
uestro, & pro hac beneuolentiæ significatione, &  
uicissim gratitudinem animi uobis præstabo, &  
ubi potero huic Academiae prodesse, quam ego  
quidem utiliter seruire Ecclesie Dei & studijs  
existimo, non deerit ei mea commendatio. Scio eti-  
am Illustrẽ Dominum patrem meum charissi-  
mum de hac Academia benè sentire, & eam liben-  
ter ornare suo testimonio, quod scitis apud bonos  
uiros plurimum autoritatis habere. Gratias au-  
tem ago filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, cru-  
cifixo pro nobis, & resuscitato, colligenti æter-  
nam Ecclesiam uoce Euangelij, quòd hactenus &  
has Ecclesias, & hanc Academiam seruauit, &  
eum oro, ut deinceps nos omnes protegat & gu-  
bernet

bernet. Nunc Deo iuuante ad electionem Rectoris procedite, qui magistratu fungatur sequente Semestri, quæ electio ut sit fausta & felix, faciat filius Dei, sedens ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus.

DIXI.

## RESIGNATIO

PVBLICA EIVS

dem.

**D**octissimi uiri, & cæteri huius Academiæ Magistri & Scholastici, bono consilio institutum est, ut labores magistratus in Academia quolibet Semestri transferantur in alios, & ut publicè exponatur, quis sit electus Rector, quia nosse uos Magistratum oportet, & scire consensu Senatus ei gubernationem mandatam esse. Expono igitur uobis, consentientibus suffragijs electum esse Rectorem Academiæ, qui proximo semestri hoc magistratu fungatur, Illustrum uirum HENRICVM BARONEM in STARHEMBERG, & ei adiunctum esse Vicerectorem uirum doctissimum VITVM VVINSHEMIVM, Doctorem artis Medicæ. Ac simul tibi illustris Baro Magistratum & signa Magistratus trado.

Scitis autem Deum immensa bonitate instituisse & tueri politicum ordinem, qui testimonium est

um est de Deo, & de presentia Dei in genere humano. Ac notum est uobis preceptum: Obedite non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam. Nullis praesidijs, nullis armis magis muniri potest ordo politicus, quam hac uoce diuinitus tradita. Quare hi, qui Deum timent, uere ament & uera reuerentia tueri ordinem diuinum studeant. Cogitent etiam, Deum uindicem esse contumaciae, & contumaciam horribile uulnus esse conscientiae, ac uere irasci Deum petulantius uiolantibus honestas leges.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut faciat, ut huius Rectoris gubernatio sit fausta & felix, & ut ipse sit Academiae Rector, & nos omnes gubernet, sicut utrunque monet uox diuina, sine auxilio Dei non esse felicem cursum hominum, sicut inquit filius Dei: Sine me nihil potestis facere. Et uere Deum opitulari inuocantibus eum, sicut inquit: Petite & accipietis. Item: Commenda Deo uiam tuam, &

spera in eum, & ipse faciet. Dixi.

Date die 18. Octobris.

Anno 1558.

ORATIO RECTORIS,  
 NOBILIS ET GENEROSI  
 Domini HENRICI BARONIS à Star-  
 hemberg, &c. quam habuit ad Illustrem D. A-  
 DOLPHVM Comitem in Nassau, &c. Ac  
 ad Senatum Academiæ, cum ei Magistratum  
 Scholasticum offerrent atq; de-  
 mandarent.

**M**agnifice domine Rector, Comes generose,  
 & mihi semper colende, clarissimi & orna-  
 tissimi uiri, Præceptores reuerendi atq; charissi-  
 mi, Quòd à me petitis, ut rectoris, in hac celebri  
 Academia munus, in hoc semestre suscipiam, æ-  
 gnosco uestram erga me beneuolentiam. Et pro hoc  
 uestro de me iudicio gratitudo mea uicissim erga  
 uos omnes ac singulos, totamq; hanc scholam con-  
 stabit. Sed cum modestiæ & uerecundiæ leges me  
 doceant, quàm impar sim huic officio sustinendo,  
 non mirum est, quòd iam perturbor, ac dubito  
 sanè quid respondeam. Neq; enim consilium uest-  
 rum reprehendere me aut improbare decet, &  
 tamen mea imbecillitas, & rerum imperitia mihi  
 non ignota est. Cum primum huc ueni, promissi  
 me huius Academiæ gubernatoribus obedientem  
 fore. Quare autoritatem uestram non facile de-  
 fugere possum.

Etsi igitur me miminà idoneum ad hanc func-  
 tionem esse intelligo, & ob eam causam merito  
 illam

illam detrectare possim, tamen ne uobis minus obediens, aut contumax esse uidear, quod Deo ac Redemptore nostro Iesu Christo duce & auspice felix faustumq; sit, uestræ uoluntati obtemperabo, fretus beneuolentia uestra, mihiq; certo persuadens, uos & candido de me iudicio hunc Retoratoris titulum atq; officium ad me detulisse, & in hac gubernatione, tum me, tum eum quem mihi adiuncturi estis, uestro consilio, præsentia, opera, & autoritate benigne adiuturos esse.

Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut per hoc Semestre tranquillitatem his regionibus concedat, & hanc Scholam nosq; omnes clementer gubernet, protegat & conseruet. DIXI.

ORATIO DE IMPE-  
RATORE LVDOVICO BAVARO,  
recitata à Georgio Cracouio Doctore Iuris, cum  
decerneretur gradus Matthie Colero Al-  
deburgenfi Doctori Iuris, Cal.  
Decembris.

NE fieri quidem in doloribus aliter potest,  
quin exempla queramus, an alij similia tulerint, & causas & exitus similium calamitatum in alijs consideremus. Omnia enim iudicant homines aut Regulis aut Exemplis. Sæpe igitur in hac publica  
blica



blica mœsticia uniuersam antiquitatem intueor,  
 & cum alios terribiles motus Imperiorum, tum  
 uerò Germaniam aspicio, in qua ut in alijs genti-  
 bus multæ seuæ mutationes acciderunt. Sed præ-  
 cipuæ ortæ sunt à Romanis Pontificibus, uidelicet  
 bella Henrici Quarti & Quinti, deinde Frideri-  
 ci Primi & Secundi. Post hos bellum Ludouici  
 Bauari & Friderici Austriaci. Ac in his tumulti-  
 bus non solum regni dilaceratio facta est, & de-  
 bilitata potentia, & cognati Principes, ut Cadmei  
 fratres inter sese dimicarunt: Sed etiam Ecclesiæ  
 deletæ sunt, & multæ pie mentes in dubitationem  
 & in exitium præcipitæ. Vtilissimum est au-  
 tem causas horum bellorum considerare, uidelicet  
 furias Pontificum, qui ut suam dominationem au-  
 gerent, fuerunt & Europæ & Ecclesiæ ælæso-  
 pes, Nam detectis fraudibus Pontificum multæ  
 partes doctrine illustrantur, & præmuniuntur  
 bonæ mentes, ne similibus erroribus fascinatæ præ-  
 reant.

Vt autem hæc historiæ iunioribus notæ fiant,  
 prodest alias aliam partem recitare, cum integræ  
 non possint uno tempore exponi. Nunc igitur de  
 Ludouico Bauaro dicam, de quo hæc disputata  
 sunt. Possit ne esse Imperator qui rite electus est à  
 Senatu Electorum, nisi accedat confirmatio Pon-  
 tificia. Contenderunt tunc Pontifices, Petro non  
 solum ministerium Euangelij mandatum esse, sed  
 etiam traditam summam potestatem politicam, nec  
 quen=

quenquam iuste tenere Imperium, nisi adsentiente Petri successore. Hæc ut indoctis persuaderentur uariæ præstigiæ mentibus atq; oculis hominum offuse sunt. Refutationes opposuerunt uiri docti, Dantes, Marsilius Patavinus & Occam Anglus, qui Heidelbergæ conconatus est. Discordia non tantum seditiones pariebat, & bella, sed etiam multas animas trucidabat, quia Ecclesiæ distrahebantur fulmine Pontificio. Interea Ludouicus

Et causaq; ualens, causamq; tuentibus armis, et si calumnijs, Pontificio fulmine & seditiosorum armis oppugnabatur, tamen uincit tandem, & inter exempla numerari potest, quæ ostendunt iustæ causæ Deum opitulari. Hæc præfatus sum, ut sciant iuniores ex hac Historia disci posse doctrinam de discrimine ministerij Euangelici & politicæ potestatis, & alias quasdam doctrinæ partes. Vt autem disputationum & occasiones & uarietas magis intelligi possint, historiam breuiter recitabo.

Pulcherrimus Senatus in genere humano est, Electorum consilium, & ut à Deo seruetur & gubernetur optandum est. Et sæpe profuit Europæ eius Senatus concordia. Sed tunc discordia nescio à quibus orta, magni incendij causa fuit. Verum suspicor à Iohanne Rege Boemiæ ortam esse, qui Austriaco inimicus erat. Anno igitur millesimo trecentesimo quartodecimo, ardente Cometa

Et minitante uenturas clades mense Octobri Electores, Moguntinus, et Treuir, et Iohannes Rex Boemiae, et Marchio Brandeburgensis VVolde-  
marus eligunt Imperatorem Ducem Bauariae Ludouicum, caeteri Electores in eodem confessu Coloniaensis, Palatinus Rudolphus frater Ludouici, et Rudolphus Dux Saxoniae, elegerunt Imperatorem Fridericum Austriacum.

Erant Ludouicus et Rudolphus Palatinus nati ex Amita Friderici Austriaci. Sed cur consobrinum fratri praetulerit nescio. Quam uero egregè tulerit Ludouicus fratris Rudolphi suffragationem, poena ostendit, quia intra biennium post electionem expulit eum ex patria. Expulsus Rudolphus fugit in Angliam, ubi exul post annos aliquot mortuus est, Coniunx eius Mechtilda filia Imperatoris Adolphi, cum filijs in Austria commorata est, ubi cum in exilio mortua esset, Ludouicus fratris filios ad se reuocauit, eisq; Heidelbergam et in Norico Ambergam, et alia quaedam oppida reddidit, sed haec aliquanto post acciderunt. Hoc autem loco commemorauit non solum breuitatis causa, sed etiam ut cogitetis quantum mali sit ciuilis discordia, cum hic auditis, initium bellorum fuisse, fratris expulsionem.

Fuit et Rudolphus Saxoniae Dux Consobrini Friderici Austriaci natus ex Hagne ipsius Amita, quorum nobis gratior sit recordatio, quia hic Rudolphus templum prius, quod in hoc loco fuit

fuit, ubi hæc oratio habetur condidit, & apud matrem filiam Rudolphi Imperatoris in hoc oppido sepultus est. Hunc propter cognationem & præstantissimi Aui Rodolphi Imperatoris memoriam prætulisse Fridericum non est mirum.

Mox autem post electionem coronatus est Ludouicus usitato loco in templo Aquisgrani, Fridericus Bonnæ minore comitatu. Ac statim in duas partes Germania scissa est, Vrbes Belgicæ & ceteræ usque ad Argentoratum adiunxerunt se Ludouico, & uicini principes, inter quos uirtute & autoritate antecelluit Fridericus Burggrauius Noribergensis. Vrbes Helueticæ quæ tunc Imperatoribus nostris parebant et pleræq; Rheticæ et Vlma Fridericum receperunt. Vterq; etiam externis auxilijs se confirmauit, Fridericus Hungaros accersiuit. Ludouicus Iohannem Regem Boiæ uirum industrium & bellicosum, qui odio Austriaci magis hunc adiuuit quam Hungari aduersarium. Tenuit Imperium Ludouicus annos tres & triginta, mortuus in uenatione anno Climacterico, Sexagesimo tertio ætatis suæ anno, pacata Germania, nam etsi non desinebat Pontifex moliri noua bella: tamen cum toties uicisset, & beneuolentiam multorum principum & ciuitatum iusticia & moderatione uictoriarum consecutus esset, quia & ἀμυνσιον omnium iniuriarum sanxerat, nemo ei bellum inferre tandem audebat. Fridericus anno octauo post electionem acie uictus

est & triennio in carcere retentus, nec diu postea uixit.

His octo annis uariæ uices fuerunt, dimicatum est aliquoties, & induciæ factæ sunt, & tentatæ pacificationes cum honesti omnes dolerent, & principes cognatos (Erant enim consobrini Ludouicus & Fridericus) sitire cognatum sanguinem, & cæteros pollui innumerabilibus parricidijs. Et statim initio recitare libet, quod in hac tota historia sapientissimè deliberatum est, Pacificatio sic instituta est, ut ueteri more collegæ essent pari autoritate, & uterq; nomen haberet Imperatoris, & omnia edicta, omnes literæ ederentur in scriptiõne utriusq; sicut M. Antonius & L. Verus collegæ fuerunt, & Deinde Valentinianus & Valens, & mox Gratianus & Theodosius. Hoc æquissimum consilium adparet à bonis, sapientibus & doctis uiris ortum esse. Sed furie Pontificiæ omnia pia consilia impediabant.

Pontifex Iohannes Vicesimus secundus contemnit se iudicem esse huius controuersie. Vt Luna à Sole lumen accipit, ita ordinatam esse hominum gubernationem, ut à summo Sacerdote Imperatorum autoritatem accipiat. Velle Deum caput esse summum in terris, Petri successorem, cui dictum est: Tibi dabo clauis regni cælorum. Item: Pasce oues meas. Hæc Pontificij oratores in Regum & in Principum consilijs Periclea grandiloquentia tonabant.

Abijt biennium post electionem sine dimicatio-  
 one. Sed anno millesimo trecentesimo sedecimo  
 Fridericus magnum exercitum ad oppidum Sue-  
 uie Eslingam adducit, quod ut aliæ urbes in-  
 fra Vlmam sitæ, parebat Ludouico. Accedit eo  
 & Ludouicus instructus copijs uicinorum prin-  
 cipum & auxilijs Bohemicis. Ibi cum utriusque ad  
 Neecharum accedunt aequatum, prælium subita  
 occasione comittitur, in quo multis nobilibus ui-  
 ris utrinque partim captis, partim interfectis, æquo  
 Marte discessum est. Hæc prima σύρραξις & do-  
 lorem sapientibus auxit, qui Cadmeam uictoriam  
 metuebant, si sæpius dimicaretur, & Duces con-  
 tantiores ad præliandum fecit. Itaque soluta obsi-  
 dione Eslingensi quadriennio nullum magnum  
 prælium factum est. Sed anno millesimo trecente-  
 simo & uicesimo Fridericus Austriacus maiorem  
 exercitum ad Argentorati uiciniam adducit, ubi  
 dissensio erat inter Episcopum & ciues. Episco-  
 pus Austriaco se adiunxerat, Ciues Ludouicum re-  
 ceperant, qui ne suis deesset ducit & ipse exerci-  
 tum ad loca uicina castris hostium. Vbi quia du-  
 ces utrinque nolebant haurire cognatum sangui-  
 nem, neutra pars ad dimicandum properabat. In  
 his quasi inducijs colloquuntur etiam multi ex u-  
 traque parte, & de pace, & de coniugijs delibera-  
 tur. Sed Ludouicus confirmatis suorum animis  
 Argentorati, abducit exercitum per saltum Hage-  
 noensem & ciuitates ad Rhenum munit præsidijs.

Rursus biennium sine praelio maiore abiit. Sed anno millesimo trecentesimo tertio Fridericus Austriacus decem millia Hungarorum & uiginti millia Austriacorum, in Bauariam ad Muldorff & Ottingam ducit, ubi peregrinae gentes oppida & pagos diripiabant & incendebant, & inermem turbam trucidabant, & honestas mulieres ac uirgines rapiabant. Iam non cum ciuibus, non procul à patria, sed cum Hungaris & uastationem barbaricam in media patria facientibus bellum erat. Non igitur contatur Ludouicus, ut antea, sed quantum potest, properat, accersit auxilia uicina, & armat suos. Veniunt ad eum Iohannes Rex Boemiae, Fridericus Burggrauius Noribergensis, & Henricus Comes Hennebergensis cum magnis equitum copijs ex uicina Francia & Rhenana ora collectis, Hunc exercitum ducit Ludouicus ad reprimendos Hungaros, quorum crudelitas maxime terribilis erat.

Expectabat autem Austriacus fratrem Lupoldum adducentem Rhetos & Sueuos. Eo magis properabat Ludouicus non eò tantum quia maius periculum futurum erat, si Lupoldus uir peritus rei militaris adduxisset Rhetos & Sueuos, quorum non erat contemnendum robur, sed etiam quia Hungari adhuc securi inter populationes & adhuc contemnentes hostem facilius opprimi poterant. Cum igitur accessisset ad hostes Ludouicus, nec cederet Austriacus confisus Hungarico  
robo-

robore, opponit Ludouicus Hungaricis legionibus Boemicas, & Equitibus Hungaricis Fridericum Burggrauium & Hennebergium cum Francicis & Rhenanis equitibus. Magna cædes utrinq; facta est, donec Hungari pulsi & dissipati sunt. Postea equites Austriaci aliquantisper defenderunt Fridericum, sed eo capto reliqua multitudo equitum & peditum fugit. Fratres duo principes Austriaci, Fridericus Imperator & Henricus capti sunt. Fridericum Austriacum cepisse dicitur Eques qui eum mox ad Burggrauium adduxit. Lupoldus audita fama cladis magno cum dolore & suas copias & reliquias que ad eum confluxerunt in loca tuta reduxit. Factum est hoc prælium die uicesimo octauo Septembris, Anno M. CCC. XXIII. ANNO post electionem utriusq; octauo. Henricus Dux Austriæ Iohanni Regi Boemæ traditur. Fridericus triennio captiuus retentus est in arce uicina oppido celebri Naumburg.

Post uictoriam Ludouicus pacem in Germania constituere conatus est, confirmat eorum beneuolentiam qui antea cum eo coniuncti fuerant & recipit aduersarios qui se dedebant, Sancit & omnia omnium iniuriarum, & Edicta de pace proponit. Etsi autem Lupoldus nec animum hostilem deponit, nec quiescit, tamen compesci facile poterat cum Germaniæ pars maior iam & tranquilla esset, & cum Ludouico coniuncta, Sed fu-



riæ Pontificiæ mox eo anno capto Friderico, Ecclesias distraxerunt. Ea calamitas maiorem dolorem & Ludouico & omnibus honestis attulit, quam antea Principum bellum. Conscientiæ enim in pluribus in dubitationem adducebantur. Facit Pontifex Iohannes Vicefimus secundus decretum, in quo Ludouico præcipit ut deponat dignitatem. Id nisi fecerit, & ipsum & omnes ei obtemperantes eijcit ex Ecclesiæ communionem, ut nominamus.

Initio obiecit Pontifex Ludouico hæc duo crimina, primum quòd Galeacio Mediolanensi opertulerit contra Pontificios, Secundum, quòd nondum confirmatus à Romano Pontifice ausus sit facere Imperatoris officia. Respondit initio moderate Ludouicus, se in electione iurasse, defensorem se fore Iustitiæ, Ideo Galeacium in causa iusta à se defensum esse, Deinde eodem iuramento se obligari, ut electus faciat Imperatoris officia. Ideo enim fit electio, ut certus sit defensor iustitiæ & custos pacis in omnibus regionibus, quarum defensio Imperatori commendata est, & cogi mandato diuino quamlibet potestatem suo loco facere ea quæ sunt sui officij. Nec potestatem gerendi gladij dari à Pontifice, sed à Deo, iuxta dictum: Reges gentium dominantur, Vos non sic. Ideo adfirmat se nec posse nec uelle Imperium à Deo datum deponere, donec Deus eum in hac militia seruire uelit. Hæc Responsio, si Pontifici non satisfecerit, se pro-

se prouocare ad legitimam Synodum. Hac responsione edita creuit contentio, his tantis disputationibus motis, unde sint Imperia, & quæ sit autoritas Episcopi, quæ sit uis confirmationis Pontificiæ. Pontifex impudenter scribebat Petro datam esse summam autoritatem non solum in ministerio Euangelij, sed etiam in Politica gubernatione. Quare nemo possit esse Imperator, nisi confirmatus à Romano Pontifice. De hac questione multa scripta utrinque non solum priuatorum hominum, qui aut illustrare ueritatem bono consilio studebant, aut Pontifici assentabantur, sed etiam Imperatoris & Pontificis edebantur. Pontifex Ludouicum atrocissimè damnat ac nominat Hereticum. Hoc disidium durauit annos quatuor & uiginti post captum Austriacum.

Tam longo tempore acciderunt & crebra uoluntatum mutationes, & cum alibi Pontificia autoritas anteferretur Imperatori, alibi defenderetur Imperator, dubitatio moderatos homines duriter cruciauit, & accedebant seditiones & latrocinia, quæ minus compesci poterant, cum autoritas Imperatoris labefactam esset. Inter hos tumultus tamen utcumq; & Imperij fastigium Ludouicus retinuit, & pacem in Germania defendit. Ludolphus Austriacus cum passim excitaret tumultus, nec tamen Ludouico par esset, tandem Argentorati mota mente extinctus est. Ita Deus acer-

rimos hostes Ludouici singularibus exemplis repressit.

Quarto igitur anno post uictoriam Lodouicus in Italiam proficiscitur, ubi toto triennio commoratur, pacem in Urbibus passim restituit, Romæ autem ad Cardinalium, Episcoporum & præcipuorum uirorum cætum, deinde & apud Senatuum in quo confessus fuit præstantium uirorum ex familijs Principum Columuensi & Ursina, & alijs, exposuit iniurias, quibus adfectus erat à Iohanne uicesimo secundo. Nec prius coronari uoluit, quam intellexisset eos probare & causam suam & uoluntatem erga Ecclesiam & Rempublicam; ostendebat iudicium illis permittere, quos iudicaret tanquam Synodum esse, quia eruditione, sapientia, & uirtute excellenter, & ipsorum sententias se pie secuturum esse. Adfirmabat amplecti se constanter doctrinam Catholicæ Ecclesiæ Dei, & se maxime semper optasse & optare communem concordiam.

Ad hæc & Ecclesiasticum collegium & Senatus responderunt, se quoque iudicare, Iohannem uicesimum secundum non recte fecisse, quod sine Synodo, & sine legitima cognitione in re tanta decreta fecerit, cumque scirent eum alienum esse à falsis opinionibus, uelle se cum ipso coniunctos esse. Docti etiam addiderunt manifestè falsum esse, Petro traditam esse summam potestatem politicam. Nec Carolum propter autoritatem Pontificiam

ciam dici Imperatorem uoluisse, sed quia iam Italianam, Germaniam, & Galliam tenebat, re ipsa Occidentis Imperium eum tenuisse, & tamen titulum non uoluisse admittere, nisi transactione facta cum ijs qui tunc titulum tenebant. Deus Imperia stabilis, & transfert, ut scriptum est, nec translatio illa mandata est Petro. Denique, etiamsi Pontificiam confirmationem accedere Pontifices uelint, tamen debent habere iustas causas, si confirmationem denegent. Hac tota controuersia sapienter disputata, fiunt Senatusconsulta & ab Ecclesiastico collegio, & à Senatu, ut corona Imperatoria coronentur Ludouicus & eius coniunx Margaritis, quæ Frisiae & Hollandiae domina fuit. Coronatio facta est ritu solenni Romæ die septimo decimo Ianuarij, anni millesimi trecentissimi octauj à Stephano Columnensi, qui & Princeps & Cardinalis erat excellens uirtute.

In his quæ hactenus egit Ludouicus, moderatio eius laude digna est. Postea Romæ creari iussit Episcopum Romanum Petrum Corbarium Franciscanum natum in agro Reatino ac nominauit eum Nicolaum Quintum. Is & sua fulmina contra Iohannem uicesimum secundum edidit. Hic rursus disputatum est: An ad Imperatorem ius pertineat adimendi dignitatem Pontifici et alium constituendi, & quo ordine hoc fieri debeat. Sicut Otto Primus, Pontifici cognita causa in Synodo dignitatem ademit. Nec dubium est Ecclesiam

debere munus docendi adimere falsa defendenti, idq; ordine faciendum est causa cognita. Sed Ludouicum optarim fuisse contentum iudicijs sapientum de ijs quæ antea egerat, præsertim cum nouum Pontificem non defensurus esset. Miser ille Nicolaus postea captus in Galliam missus est, ubi in carcere mortuus est. Sed animi irritati contumelijs difficulter frenare iram & uindictæ cupiditatem possunt, præsertim donec fortuna est indulgentior. Nec post reditum ex Italia in Germaniam res memoria dignas Ludouicus gessit, placare Pontifices qui fuerunt post Iohannem Vicesimum secundum conatus est. Sed Clementem habuit non clementiorem Iohanne uicesimo secundo, Quare & aduersus hunc edicta edidit.

Infeliciter etiam implicuit se discordiæ duorum regum Philippi Valesij & Eduardi Anglici, qui cum essent astutissimi, ambo eum ludificati sunt. Sed utriq; accidit aliquanto post hoc quod dicitur. Γερωιά αλώπηξ μόγις αλίσκεται, αλλά ὁμως αλίσκεται. Valesius etiam eo multum nocuit Ludouico, quod ab eo Iohannem Regem Boemiæ abstraxit, qui fuerat antea ἡγεστῆς ipsius in omnibus bellis. Disiunxit se à Ludouico & Treuirensis Elector, qui antea uelut pectus eius fuerat, & omnium consiliorum gubernator. Idem deinde incitator & adiutor est Carolo Boemico in petitione Imperij. Tales amicorum inconstantia etsi in quotidiana uita usitata sunt, ut

ut Plato inquit, ζῶον φύσει ἐν μεταβολῇ ὁ θεὸς  
 λ. Et Poëta dicit: Omnia uertuntur, certè  
 uertuntur amores, tamen in diffensionibus ciuili-  
 bus multo crebriores & sæuiores sunt uoluntatum  
 mutationes. Non tantum deseruntur amici, sed  
 etiam ex coniunctissimis fiunt crudelissimi hostes.  
 Quare talibus temporibus sapièntè nos commo-  
 nefaciamus de dicto Epicharmi Νῆφε καὶ μέμνη-  
 σο ἄνω: ἔγω, ἄρ' ἴρα τὰν τὰ φρενῶν. Nec fiducia  
 amicorum res non necessarias moueamus, nec de-  
 sertum ab amicis, frangamur animis in causis iustis  
 & necessarijs, sed à Deo petamus & expectemus  
 auxilium, sicut Propheta inquit. Pater & mater  
 reliquerunt me. Deus autem suscepit me.

Et si autem uiuo Ludouico & elegerunt &  
 coronarunt Electores quidam Carolum, tamen au-  
 toritas adhuc tanta fuit Ludouici & ciuitatum  
 beneuolentia erga eum tanta, ut armis Carolus ni-  
 hil tentaret. Sed post eius mortem exercitum ex  
 Boemia ad urbem Ratisponam primum adduxit.  
 Mortuus est autem Ludouicus, anno proximo post  
 Caroli electionem Quinto Idus Octobris, anno  
 millesimo trecentesimo quadragesimo septimo,  
 cum annos tres & triginta inter magnas aduer-  
 sationes, ita tenuisset imperium, ut in Iurisdic-  
 tione iustus, & suorum defensor non lentus esset. Et  
 quod mirum est in Viro magnanimo, cum tantis  
 contumelijs irritaretur, nemini tamen unquam bellum  
 intulit,

intulit, Sed semper tantum inferentes armis depleta  
 lit, qua ex re adparet eum fuisse, ut de Lacedemo-  
 nijs Thucydides inquit: *Εὐλασυχον καὶ δραστικόν*,  
 que uirtus in Principe quanta sit, non obscu-  
 rum est. Hæc breuiter de Ludouico Imperatore  
 dixi, cum quidem libenter & plura historica &  
 disputationes longiores adderem, si tempus pate-  
 retur.

Sed utilitatem huius historiae considerate, Mo-  
 net ut cogitemus in tantis miserijs humanae uitæ,  
 hoc quoq; sepe accidere, ut tristissimæ discordiæ  
 ab ambitione & alijs furoribus Pontificum &  
 Sycophantarum, qui Venales linguas habent, quæ-  
 les nunc sunt Staphylus, Canisius, Cressanicus &  
 similes, oriantur, in quibus hoc consilium rectissi-  
 mum & tutissimum est, quærere ueritatem in fontibus,  
 uidelicet in Scriptis diuinitus traditis, hanc  
 constanter amplecti, & consilia & actiones diri-  
 gere ad normam diuinitus monstratam, nec iræ  
 & cupiditate uindictæ ab ea norma abstrahi, nec  
 curiositate mouere non necessaria, simul autem à  
 Deo petere & expectare auxilium iuxta dictum,  
 Commenda Deo uiam tuam & spera in eum, &  
 ipse faciet. Eo etiam Historiae huius consideratio  
 prodest, quia ostendit discrimen ministerij Euangeli-  
 ci & potestatis Politicæ, quod notissimum esse  
 omnibus oportet, & sepe cogitandum est.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Ie-  
 sum Christum, ut nos quoq; in his tantis discordijs  
 publi-

publicis gubernet & protegat, & faciat nos  
 ὁ κενὴ ἐλεῶν & organa salutaria nostris anima=  
 bus, Ecclesie uniuerse, familijs nostris & posteri=  
 tati, Amen.

D I X I.

# ORATIO DE CON= GRESSV BONONIENSI CAROLI

Imperatoris, & Clementis Pontificis, recitata à

Paulo Dumerichio Hallense Decano

12. Februarij.

**M**ulta uestigia Deus impressit omnibus mun=  
 di partibus, ac præcipuè homini quæ testan=  
 tur esse Deum, & ostendunt qualis sit, & conuin=  
 cunt humanas mentes, ut fateri cogamur esse pro=  
 uidentiam, & nos Deo curæ esse, & quantum ma=  
 net ordinis, legum, sapientiæ, iusticiæ, & honestæ  
 societatis, non solis hominum consilijs aut uiribus,  
 sed à Deo conseruari. Hac scio uerissima esse, &  
 cum firmissima adfensione has sententias ample=  
 ctar, tota mente & toto pectore ab Epicureis,  
 Stoicis, & Academicis furoribus abhorreo, quo=  
 rum sunt illæ Cyclopice uoces, quibus contemptus  
 Dei significatur, etiamsi alij effrenatius, alij timi=  
 dius loquuntur. Nec uero tantum hac Physica  
 cogitatione Deum agnosco, sed etiam Ecclesie  
 doctrinam confirmatam resurrectione mortuo=  
 rum



rum, educatione israelitarum ex Aegypto, & multis mirandis liberationibus ueram esse credo, & Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem omnium rerum inuoco in agnitione & fiducia Mediatoris. Cum igitur certum sit aeternam Ecclesiam uoce Euangelij per filium colligi, gratias ago Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, qui cum Filio & Spiritu sancto caelum & terram & genus humanum condidit, quod hactenus clementer nos & docuit & protexit, & eum oro toto pectore, ut non sinat apud nos extinguere uocem Euangelij, sed semper inter nos aeternam Ecclesiam colligat, gubernet & protegat nos, Propter te Deus, propter te facias, ut recte agnoscaris & recte inuoceris.

Sicut autem usitatum est, & maxime decet in his congressibus dici aliquid de doctrinis, aut de uirtutibus, aut de honestis exemplis, dicam aliquid non alienum à studijs nostris, de Bononiensi congressu Caroli Imperatoris & Pontificis Clementis, quia haec contentio de re maxima, uidelicet, de Synodo, quae ibi fuit inter uiros excellentes sapientia, in historijs Caroli omissa est, quam ego quidem iudico maximè dignam esse memoria & consideratione posteritatis. Nec uero existimetis hanc narrationem fingi, ut Iunonis & Veneris altercationes in poemate, sed uere institutam esse hanc deliberationem, adhuc multi norunt qui interfuerunt, qui & sententiae summam, & uerba quaedam nostris

nostris amicis narrarunt, Qua de re sententia summam fideliter recitabo, etiamsi uerba omnia referre non possum, Nec dubito illos sapientes & eloquentes uiros tanta de re, multa prudentius & splendidius dixisse, quam ab ullo dici possunt omnium, qui nunc sapientia & eloquentia laude excellunt.

Vt autem hoc tempore potissimum hanc commemorationem adferrem, eo fit, quia recens mortuo Carolo, saepe cogito & de ipsius natura ac fortuna, & de ijs mutationibus, quae in Imperio & quae in Ecclesia acciderunt. Existimo etiam sanos homines haec debere recordari, ut considerent ea, quae diuinitus fiunt in Imperijs & in Ecclesia.

Quis fuit Regum multis seculis ad quem operandum toties Europae potentia coniuncta sit? In tantis motibus, tamen Deus hunc Principem mirabiliter texit, Rex Gallicus cum haberet magnum exercitum ad Ticinum à paruis copijs non solum superatus est, sed etiam captus. Deinde cum urbs Neapolis sex mensibus circumferretur, rursus fracta esse Caroli potentia existimabatur. Exercitus Gallicus ibi lue perijt. Haec & alia multa recordantes, praesentiam Dei in uictoris defensione cernimus.

Qualis uero in his congressibus fuit uictor? Res ostendit capto Rege Gallico, & deinde capto Pontifice nihil crudeliter eum fecisse. Haec eius moderatio laude digna est.

Scio

Scio fore qui mihi ut probrum obijcient, quod in hac commemoratione non uitupero Carolum. Ego uero qua fronte possum euentus diuinitus gubernatos uituperare? Et quæ moderatè ab eo facta sunt, neq; occultari possunt, neq; taxari, nisi quis calumniose ea deprauare uelit. Grati uero Deum celebremus, quod texit hunc Principem, & ita armauit autoritate & felicitate, ut Germania sub ipso mediocriter tranquilla fuerit. Quam ad rem initio etiam eius moderatio profuit, cum nollet Pontificiæ crudelitati morem gerere, sed flagitaret cognitionem controuersiarum, & uellet re deliberata Ecclesiæ saluti consuli. Ab ea moderatone quod postea discessit, & bellum Germania cum mouit, deploremus calamitatem huius ultimæ & deliræ senectæ mundi, & agnoscamus in omnibus partibus multum esse scelerum, propter quæ poenæ & uenerunt & uenient. Et oremus filium Dei, ut iustam iram leniat, & suæ ueritati opem ferat, & reliquias sui agminis seruet. Ipse Carolus etiam expertus est illa consilia uiolenta sibi non fuisse felicia.

Sed non instituo orationem de omnibus eius factis, De congressu Bononiensi dicam, qui ostendit eum initio à uiolentis consilijs abhorruisse.

Vera sunt hæc: Cum in Italiam anno tricesimo profecturus esset, deliberationes sibi scribi iussit de controuersijs Ecclesiæ, Responderunt quidam prorsus nullam mutationem doctrinæ, aut rituum

rituum faciendam, aut permittendam esse, nec ullam Synodum conuocandam esse, sed tantum armis delendos esse omnes & Doctores & Principes, qui labefactare presentem tranquillitatem auderent, quia plus mali sit in exemplo admissa mutatione, quam in morbo cuius emendatio instituat. Semel enim tentata mutatione curiosa ingenia inuitari ad maiores mutationes. Alij mitiores, responderunt Ecclesiam hæc horrida & Laconica consilia non decere. Primum, quia alius finis sit Laconicæ gubernationis, alius Ecclesiæ: In Laconica tantum queri pacis conseruationem, In Ecclesia anteferendam esse gloriam Dei. Cum autem manifestum sit, multas falsas opiniones, errore, superstitione, auaricia, in Ecclesiam inuectas esse, necessariam esse emendationem propter gloriam Dei: Deinde ne quidem fore pacem, quia semper futuri sint qui aliqua reprehendent, idq; tumultuosius facturos esse multos, quia sine publica autoritate, & sine consensu gubernatorum id agerent: Esse & manifesta libidinum scelera in coelibatu, quæ tolli Deus præceperit, quantum fieri à gubernatoribus possit.

Postremò Ecclesiam non debere Tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire iniusta onera. Athenis Solon ueterum legum asperitatem mitigauit & *σπλαγχνισμός* effecit. Sæpe & in urbe Roma & in Imperio mitigatæ sunt nexorum calamitates. Quanto magis Ecclesiam decet

lenitas, cui toties præceptum est, ut parcat infirmis. Deniq; cum tot Principes ad Synodum provocent, & quidem cum ubiq; terrarum boni & docti assiduis gemitibus petant Synodum, qualis Tyrannis esset sine ulla cognitione sæviciam exercere. Adiuncta sunt & exempla bonorum Principum, qui Synodos utiles Ecclesiæ conuocarunt, Constantini, Theodosij, Arcadij, Marciani.

Lectò utroq; consilio Imperator & naturam, & alienus à Tyrannide & non prophanus, re diu cogitata & disputata cum sapientissimis uiris, tandem prætulit sententiam iustam & mitiorem, & adfirmavit se in ea permansurum esse.

Cùm igitur uentum est Bononiam, instituta deliberatione de pace Ecclesiæ, cum consedissent Carolus & Pontifex, & hinc seniores Cardinales, Genutius, Farnesius & alij, inde Principes Hispanici & Italici astant, Mercurinus longa & grauißima oratione uoluntatem Caroli exposuit & Synodum flagitauit. Huic Clemens qui & sapiens & eloquens erat, & ad hanc tantam causam paratus uenerat, in hanc sententiam respondit: Credo ego te Carole Imperator, & tuo iudicio reuerenter sentientem de inuocatione Dei, & incitatum laudatissimorum Principum exemplis, bono studio Synodum flagitare. Sed hac de re in qua plurimum est periculi Ecclesiæ prior esse mea deliberatio debet, & præcipua autoritas. Nam ut non disputem subtiliter de meo iure, hoc constat,

constat, Synodum Nicenam iussisse ad Romanum Episcopum deferri controuersias Ecclesiarum occidentis, & nostram sedem indicere Synodos. Sæpe igitur ante hoc tempus & mecum ipse, & cum hoc Genutio & Farnesio, & alijs deliberavi, quomodo Ecclesie paci cõsulendum sit, prius ne in Synodo res disputandæ sint, an potius tantum armis opprimendi sint qui discedunt à decretis & opinionibus antea receptis. Qua de re cum censem non indicendam esse Synodum, initio peto, ne mihi aut opibus Romanæ sedis metuere existimes. Iohannem uicesimum tertium aiunt poenituisse, quod Synodum Constantiensem conuocauerat, cum eum ex summo fastigio deijceret. Ego uero expertus uarias fortune uices, nuper etiam captus cogito non solum honores & potentiam sed hanc, ipsam uitam quoq; fugacissimas umbras esse, & tràquillo animo cedam de hac statione quandocunq; me uel Deus, uel casus aliquis inde abstrahet. Deinde nec de opibus Romanæ sedis angor, quas attribuit nobis Ludouicus Caroli filius, et ut sumptus necessarios in gubernatione habeamus, et ut simus tutiores contra subita latrocinia. Sed uelim hac sarcina Romanũ Episcopũ leuari, si semper tales Imperatores haberemus, qualem te esse uideo. Non igitur Synodũ propter has stultas cupiditates fugio. Neq; hoc argumẽto moueor, qd magni faciunt Iurisconsulti: Valere debere rerũ iudicatrũ autoritatẽ, nec antea decreta nouis disputationib. labefactanda esse.

Ego uero si paci, si posteritati prodesset disputatio, nollem eam prohibere, ac tantum ad publicam pacem, & salutem posteritatis mea sententia directa est. Ostendam autem ex ipsis dogmatum generibus mei consilij causas.

Sunt dogmata partim non solum falsa, sed etiam manifestè absurda, qualia sunt Anabaptistica: Oportere facultates omnium communes esse, Magistratus, iudicia, legitimas pœnas, Imperia, res prorsus à Deo damnatas esse. Omnia fieri necessario etiam scelera, nullam esse libertatem humane uoluntatis, renasci homines sine uoce doctrinæ Enthusiasmis cogentibus repugnantem uoluntatem. Nuper etiam Samosatēnica mota sunt de filio Dei, quæ transformant Ecclesiæ doctrinam in Mahometicam. Ut autem ad incendium boni omnes restringendum mox cōcurrunt, sic concurrere omnes gubernatores oportebat ad opprimenda initia harum questionum, ac res pessimi exempli fuerit, de eis admittere ullam disputationem, Sedit Constantius Imperator, & præstigiatorum audire potuit hæc blasphēma dicentem in Synodo: Pater est ὁ θεὸς ὁ υἱός, filius est ὁ υἱὸς ὁ θεός, dissimilis est ergo filius Patri. Quæ fuit hæc leuitas, uel potius impietas, tales uoces audire? Te ne Carole existimem tam, non dico lentum, sed uecordem esse, ut fuit Constantius, ut sedens in Synodo, sine ingenti dolore & indignatione, talia Sophismata audireturus sis.

Secunda classis est, ut ita dicam, dogmata inextricabilia. De his cum tolli certamina non possint, melius fuerit ea non agitari. Tales sunt quæstiones de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio missæ.

Tertia classis est, dispensabilia Pontificis auctoritate, ut laxatio uotorum, concessio coniugij, emendatio superstitionis, in cibis, uestitu, & similibus ineptijs. De hac classe cum res sint manifestæ, nihil opus est disputatione Synodi. Si Reges & Principes petent harum rerum moderationem, sedes Romana uno edicto harum rerum omnium ἐπιτεμεύειν edere posset. Velim & ipse tolli superstitionem & morum uicia, quæ stultis legibus augentur. Sed ἀναρχία fieri nolo. Petatur à Romana sede emendatio, cui nolo adimi auctoritatem uetustæ Ecclesiæ sententia ei attributam.

His classibus dogmatum consideratis cause cernuntur, quare non sit conuocanda Synodus. Reliquum est igitur, ut Carole armis pacem restituas. Italia domita tuis armis, quieta est. Rex Gallie repressus, qui tecum non de Stoicis paradoxis, sed de Iudaicis superstitionibus Monachorum, sed de Imperio certauit. Quantò facilius Germaniæ partem non magnam comepesces, qua in re & posteritatem intuearis. Huius sedis auctoritate extincta sequetur ἀναρχία, in qua & laxatio discipline adferet barbariem in moribus, & petulantiam ingenio-



ingeniorum gignet sine fine noua dogmata, & moram in hoc incendio perniciosam esse cogitato.

Hæc cum dixisset Pontifex, iubet Carolus, quia decreuerat non discedere à sua sententia, Mercurinum refutare Pontificis orationem, sed cum dicere Mercurinus cœpisset, interpellat Pontifex, toruitate uultus & uocis, Tyrannidem ostendens, & his ipsis uerbis obiurgat Mercurinum: Quare tu ita mihi aduersari audes, & dominum contra me incitas?

Hic surgit ad dicendum Carolus ipse. Mirantur Principes quid iuuenis dicturus sit, & attentè audiunt omnes, Fuitq; hæc grauisimæ orationis summa.

Agnosco me iuuenem esse, & huius Mercurini & aliorum sapientum consilijs uti me fateor, & debere me sapientiores audire iudico, & de hac ipsa deliberatione, quam scio pertinere ad gloriam Dei, & ad salutem uniuersi generis humani cum multis collocutus sum, qui excellent sapientia, uirtute, & fide, qui sentiunt Ecclesiæ opus esse Synodo. Nec tu ignoras uoluntates omnium sapientum & bonorum in tota Europa, qui assiduè gemitibus Synodum flagitant talem quæ rectè gubernetur. Quare cum re diu deliberata & ijs argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis uelim conuocari Synodum, scito & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia donec uiuam, non discessurum esse. Tuum consilium

*filium speciosum & plausibile prophanis uideri potest, sed meum & iustum est & Ecclesie conuenientius, & si me non impederitis, Deo iuuante, spero generi humano salutare futurum esse. Nec illa terribili oratione tua abducor à sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia quæ nunc disputantur absurda sunt, nec sunt ullæ inextricabiles quæstiones in Ecclesia de rebus necessarijs. Audiui & ego mihi sepe Platonicum illud dici: ut parentum deliria ferenda sunt, ita in ciuitatibus & religionibus uitia quædam dissimulanda esse. Modus est eius rei & in Imperijs & in Ecclesia. Fundamentum certe in Ecclesia retineri oportet. Et hæc leges æternæ in Imperijs & in Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum inuocationes & libidinum confusiones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quædam inuocationes contumeliosæ contra Deum. Et turpitude libidinum in conspectu est. Nec tantum horum malorum emendatio Synodum requirit, sed uniuersæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod una uoce omnes gentes in omnibus templis sonent. Scis enim nunc de multis magnis rebus, etiam in tuis castris dissonos clamores esse. Cum sparserit hæc ætas quædam absurda, opponat Synodus illustria & firma testimonia, ut & hoc tempore, & in posterum minus decipiantur homines, moniti argumentis à Synodo ostensis.*

Illam autem uox Pontifice indigna est, quod alicuiusmodi inextricabilia esse. Deus immensa bonitate se patefecit, & uult nos amplecti doctrinam quam tradidit, quæ si esset ambigua, inanis sonus esset. Placet mihi autem & Theodosij consilium qui iussit in Synodo quæri, & profertur testimonia sincera uetustatis. Certè enim Ecclesiam doctrinam libenter audio, ut Samson monuit: Si non arasseritis uitula mea, non inuenissetis.

De dispensatione quam offers, quanto hæc fiet commodius in Synodo? Maior enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιεικείαν recipiant. Et illo dicto Heroico delector: In communi periculo sit communis deliberatio. Nec desistaturus sum meo officio rebus cognitis. Et ut cognitio possit ordine fieri, ueterum Imperatorum exemplo adfuturus sum, & quantum potero perspicaciam, ut hæc ueteres leges iustissimæ seruentur: Vtraque pars pariter audiatur. Et, Sententiæ non Tyrannicis arbitrijs ferantur, sed iuxta leges, uide licet iuxta doctrinam, quam certum est à Deo traditam esse.

Nunc quòd iubes ut sine diiudicatione bona & mala pariter deleam, id nequaquam faciam. Nolo enim ex Ecclesia tollere legitima iudicia & constituere Tyrannidem. Declarauit autem antea non obscure in bello, meam obseruantiam erga Ecclesiam & erga sedem Romanam & erga te, quam & dcinceps præstabo.

Hac oratione audita, & Pontifex & omnes Principes ingenium & magnitudinem animi in Carolo mirati sunt. Ideò ne magis incenderetur Carolus placidè respondet Pontifex, se cum suo Senatu rursus deliberaturum esse.

Hac Bononiensis actio ostendit tunc quidem Caroli moderatam fuisse uoluntatem, cui congruit & hoc, quòd postea in conuentu Augustano confessionem Ecclesiarum nostrarum sibi exhiberi iussit, quæ omnia cogitemus ita gubernante Deo facta esse, ut Euangelij doctrina & illustraretur & propagaretur, quam propter gloriam Dei, & propter salutem nostram studiosè discamus, & agnoscentes immensa Dei beneficia, grati eum celebremus, & ab ipso asiduis uotis petamus, ut nos in tantis confusionibus generis humani clementer gubernet, & protegat, nec sinat nos implicari erroribus, & ex Ecclesia in tenebras ruere.

Te fili Dei Domine Iesu Christe, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos, inuoco ut nos doceas, regas & serues. Vera te loqui non dubito, uocantem omnes ærumnosos. Hac tua uoce fretus ad te accedo, & peto & expecto à te auxilium & salutem.

DIXI.

PETITIO AD  
DECANVM.

**R**euocat mihi in memoriam hæc consiliorum  
 Caroli Imperatoris commemoratio, eas quas  
 sepe habui de Augusto Cesare, & hoc ipso Caro-  
 lo, cogitationes. Multa reperio in his duobus Prin-  
 cipibus similia, & quanquam potentia utriusq;  
 dispar, & rerum ipsarum, ac temporum conditio,  
 sub utroq; fuit dissimilis: Tamen in res motas iam  
 & turbatas incidit uterq;. Naturarum similitu-  
 dinem, geneseon congruentia indicat: Vterq; enim  
 Capricornum Ὠροσκοῦς ὄντα, uterq; cum Satur-  
 no Martem coniunctum habuit. Inde non obscura  
 est causa similitudinis, morum, consiliorum, con-  
 dituum, euentuum, rerum gestarum, uarietatis for-  
 tunæ. Redijt in urbem Romanam Augustus ex scho-  
 la Rhodia, à literis ad imperium, post interfectum  
 C. Cesarem, à quo fuerat adoptatus adolescens ad-  
 modum, & ut cæsis Hircio & Pansa Consulibus  
 succederet, creatus est Consul annum agens deci-  
 mum nonum. Eundem ætatis annum agens Caro-  
 lus accitus est Electorum suffragijs ad Imperij  
 Romani administrationem. Magna bella gessit u-  
 terq; terra mariq; pari propemodum euentu, &  
 ijsdem fortunæ uicibus, contra domesticos magis  
 quam exteros hostes. Varijs fuit uterq; petitis  
 aduersationibus & insidijs. Vtriq; præstantissi-  
 mos & sapientia et uirtute bellica uiros Deus ad-  
 iunxit.

iunxit, quorum consilijs, ductu, felicitate ac successibus res tantas gesserunt, Augusto Agrippam, Meccenatem, Drusum & alios. Carolo, Mercurinum, Granuelum, Antonium Leuam, & Fronspergium. In utroque sapientia fuit excellens etiam admodum adolescente, & insignis post uictoriam, moderatio. Ferunt Nicolaum Schonbergium Cardinalem Capuanum cum perfunctus Legationibus apud tres Reges, Carolum Hispaniarum, Franciscum Galliarum, & Henricum Angliæ, rediisset Romanam, & interrogatus esset à Cardinale S. Georgij, Quæ reperisset in illis tribus regnis memoratu maxime digna, respondisse concinne admodum & breuiter. Reperisse se in Gallijs pulchrum Regnum, in Anglia pulchrum Regem, fuit enim forma Henrici Regis eximia: In Hispanijs uero sapiens consilium Regis. Quod et de ipso Carolo, & de Senatu Regni intelligi uoluit: fuit & studium in utroque serium res commotas & fluctuantes componendi, & cum reparata & firmata pace, quam disidia dissoluerant, constituendi status alicuius duraturi ad posteros, & profuturi tranquillitati atque incolumitati imperij.

Deliberat Augustus de forma Reipublicæ cum duobus sapientissimis uiris Agrippa & Meccenate, utrum restitueret ueterem formam Reipublicæ, quæ erat ex Aristocratia & Democratia mixta, an illam prorsus abolitam præstaret commutare in Monarchiam. Extant deliberationis illius capita apud  
Dionem

Dionem exposita longis orationibus, in quibus multa disputantur grauiter & sapienter in uestramq; patrem: Ita de dirimendis & sopiendis conuouersijs Ecclesiasticis & emendandis Ecclesijs Synodi legitime iudicio, deq; instauranda concordia, & ante bellum Germanicum & post, cum sapientibus multa contulit Carolus in omnes partes accuratè pensitata. Sed pari propemodum successu tentauit uterq; quod diu multumq; & sapienter cogitaret, & desperatione tandem consilijs abiectis ab incepto destitit, & sese ceu remouit à Reipublicæ administratione, Augustus petita Nola, Carolus monasterio, & in mœsticia ac solitudine mortuus est uterq;.

Exemplo est uterq; quam sit infelix humana sapientia, & quam irrita prorsus, si non regatur diuinitus.

Eo libentius autem ego quoq; Caroli Imperatoris mentionem facio, quòd inter tantas occupationes gubernationis, et bellorũ, omnes scimus eum & amasse, & intellexisse, & coluisse, atq; exercuisse has nostras artes Physicas & Mathematicas, sic ut nec medicationibus uteretur, quas non ipse prius considerasset & examinasset, & de doctrina Geographica atq; Astronomica plura nosset, quàm multi alij his studijs præcipue dediti, & in honore haberet præmijsq; adficeret, qui harum disciplinarum cognitione excellerent. Hoc iudicio de nostris artibus tanti Imperatoris mouean-  
tury

tur adolescentes, ut studia Philosophiæ magni faciant.

Cum autem & hos triginta duos honestos & doctos viros more Scholæ auditos, compererimus in Philosophia præclaram nauasse operam, & speremus eos usui futuros & ornamento ac præsidio Ecclesiæ Christi & Reipublicæ, æquum censeo, ut ijs honoribus qui autoritate Imperatorum doctis attributi sunt, Collegio nostro ornentur, Quare tibi eos Doctissime domine Decane & procancellarie commendo, & peto Collegij nostri & ipsorum nomine, ut titulum eis & gradum Magisterij Philosophici conferas. Quo beneficio ipsos tibi in perpetuum deuincias. Oro etiam Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Ecclesiis harum regionum & hanc scholam nostram clementer tueatur ac protegat, & seruet lucem doctrinæ suæ ac studia honesta, & nos omnes regat ac custodiat.

DIXI.

## QVAESTIO.

Scitis hos publicos ritus ad exercitia doctrinarum pertinere & bono consilio non abolitos esse. Quare ut honestæ consuetudini parerem, nolui refragari autoritati præceptorum, qui me in hoc loco dicere iusserunt. Vos etiam oro ut tribuatis hoc honestæ consuetudini, ut me non grauati



uatim audiatis, cum quidem nec materiam ingratis  
tam adferre decreuerim, nec prolixitate orationis  
uos diu detinere uelim. Questionem usitato more  
propono: Recte ne Aristoteles dixerit, uirtutem  
esse habitum in uoluntate ex crebris actionibus  
paratum. Ut enim dubitem hæc causa est. Quia  
etsi intelligi potest, quomodo noticiæ sint habitus,  
quas scimus esse imagines crebro ac fortiter im=  
pressas cerebro, tamen ubi sint, & quid sint illi ha=  
bitus quos uult Aristoteles nominari uirtutes,  
monstrare difficile est. Puer discit literas, quas  
postquam sepe multumq; aspexit, imagines im=  
presse sunt cerebro, quæ sunt noticiæ & habitus.  
Quid simile de uirtute dici potest? Ecclesia pla=  
nius nos docet, quæ uirtutem ait esse motum, seu  
flammam Spiritus sancti iuxta dictum: Qui spi=  
ritu Dei ducuntur, hi sunt Filij Dei. Item fructus  
spiritus sunt, Dilectio, beneficentia, & alij boni  
motus. In Ioseph castitas dici potest, uel ipse spiri=  
tus sanctus gubernans cogitationes & cor ipsius,  
uel hi effectus in corde. Possum et de Heroica uir=  
tute dicere, in Scipione fortitudinem & castita=  
tem esse diuinos motus, ut recte dixit Seneca: Nul=  
la magna uirtus sine Deo est. Video etiam ubi &  
quid sint σοφῶν, quæ sunt in naturis non mon=  
strosi adfectus seu motus, qui in eis nascuntur,  
quibus ad amplectendam similem naturam ten=  
dunt, ut Parentum amor erga Sobolem. Tales  
σοφῶν, non sunt illi Aristotelici & ac=  
cersiti

cerfiti habitus, sed nascuntur in nobis, ut in Mag-  
nete uis attrahens ferrum. Et latè hoc patet in  
rerum naturis ὁμοίω ὁμοίω εἶλον, quod Cice-  
ro splendidissime dicit: Nihil rapacius est simili-  
lium quam natura. Deniq; ubi & quid sint uitia  
monstrari & conspici potest. Sunt enim ardentes  
affectus qui erūpunt, cū non frenātur cogitatione.

Frenatur ira in Achille, ne Agamemnonem in-  
terficiat. Non frenatur in Alexandro interficien-  
te Clytū. Vterq; tamen uiciosus & turpiter ira-  
cundus est. Iam ex contraaio argumentum sumo,  
Cū uicia sint incendia adfectuum errantium,  
uirtus igitur nihil erit, nisi sit adfectus ardēs cum  
ratione congruens. Id si ita est, euancescunt Ari-  
stotelici habitus, & agnoscenda est ingens infir-  
mitas humane nature, in qua aut nihil aut ualde  
parum est uirtutis, & reditur ad illam semper a-  
gitatam & nunquam explicatam questionem a-  
pud Philosophos ἐῖ δὶδ' αὐτὸν ἢ ἀρετῆ.

Quid igitur si uirtus tantum diuinus motus  
est, est ne libertas aliqua uoluntatis? Possunt ne  
homines non renati facere honestas actiones? Et  
quæ res est disciplina? Effici ne illud nostra adsue-  
factione potest, quod Plato inquit: θυμοειδὴ μὲν  
δὴ γὰρ πάντα ἄνδρα εἶναι, πρῶτον δὲ ὡς ὅτι μά-  
λιστα. Harum maximarū rerum considerationem  
in uita et in Ecclesia necessariā esse manifestū est.  
Quare explicationē peto à Reuerendo uiro Paulo  
Ebero pastore Ecclesie nostre, quæ scio de humana  
infir-

infirmirate cogitantem assiduis gemitibus auxili-  
um Dei sibi & alijs petere. Ego quoq; de hac nos-  
tra infirmitate cogitans, oro filium Dei ut me gub-  
ernet, cum quidem sit nobis factus sapientia, iustitia,  
sanctificatio, & redemptio.

D I X I.

## RESPONSIO.

EST omnino gloriosè dictum à Platone: Lib. 5.  
νόμων. θυμοειδὴ μὲν δὴ καὶ πάντα ἀνδρα  
εἶναι, πρᾶτον δὲ ὡς ὅτι μάλιστα. Sed hoc ipsum  
est quod ipse nominat εὐχαίης ὁμοία νομοθετεῖν.  
Rara est hæc uirtus, & est aut in sanctis motus  
accensus à Spiritu sancto, aut in uiris Heroicis  
diuinitus creata magnitudo animi simul & excelsi  
& placidi. Cæterum illa Aristotelica uirtus est  
ualde languida. Nam etiam si quid sunt illi habi-  
tus, sunt tenuia uestigia in corde, impressione spira-  
rituum facta, ut relinquatur odor in manu, con-  
tactu rei bene olentis.

In noticijs facilius est cernere habitus, impri-  
muntur cerebro imagines, ut cum sigillum cere  
imprimitur. Hæ imagines sunt expressiores &  
durabiliores.

Seposita autem disputatione de Aristotelicis  
habitibus, hoc uerum est, honestas actiones fieri  
posse, quæ sunt rectio locomotiue. Potesi Alexan-  
der

der abstinere à coniuge & filiabus Darij, id est, regere locomotiuam, ne eas attingat, etiamsi intus incaluit, ut fatetur.

Hanc libertatem, uult Deus reliquam esse, & seuerissimè præcipit externa membra lege regi, & hanc disciplinam nominat Paulus opera legis, quòd fiant cogitatione legis ciente nervos, etiamsi cor habet contraria incendia. Ac uiolationem disciplinæ Deus seuerissimè punit, ut multa tristitia ac tragica spectacula quotidie ostendunt, bella, cædes, uastationes, morbi & alia multæ calamitates. Sic enim inquit uox diuina: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit, Et de confusione libidinum: Omnis anima quæ fecerit has abominaciones, eradicabitur.

Has horrendas poenas intueamur, & discipline uiolationem uitemus. Magna est autem nature infirmitas, & insidie Diabolorum sunt asidue. Etsi igitur est aliqua libertas, tamen facile uincuntur homines. Sciant autem renati auxilium à filio Dei petendum esse, qui inquit: Orate ne intretis in tentationem. Iungantur hæc: diligentia & inuocatio, nec sit homo ut truncus. Quare Iohannes inquit: Natus ex Deo custodit se, & Diabolus non attinget eum, uidelicet, intentum  $\nu\omicron\upsilon\lambda\lambda$   $\theta\rho\omicron\upsilon\omega\tau\alpha$   $\xi\epsilon\upsilon\tau\omicron\upsilon\pi$ . Hæc uerba diligentiam præcipiunt.

Hæc nunc breuiter de hac proluxa questione dico, de qua sepe alias refutamus Stoica & Manichea

nichæa deliria βλακῶδη, uosq; adhortor, ut aſiæ  
 dua precatione uos confirmetis, & promiſſionem  
 uniuersalem ad uos pertinere ſtatuatis, in qua ſi  
 lius Dei uerax legatus, omnes ad ſe uocat laboran  
 tes & oneratos.

D I X I.

ORATIO RECITATA  
 A VITO VVINSEMIO, ARTIS  
 Medicæ Doctore, die 25. Maij, cum gradus Do  
 ctoris in arte Medica decerneretur uiro  
 clariffimo Iohanni Moningero  
 Onoltzbacenſi.

**A**Nte annos centum & ſex, die uiceſimo no  
 ano Maij, captam eſſe urbem Conſtantinopo  
 lim ſcribitur, quæ multis ſeculis uere urbium to  
 tius generis humani Regina fuit, & non ſolum  
 arx Imperij, ſed etiam doctrinarum & Eccleſiæ  
 præcipua ſedes.

Eius tantæ rei dies cum inſtet, ac menti meæ  
 uelut oculis obuereſcentur illa horribilis expu  
 gnatio, cædes Imperatoris, & magnæ multitudinis  
 nobilium uirtute præſtantium, ciuium, Matronar  
 um, pudiciſſimarum uirginum & infantum, libi  
 dinum confuſiones, literatorum trucidatio, do  
 ctinarum interitus, & contumeliæ Chriſti, quæ  
 poſtea ſecutæ adhuc in ea urbe dominantur, ne  
 potui

potui quidem sine dolore esse cogitans & de illo tristissimo exemplo, & de horribilibus ruinis omnium Imperiorum, quibus ostendit Deus iram suam aduersus generis humani scelera, & de multis causis, quibus Germania similes pœnas attrahit.

Qua in cogitatione tempora etiam considero. Instauratio à Constantino facta collocatur in annum à nato Christo ex uirgine trecentessimum quintum, qui fuit ante mortem Constantini quintus annus. Excidium incidit in annum Christi millesimum, Quadringentesimum quinquagesimum tertium. Interuallum est Anni mille centum & octodecim, Congruit igitur fere duratio urbis Romæ usq; ad Totilam, qui eam destruxit. Ac singulari beneficio Dei multis seculis hæc urbs Ecclesias in Asia & uicina Thracia & Græcia defendit, donec paulatim propter hominum delicta longius in occidentem armis Turcicis Mahometica impietas inuecta est, & hanc ipsam arcem Imperij oppresit, sicut ante Constantinum prædixit Methodius Lyciæ Episcopus.

Cum autem uideamus post id tempus quæ ruine in Græcia & Pannonia secute sint, & latrocinia Turcica in uestibulo Germaniæ conspiciantur, de posteris nostris cogitemus, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, Ego uobiscum sum, usque ad consummationem seculi, precemur ueris genitibus, ut & nos seruet, gubernet,

bernet, & protegat, & in his regionibus semper  
 æternam Ecclesiam sibi colligat, & propter suam  
 gloriam posteritati & familijs nostris tribuat Ec-  
 clesias recte inuocantes ipsum & politias, medio-  
 cres & honestam disciplinam & doctrinarum lu-  
 cem, & in his regionibus barbaricas uastitates fie-  
 ri non sinat.

Credimus te, fili Dei Domine Iesu Christe, in-  
 duisse massam nostræ naturæ, ne funditus totum  
 genus humanum periret, Et te, qui dixisti, Ego  
 sum uitis, uos palmites, inuocamus, ut nos & po-  
 steros nostros tibi inferas, ut sint palmites tui, sem-  
 per te celebrantes. Idem uos omnes cum omnibus  
 pijs in hoc congressu precemini.

Vtrumq; autem præcepit filius Dei, inuocatio-  
 nem & studia doctrinæ, ac de studiorum negle-  
 ctione comminatio tradita est, quam audientes  
 cohorrescere omnes debent, Quia scientiam repu-  
 listi, repellam te, ne sacerdotio mihi fungaris.

Cum igitur necessaria doctrinæ studia esse scia-  
 mus, suo quisq; loco conseruationem doctrinarum  
 adiuuet.

Et si autem artes multe & diuersæ sunt, tamen  
 una est omnium Regina, Sapientia Ecclesiæ tra-  
 dita, ad quam cognoscendam literis, linguis, & ar-  
 tibus alijs opus est.

Ideo cum uos ad dicendum hortamur, necessè  
 est de pluribus artibus dici, & societas quedam  
 est doctrinarum, ut singulæ multa ab alijs mutua-  
 entur,

entur, sicut singulæ aliquas uitæ partes regunt,  
 & tamen uita omnes ordine complectitur.

Dicimus autem aliàs de alijs partibus, nunc  
 usitatam adhortationem de consideratione huma-  
 ni corporis, seu de Anatomica doctrina propter  
 iuniores repetere decreui, nec pudet eadem, quæ  
 sepe auditis, commemorare.

Quotidie enim in uestra inuocatione hæc co-  
 gitare debetis, Cum incipis precationem, cogitare  
 debes, quid inuoces, quis & qualis sit ille creator,  
 quem alloqueris, quæ de sese testimonia nobis tra-  
 diderit, in operibus creationis & in teipso, & de-  
 inde in alijs patefactionibus & missione filij.

Conuincimur autem, ut statuere cogamur, esse  
 Deum creatorem, & talem esse, uidelicet mentem  
 eternam, sapientem, ueracem, bonam, beneficam,  
 iustam, castam, liberam, uindicem scelerum.

Cum aspiciamus immutabiles noticias nobis in-  
 sitas, quæ recta & non recta discernunt, & ha-  
 bent in corde uindicem dolorem cum uiolantur,  
 in his noticijs cum discernis bonum et malum, dis-  
 cis Deum procul à rebus malis omnibus seu ungen-  
 dum esse. Non igitur sit ingrata repetitio commo-  
 nefactionum de utilitate doctrinæ Anatomica.

Nec uero iam eos alloquor, qui se totos arti  
 Medicæ dedunt, ut eam exerceant, Hi sciunt a-  
 mentiam esse uelle Curationes instituere sine con-  
 sideratione loci affecti, nos & positus, & origi-  
 nes & propagationes, & qualitates, & συμπα-



τοῦ Δεῖαις singulorum membrorum nosse, necesse est, Scire etiam qui sint familiares singulorum morbi, quæ propria remedia, qua in re etiam illustre testimonium prouidentiae diuinæ cernitur. Deus prouidens quibus rebus uita hominum tuenda esset, sparsit in uniuersam terram, uelut in hortum & frumenta ad uictum necessaria, & remedia, in quibus bonitas & sapientia conspiciuntur.

Nam ut fidelis & industrius Myropola distribuit in officina singulorum morborum remedia, ita Deus singulis membris certa auxilia accommodauit, quorum omnium distinctionem & usus nosse medicos oportet.

Sed hanc orationem non ad Medicos institui, sed ad coetum iuniorum, qui discunt ea doctrinarum initia, quæ omnibus in uita necessaria sunt.

Affirmo autem prorsus omnibus hominibus ad curam tuendæ ualitudinis necessariam esse cognitionem aliquã doctrinæ Anatomicæ. Ut cautio adhibeatur, ne membra ledantur, & ut morborum initijs cito occurrere possis, necesse est & positus eorum & naturas aliquo modo intelligere.

Meminimus hic anno ante mortem, Reucrensium uirum Doctorem Martinum Lutherum subito καρδιωγμῶς periculose egrotasse. Cumq; ad eum uenisset amicus, cui sciscitanti, essent ne cruciatus in calculi uijs, respondit ille, supra eos uiuas esse, & cor peti, & cruciatus sauiore esse, quam sint, qui à calculo oriuntur, & λαποδυμίας impendere,

pendere, Hic metuens cordi arteriam tangit, nihil  
 ibi mali significabatur, cerebrum erat incolume,  
 nihil erat Apoplecticum, erat & cor incolume,  
 & cruciatus non erant in calculi regione, sed cor  
 premebatur. Ex loco igitur ratiocinabatur hic  
 motum malorum humorum in orificio uentriculi  
 esse, & ortum à frigore, erat enim tunc horrida  
 bruma, lubet igitur mox offulam afferri calidam,  
 & dari uinum non musteum sed uetus, Ita, Deo  
 iuuante, mox repressi sunt cruciatus illi, & osten=  
 dit euentus in coniectura non fuisse erratum, ita  
 sepe magna pericula subito incidunt, quibus nisi  
 arte mox occurras, prius, uincit naturam morbus,  
 quam accersi medicus potest. Quoties scholastici  
 incidunt in periculosas insomnias, alias ex crudi=  
 tate, alias ex lucubrationibus, alias ex animi dolo=  
 ribus, Cum cruditas est causa, uentriculus fouen=  
 dus est, cum cerebri aestus prior causa est, longe  
 alijs remedijs utendum est. Hæc commemoro,  
 ut cogitetis singuli uobis opus esse ad tuendam  
 ualeitudinem, & nosse membrorum distinctio=  
 nes, & considerare, quantum fieri potest, qui=  
 bus rebus singula seu ledantur, seu iuuentur.  
 Ac manifestum est multos interire hanc consi=  
 derationem negligentes. Quam multi stolidi in  
 itimeribus extinguuntur, ubi medicos habere non  
 possunt, quia nihil auxiliij opponere possunt,  
 cum locum affectum ignorent. Exempla mul=  
 ta narrare possem, Profecto enim ualde errant,

qui nihil interesse inter Marinos scopulos & membra humani corporis existimant, nec curant ullam tuendæ ualeitudinis, nec diligentiam adhibent. Adfert hoc quoque doctrina anatomica, ut consideres, quàm fragiles sint machinulæ corporis humani, in quibus & fons est uitæ & præcipuæ actiones fiunt, Nutritiones, motus sensuum, & motus locales, cogitationes, & recordationes, Quam molle est cerebrum? quod tamen est domicilium plurimarum & maximè admirabilium actionum. Cor etsi septum est certis Thalamis, tamen uel exiguo halitu uenenato subito interfici potest. Pulmo, epar, uentriculus, splen, quàm uarias et periculosas offensiones experiuntur. Quid usitatus, quàm extingui homines lacerato Epate, cum aut in æstu auidius biberunt, aut alioqui plusculum ingurgitarunt. Quam faciliè rumpuntur uenæ & nerui?

Vidi robustum adolescentem, & quidem ingenio præstantem uehementiore saltu rupta uena in pectore statim extingui. Aspiciatur ergo membrorum fragilitas, ut diligentia in nobis excitetur ea tuendi, & uirtutes assumantur, quæ sunt moderatio in cibo, potu, laboribus, & omnibus motibus. Non contemnite dictum Pauli, quod iubet corpus honore affici. Non tantum foueri iubet, ut fouemus pecudes, sed præcipit maius officium, ut corpora nostra honore afficiantur, honos autem tribuendus est propter usus diuinos. Erat homo  
post

post creationem ante lapsum domicilium Dei, fulgebat in homine Deus ipse accendens lucem, quæ uerè agnoscebatur, & flammæ in corde sparserat, quæ motus tales ciebant, qualis est ipse Deus. Et si autem in lapsu his tantis bonis orbatî sumus, tamen in ipsis primis parentibus in conuersione restitui hæc bona coeperunt, & fit idem in omnibus, qui uerè ad Deum conuertuntur, Vt filius Dei λόγος & alloquitur primos parentes, & admirandam & dulcissimam promissionem ex sinu æterni patris profert, & rursus fulget in eis, & effundit in corda Spiritum sanctum, ita conuersi nunc quoq; sunt domicilium Dei, & corpora nostra sunt organa multarum excellentium actionum diuinarum, ut in castitate & tota gubernatione Ioseph, & prælijs Dauidis & similibus. Vt autem omnes modesti homines cogitant magna scelera esse, Violare templa Dei, & aras hominum manibus extructas, ita longe uerius magna scelera esse statuamus, Viua Dei templa, in quibus uere Deus habitat, lucet, et se generi humano ostendit, uiolare. Necessaria est autem ad curam conseruationis consideratio membrorum, ac ut intelligas, quid Deus in singulis propriè agat, necesse est eorum discrimina nosse, Lucent in cerebro noticia, Ardent in corde piorum affectuum flammæ, Armantur nerui, ut externa membra cieant, hæc ut aliquo modo agnosci & discerni possint, membrorum & actionum distinctiones aliquo modo sciri necesse

est, Dixi de cura tuenda ualeitudinis multo breuius, quam res poscit. Nunc & de altera utilitate dicam, quæ ad omnes homines pertinet, ad uiros & mulieres. Neesse est aliquo modo intelligi discrimina potentiarum animæ, de quibus & Adam sub frondibus pomiferæ alicuius arboris sedens concionatus est, explicans dictum, Sub te erit appetitus tuus. Nunquam hac doctrina uera Ecclesia caruit, sed aliàs magis aliàs minus perspicuè tradita est: Nunc quoque uidetis, quanta sit insulsitas multorum, qui cum de libero arbitrio disputant, non discernunt potentias, & uerè sunt ἐνοι ἄγοιτες μυστικῆ, Nec uero discerni potentie possunt, nisi membra & eorum officia aspicias. Inquit Paulus, Impios detinere ueritatem captiuam in iniusticia, id est, ueras noticias, in cerebro, quibus tamen cor non obtemperat, sedes igitur noticiae quærenda est, uidelicet cerebrum, & cogitandum est noticiam in cerebro lucem esse, uelut in oculis sua quedam lux est. Ut fulget in Dauidis cerebro noticia, non Mæchaberis, at cor alibi collocatum ardens errantibus motibus non obtemperat, & uelut tyrannus noticiae rectæ mouenti repugnat, Vnde alibi manet uera sententia, alibi recipiuntur contraria incendia, Retinet tamen senatus in cerebro hanc autoritatem, ut neruis mandare possit, ne tyranno obtemperent, sed manus contineant, ne alienam coniugem attin-

gant,

gant, ut cum iubet Cambyses interfici Croesum, hunc tamen ministri abscondunt & seruant, Explicari hæc discrimina non rectè possunt, nisi membra & eorum officia distinguas, quam ad rem copiosa doctrina opus est, De cerebro, corde, neruis, gradibus adpetitionum, cogitatione, seria electione *περὸς ἑσέα*, Simulatione, de dolo, de culpa, de actionum causis, Harum rerum considerationem in uita necessariam esse omnibus notissimum est, quæ doctrina Anatomica de membris & eorum officijs carere non potest. Hæ utilitates moueant bonas mentes, ut discant hanc doctrinam, quæ si minus mouerent homines, tamen propter confirmationem asseuerationis de Deo & de prouidentia, fabricatio membrorum aspicienda esset, Non confluisse hanc rerum naturam ex Democriti atomis manifestissimum est, & ex imotis noticijs, quæ hominibus insitæ sunt, & ex ingenti dolore, qui sequitur uiolationem illarum noticiarum ordine immutabili, Harum rerum aspectio illustre testimonium est de Deo & de prouidentia, quæ tamen ita propius aspiciuntur, cum ipsa fabricatio membrorum etiam consideratur, Quid mirabilius est quàm in cerebrum tot noticias tam uarias multarum artium & rerum includi posse? Talis massa sine mente fieri non potuit, quia certè nunquam sapiens natura ex cæcis Atomis oriri potest, non enim potest effectus toto genere præstantior esse causa,

Nihil

Nihil de homine prædicari maius potest, quàm quòd & uox diuina sæpe affirmat: Hominem esse imaginem Dei, Et sapientes omnes dixerunt, ut in poemate scriptum est:

Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua  
 Est autem similitudo intelligenda in noticijs recta,  
 & non recta discernentibus, quæ sunt in cerebro,  
 & in ijs motibus cordis, qui cum Deo congruunt,  
 qui sunt reliqui in hac quanquam deprauata natura σοφῶν & dolor, qui scelera sequitur. Ut autem ingens amor est parentum erga sobolem, ita in Deo uerus est amor erga filium, & nos qui filio adiuncti sumus, sicut scriptum est, sumus κειρατοὶ τοῦ υἱοῦ ἐν ἡγαπῆσει, & uult nobis conditor eas σοφῶν, quas in nostri cordis penetralia insequit, commune faciones esse, de suo amore, quo nos complectitur, quod cum sit uerissimum, cogita quantum hoc sit, quòd te sic amat Deus, ut tui parentes, & ostendit amorem, cum filium misit, ut solueret ἅπαρ pro nobis, ostendit etiam alijs ingentibus beneficijs. De his rebus cum consideratio membrorum hominis, & propriarum in eis actionum, nos commune facit, quærimus etiam, unde sint in hac imagine Dei contrariæ sordes, cur conditorem hæc languefacta natura uicissim non amet, & petimus ut deterfis sordibus imago restituitur, quæ cum non sit frustra condita, rursus erit similis Archetypo pura & nitida, & in ea tanquam in speculo clarè fulgebunt radij diuinæ sapien-

sapientie, & iusticie. Sed nullius eloquentia satis  
 exponere potest, quam multe commonefactiones  
 in aspectione membrorum proponantur, quarum  
 subinde plures animaduertent studiosi, cum in  
 hanc doctrinam ingressi fuerint, ad quam etiam  
 dulcedine cognitionis inuitemur, Iucundum est  
 uidere edificia recte facta, & apte distributa,  
 quanto iucundius est contemplari edificium tui  
 corporis, in quo uides, quanta arte singula mem-  
 bra & formata & collocata sint. Consilij locus  
 uelut in specula summus est. In medio robur est,  
 quia cor fons est caloris uiuifici & affectuum, qui  
 siue consilio obtemperant, siue ruunt cœci in  
 hac languefacta natura, tamen sunt acerrimi. Ha-  
 bet tamen senatus ministros neruos, qui externos  
 gestus regunt, & errantes cordis impetus cohi-  
 bere possunt, Imus locus attributus est culinae, ex  
 qua tamen arte cibi in totum corpus uehuntur.  
 Hæc Machinarum distributio certe sapientiam  
 conditoris ostendit, quem grati celebremus, &  
 precemur ut nos, qui & opera ipsius & domicilia  
 sumus, & ab eo propter filium diligimur, clemen-  
 ter seruet, gubernet, & protegat. Quantum etiam  
 decus est humanæ naturæ, quod Deus hanc ipsam  
 figuram induit τὸν λόγον, quem genuit ante mun-  
 di fabricationem & proferre iussit arcanum de-  
 cretum de restitutione naturæ, in qua huic filio,  
 qui est χαρακτήρ ὑποστάσεως æterni patris, simi-  
 les erimus, Cum igitur inserti simus tuæ massæ fili  
 Dei



Dei Domine Iesu Christe, te ueris gemitibus precamur, ut nos surculos tuos serues, gubernes, & protegas.

DIXI.

## ORATIO RECITATA

A IOHANNE HERMANNO ARTIS Medicæ Doctore, cum gradus Doctorum in arte Medica decerneretur uiro clarissimo Andrea Rose Sumpfordiano Franco

3. Augusti.

**M**ulta sunt in natura rerum uestigia Dei illustria, quæ testantur hunc mundum non cæco casu ex Democriti atomis confluisse: sed uerè esse mentem architectatricem, sapientem, ueracem, beneficam, iustam, castam, liberam, uindicem scelerum. Maximè uerò illustria testimonia in nobis ipsis circumferimus, noticias numerorum & ordinis, immotum discrimen honestorum & turpium, horribiles erinnyas conscientie post delicta.

Hanc sapientiam & iusticiam aspicientes conuincimur, ut fateri cogamur esse Deum conditorem sapientem & iustum. Sed ualde dolendum est, quod cum adeo propè cernamus Deum, ut ferè manibus contrectari queat, tamen adeo ferrea sunt hominum pectora, ut adensionem non firmiter retine-

retineant, & iniustas cupiditates Deo antefec-  
rant.

Quam mira opera sunt in mentibus, cogitatio,  
ratiocinatio, dijudicatio?

Quod est illud amplum theatrum memoriae,  
capax tot & tam uariarum imaginum, atq; arti-  
um, & tam citò proferens, cum impressa imago  
repositur?

Quae celeritas in gubernatione, cum cogita-  
tio mandat neruis, ut motus cieant quos elegimus?

Hec si quis non aspicit, nec miratur, & existi-  
mat temerè nata esse fabricationis autorem, nec fi-  
nes considerat, is uerè est rigidior omnibus sco-  
pulis in mari & in terra ubicunq; positis.

Profecto utilis est disciplina & ad confirman-  
das mentes de Deo, & de providentia, & ad exci-  
tandum studium uirtutum, sepè & hæc & alia  
multa testimonia de Deo cogitare.

Quid mirabilius est conseruatione societatis  
humane in tantis disputationibus?

Hanc tamen conseruat Deus, manifestè retrahens  
latrones ad poenas, ut dicitur: Omnis qui  
gladium acceperit, gladio peribit.

Exempla igitur poenarum ostendunt, & irasci  
Deum sceleribus, & custodem esse legitimæ socie-  
tatis.

Sicut Ixion in rota iacens apud Pindarum, cla-  
mat. Discite iusticiam moniti, & non temnere  
diuos.

Cum

Cum autem ut dixi, prosit affici artificiosam fabricationem hominis, quam doctrina Medicorum præcipue illustrat, constitui iam de hac questione disputare. Recte ne dictum sit ab Aristotele, uirtutes esse habitus seu ἕξεις, ut queramus & quid sint habitus, & ubi sint, & quid intersit inter noticias & uirtutes.

Nam hæc explicatio ex fontibus doctrinæ Medicorum sumenda est, & prodesse hanc considerationem ad mores regendos manifestum est. Sicut uox diuina inquit: Sub te sit adpetitus tuus.

Ac noticias quidem alias esse actiones, alias esse habitus fatendum est.

Actio est cum in præsentia cogitatione formatur imago rei cogitatae motu cerebri, & sua quadam spirituum uibratione, ut cum lingua format sermonem.

Et si propius hæc non cernimus, neque exponi illustrius possunt, tamen noticias esse formare imagines in cerebro non dubium est: Idque opus quo mirabilius est, eo magis testatur Deum conditorum esse.

Noticiæ uero, quæ sunt habitus, sunt imagines sæpè repetitæ, & altius impressæ cerebro, ut cum σφράγις eadem sæpè ceræ imprimitur. Ita cum sæpè uideo peregrinum, imago imprimitur altius, & fit firmior.

Hæc de noticijs minus obscura sunt, quam cum de actionibus uirtutum & habitibus dicitur.

Sed

Sed tamen actionum externarum cause, ut-  
cunq; monstrari possunt.

Achilles quanquam iratus, tamen manus cohi-  
bet, nec interficit Agamemnonem.

Huius actionis causa pingitur in ipso poëma-  
te. Retrahi Achillem fingit Homerus à Pallade, id  
est, cogitatio legis in cerebro, docet, non interfi-  
ciendum esse summum ducem.

Huic admonitioni cum assentiretur, mandat  
cogitatio nervis, ut retrahant manus. Et nervo-  
rum talis est natura, ut impulsiones à cogitatio-  
nibus factas recipiant.

Non est talis uentriculi natura, ut obtempe-  
ret cogitationi mandanti actionem.

Esse autem hanc libertatem in homine reli-  
quam, ut nervi obtemperare cogitationi, & ciere  
motus locales possint, manifestum est.

Vtcunq; igitur intelligi hoc genus actionum  
potest, quod nominatur rectio locomotiue, & a-  
pud Galenum κίνησης προαρετικη.

Etsi autem actio dicitur honesta in Achille  
manuum represio, tamen cor flagrat ira, nec dici  
potest ibi esse habitum, qui regat iram, seu man-  
suetudinem.

Quid igitur, & ubi sunt illi habitus, quos A-  
ristoteles nominat Virtutes? Disertè locutus  
est Paulus toties dicens, Homines non fieri iustos  
operibus legis, quia uidet actiones illas fieri posse,  
que sunt rectio locomotiue, que quidem nominat  
legis

legis opera, quia lex regit cogitationem. Nominat  
 & literam, quia hæc cogitatio est uelut obscura  
 scriptura, illita cerebro. Non est lux in tota ani-  
 ma splendens, nec est incendium ardens in cor-  
 de.

Non igitur gloriosa uirtutis adpellatione uti-  
 tur loquens de obedientia, quam utcunq; ratio  
 præstat in rectione locomotiue.

Ecclesia prorsus de uirtute nos rectius docet,  
 quæ adfirmat eam esse motus Spiritus sancti, effusi  
 in corda renascentium, confirmantis agnitionem  
 Dei, & incitantis ad tales motus, qualis ipse est.  
 Ut in Ioseph Castitas, est motus Spiritus sancti,  
 confirmans agnitionem Dei in cerebro, accensam  
 uerbo Dei, & repugnans insidijs Diaboli, & ille-  
 cebris ardentis domine.

Nec recuso uti hac phrasi, Virtutem esse ip-  
 sum Deum, seu ipsum Spiritum sanctum, ut Psal-  
 mus inquit: Fortitudo mea Deus es tu.

Et quidem in tanta infirmitate nostra, agnos-  
 scamus nobis opus esse Deo rectore, et immensa be-  
 neficia Filij Dei intelligamus, & Deo gratias agam-  
 mus, cum pro cæteris beneficijs, tum uerò & pro  
 hoc dono, quòd nos gubernat, & munit Spiritu  
 sancto, ne aut infirmitate nostra labamur, aut dia-  
 boli odijs & insidijs euertamur.

Nam & diligentia regendi loco motiuam sine  
 auxilio Dei facile excutitur.

Et agnoscunt sapientes sepe hallucinari ho-  
 mines

mines in deliberatione, sæpè rectè deliberata ex-  
cuti nouis persuasionibus, sæpè uinci adfectuum  
fluctibus.

Hinc illa sunt : οὐδέ τις ἀνδρώπων ἕστιν ἀπο-  
τα σοφός. Item : Non est iustus in terra, qui cum  
multa iustè faciat, non etiam peccet. Et Simoni-  
deum illud, οὐ βάλδιον ἡλιόθεν τε γέγωνος. Et  
apud Senecam hæc sunt :

Qua terra patet, fera regnat Erinnyis:

In facinus iurasse putes.

Aut illud Menandri : Omnes uiuunt mali.

Agnoscamus ergo infirmitatem nostram, &  
auxilium à Deo petamus. sicut Dominus præcipit :  
Quanto magis pater uester celestis dabit Spiri-  
tum sanctum petentibus. Et grati ingentia bene-  
ficia Dei celebremus.

Hæc dulcissima Ecclesie doctrina multò illu-  
strius ostendit, quid sit uirtus, quàm illa Aristo-  
telis, ut ita dicam, Scenica uirtutis simulatio seu  
umbra.

Quid igitur? Nihil'ne dicemus esse habitum  
seu ἔξιπ, cum de uirtutibus loquimur.

Ad id priusquam respondeo, dicam, quid in  
Philosophia uirtus nominari rectius possit, quàm  
habitus.

Primum, in omnibus, non monstrosis, σοφ-  
γαι, cum accedunt iudicium & Moderatio, de  
qua dicitur, ὡς ἡδὲ σωείσει θεσότης κερρα-  
πύκν.

Deinde Heroica excellentia, quæ tamen non est omnium, ut Achilles, Alexandri, Iulij fortitudo.

Utrunq; autem ἔσφραϊσται ἔ Heroica celsitudo animi, sunt inclinationes à Deo conditæ in hominum cordibus. Et quid sint, utcunq; monstrari in exemplis potest, ἔ gignunt actiones externas præclaras. Dissimilis est fortitudo Iulij præhantis ἔ Antonij. In Iulio non tantum cogitatio imperat externis membris, ut pugnent: Sed est in corde ingens incendium, quo ἔ iuuatur cogitatio, ἔ impelluntur ac uelut armantur externa membra.

In Antonio cogitatio imperat externis membris, quæ utcunq; uel adsuefactione uel imitatione fit excitatior. Qua in re hoc quoque considerandum est, quod quanquam Heroica uirtus, uerè Dei opus est, tamen ἔ ipsa facile extinguitur. Et multi Heroici uiri in magnos furores incidunt, ἔ fiunt tristia spectacula generi humano.

Hercules furens interficit coniugem ἔ filios. Alexander postremis annis quam tetra bellua est? Cum antea nihil in eius toto regno præter ipsum pulchrius esset propter iusticiam, temperantiam ἔ modestiam.

De Themistocle factum est præconium in conuentu multarum gentium: Sapientia eius seruatam esse Greciam.

Talis cum esset postea se obscenis uoluptatibus dedit,

dedidit, turpiter etiam ad hostes fugit, & tandem sibi mortem consciuit.

De Alcibiade uersus pronuntiatus est, ἐπιπέ-  
 ἄλεκτορ δ' ἄλλορ ὡς κλίνας πῆρορ.

Deniq; talium uirorum & uitia & poene de-  
 derunt occasionem Herodoto ut dixerit: Nemi-  
 nem esse mortalium neque fore, cui non ab initio  
 malum admixtum sit, maxima uero maximis.

Attrahit autem poenas in summis uiris fiducia  
 sui, qua elati Deum negligunt, & multa iniuste fa-  
 ciunt.

Cum igitur nec Heroica uirtus stabilis sit, con-  
 fugiamus ad filium Dei, & ab ipso gubernari  
 nos petamus, qui dixit: Ego sum uitis, uos pal-  
 mites.

Postquam utcumq; exposui, quam rem Ecclesia  
 monstret, cum uirtutem nominat: Et quid Philo-  
 sophia uirtutem nominare possit: Nunc quera-  
 mus & quid sit Aristotelica ἐξίς, & ubi sit, &  
 quis sit eius usus.

Vt noticiæ quæ sunt habitus, ut artes, fiunt  
 crebra impressione imaginum in cerebrum: ita  
 consentaneum est in corde & neruis eò tendenti-  
 bus crebra impressione spirituum fieri firmitatem,  
 presertim cum doctrina & σοφία accedunt.

Thrasibulus est clemens in uictoria ciuili, &  
 sancit ἀμυνσίαν, quia ex doctrina sapientum, &  
 ex suæ ætatis exemplis & ueteribus Historijs, di-  
 dicit, non retineri imperia nimia asperitate, &



sine ἐπιμελείᾳ: Adficitur etiam misericordia erga patriam, cognatos & ciues, inter quos naturale foedus est. Et erat urbs Attica domicilium legum, & propugnatrix uniuersae Græciæ contra barbaros, Talem urbem conseruandam esse cogitabat.

Hæc omnia flectunt cor eius, ut repugnet iræ, parcat inimicis, & tollat causas nouorum bellorum, uidelicet, Repetitiones ueterum possessionum.

Sed etiam si quid est ille habitus, seu impressio spirituum in corde, res languida est, & facile uincitur incendijs malorum affectuum.

De uitijs quæ res sint facilius est iudicare. Sunt enim ardentes & indomiti adfectus undecunque oriuntur. Nam in hac deprauata natura multe sunt causæ malorum motuum.

Domitianus est seuus ex uitiosa crasi, quia corpus uenenata bile abundat.

Ideo cum sit suspicax, infidus, omnia metuens, & sit instructus potentia, tollit eos quibus irascitur. Nec causæ quærendæ sunt in monstrosis naturis. Sed ruunt, quia tales sunt, & accedunt Diæbolorum impulsiones, ut in Caligula, Nerone, & alijs innumerabilibus.

Confirmantur autem prauis adfectus consuetudine, & facile fiunt habitus tenacissimè herentes: Ut in Gangrena aut similibus morbis, prauitas humorum tempore confirmata, corrigi non potest.

Magis igitur in uitijs intelligi potest prauos adfectus, tempore confirmatos, deinde habitus esse, quam in uirtutibus.

Quia non tanta incendia adiuuant uirtutes, quanta sunt uiciosi adfectus.

Profunt tamen expetenti uirtutem, crebra doctrinae cogitatio, uigilantia, & intentio in uitandis causis lapsuum: Et in Ecclesia pijs plurimum prodest precatio, quae recte Deum inuocat, & petit ut in mente λόγος & lucem gubernatricem accendat, & in pectore Spiritus sanctus ardens confirmet adfensionem, qua diuinae uoci creditur, & motus tribuat tales, qualis ipse est.

Tunc fortior est gubernatio, cum & cogitatio neruos recte ciet, & simul boni motus in corde armant omnia membra.

Haec doctrina quotidie in inuocatione cogitanda est, quae quidem melius intelligetur, cum simul corporis membra contemplaberis, in quibus & testimonia sunt de Deo, & sunt uulnera, quibus quae remedia Deus condiderit, considerandum est.

Nominat Paulus legem Pedagogum, quod etiam cum de non renatis dicitur, tamen sciendum est, quae membra hic Pedagogus doceat & coerceat, & praecipit à Deo disciplinam, & seuerè etiam in hac mortali uita externa delicta puniri.

Vos uero in Ecclesia Dei non solum obtemperare ut Ethnicos oportet: Sed audienda est uox Euangelij, ut agnitio filij Dei in mentibus accendatur, & præstetur obedientia  $\pi\rho\sigma\alpha\upsilon\gamma\omicron\upsilon\upsilon\mu\lambda\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ ,  $\omega\iota\varsigma\epsilon\omega\varsigma$ , ut Euagrius rectè locutus est: fiat inuocatio ueri Dei, & petatur auxilium in conuersione in toto cursu uitæ, in studijs ueræ doctrine.

Hæc qui facient, experientur suos gemitus, & uota sua non esse irrita, & sentient in ueris doloribus, & trepidationibus, salutare consolationes & auxilium Dei.

Hæc ipsa experientia ostendet discrimen inter doctrinarum genera. Inter Aristotelicam  $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\epsilon$ , quæ est umbra uirtutis, & ueras uirtutes.

Oro autem uobiscum toto pectore æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, & spiritu Sancto, creauit coelum & terram, & certò æternam Ecclesiam uoce Euangelij colligit, ut propter filium Dominum nostrum Iesum Christum nobis sit propicius, & gubernet nos spiritu suo sancto, & protegat ac regat harum regionum Ecclesias, & doctrine studia, & politias, & cum alijs uitæ præsijs etiam Medicationes felices tribuat.

DIXI.

Questio

## QVAESTIO A

PVERO PRO=  
posita.

**E**Vripides trium præcipuè uirtutum studium præcipit adolescentibus, ut Deum colere, ut parentibus, & quos loco parentum habent, ut publicis legibus & laudata consuetudine receptis moribus obtemperare consuescant. Et addit, ὁ ταῦτα δρῶν κἀλλιστον ἔξει σέφανον εὐκλαίαν ἀει.. Cum itaq; præcipua sit in ætate nostra laus Pietatis, officij & obedientiæ, non existimo expectari à me rationes huius mei facti, quòd iussus prodeò huc ad dicendum, confido enim ipsas obedientiæ leges excusaturas, si quid inuerecundius in eo fieri censebitur, quod ceu concionari puer senibus, filius præceptoribus & patribus in tam frequenti confessu, non uerear.

Et cum causas noueritis omnes instituti moris huius, quo locus dicendi alicui ex nobis tribuitur, scio non tam orationem uel iudicio elaboratam, uel politam ornatu uerborum, quenquam uestrum à nobis requirere, quàm delectari studio præstandæ obedientiæ, & his ad excitanda ingenia nostra comparatis exercitijs. Mouco autem quæstionem de usitata temporis nostri & nostræ gentis consuetudine. An rectè fiat, quòd plurimi post longas multorum dierum helluationes, cum corpus ten-

tari fluxionibus sentiunt, & precipue catarris, remedia uel à uenæ apertione, uel à scarificatu cutis, & effusis sudoribus petunt, non semel atque iterum annuatim, sed creberrimè. Rationibus uidentur moueri illi his potissimum, quòd reprimi ac sisti defluxiones, & consumi aut discuti congesti in aliquam partem ex affluxu humores commo- dius nequeant, nisi uel qui agitati feruntur per membra humores cum doloris sensu affatim exhauriantur, uel ijs, qui sese in aliquem locum infuderunt & ingesserunt humores, patefiat exitus, incisus cuti patentioribus foraminibus scarificatu, & adhibeatur suctio cucurbitarum, qua circumfusa etiam attrahantur & exugantur. Et refrigerari auint atq; ad temperiem reduci inflammatum uino corpus, si sanguinis pars aliqua auferatur. Sed fallere mihi atq; aberrare à uero hæ rationes uidentur multipliciter. Ferè enim, qui ex crapulis ac comessationibus nati Catarrhi, à capite in quascunq; delabuntur ac desidunt partes, in cerebri sinibus ac plicaturis extra uasorum meatus colliguntur, de densatis in liquores uaporibus crudis, quibus cerebrum imbuitur & opplentur caua intra cerebrū & cranium spacia. Ac phlebotomia & scarificatus tantum uenis inclusos humores educunt: Phlebotomia quidè eos qui ampliorib: ramis: scarificatus eos, qui extremis furculis insunt. Quare non medentur fluxionibus extra uenas, sed naturã antè languesfactam, affligunt grauius. Absumunt

sumunt enim magnam spirituum et nativum caloris partem, quæ præsidia crapulis antea hebetata & conculcata, relinquere naturæ, non eripere, quæ augere ac fouere subsidio temperati caloris, non dissipare aut diminuere conueniebat, ad illorum succorum cruditatem emendandam, quibus uenæ serè helluationibus distentæ atque inflatæ tument. Et quanquam fit interdum, ut & euacurbitarum suctio collectam fluxionem euacuet ac digerat, præsertim si corpus sit minus impurum, & uenæ sectio alleuet corpus iuuenile, præsertim natura robustum atque alleuatum parte oneris crudorum succorum, tamen utraq; longè plus nocet crebrò iterata. Phlebotomia tali conditione aut hydropem aut ἀτροσίαν accelerat. Scarificatus aut plus attrahit ad locum affectum, aut eundem reddit obnoxium fluxionibus, aut si nihil horum infert, adimit membris purius & conuenientius nutrimentum, cui succedit impurum ac uiciosum, huic ἀτροσία. Sed desino plures recitare rationes, & defero questionem ad clarissimum Dominum Doctorem Andream Rosam, quem oro ut & de questione ipsa, & de allatis rationibus, ac pluribus alijs quæ in partem utramq; adduci possunt, copiosius nos edocet.

## ORATIO DE CHA

RITVM ADPELLATIONIBVS,

recitata à Decano Philosophico

15. Augusti.

**I**ustissimum est, nos, cum in omnibus alijs honestis actionibus, tum uerò in his congressibus qui doctrinarum causa fiunt, ordiri orationem ab inuocatione DEI, qui fons est sapientie & iusticie, & ut hæc sua summa bona in nos spargat: uult ipse in tota æternitate in nobis lucere. Mecum igitur initiò reuerenter & castis mentibus & pijs linguis, hanc orationem recitate.

Tibi omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu tuo sancto gratias agimus pro omnibus beneficijs tuis, in quibus & hæc sunt, Lux tuæ doctrinæ, & uox honestarum artium, & huius Academiae conseruatio, & ardentibus uotis precamur, ut deinceps quoque nos doceas, gubernes & protegas, & omni tempore inter nos tibi æternam Ecclesiam colligas, Amen.

**N**unc qua de re dicturus sim, ut consuetudo postulat, exponam. Difficilis mihi de Argumento deliberatio fuit. Nam in hos congressus oratio

oratio adferenda est nec inanis nec molesta. Ego uerò re ipsa comperi uerum esse illud Ennianum : *Æger Animus semper errat*, Cum mihi ad communem mœsticiam, quam disidia & calamitates publicæ omnibus modestis hominibus adferunt, accesserit ingens dolor domesticus, accidit mihi quod dicitur, ὄπρου ἀλγῆ ἐκῆ χεῖρα ἔχει, ut etiam si esset aliqua in hoc genere facultas mea, tamen hoc tempore meo ad tales commentationes idoneus esse non possem. Externos hostes habent Ecclesiæ nostræ crudelissimos. Tyrannos Turcicos & Pontificios. His relictis dimicamus inter nos, ut Cadmei fratres. De hac calamitate eò non libet dicere, quia dolorem uestrum augere nolo, & magnitudo mali superat omnium hominum eloquentiam. Sæpe igitur mandata diuina, & de concordia, & de modo retinendæ concordie inter gemitus & lacrymas cogito. Quid potest dici maius hac grauissima uoce Iohannis, *DEVS dilectio est, qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo* ? Inde iudicetur quid de furijs illis sentiendum sit, quæ aut præstigijs Sophismatū rectè tradita corrumpūt, aut ardentis odijs infirma membra truncare quàm sanare malunt, & his duobus modis Ecclesiam distrahunt. Prorsus abesse ab Ecclesia Sophisticam oportuit. Simplex, perspicua, & immota ueritas est. Non Deus uolens impietatem tu es. Adeoq; necessaria est obedientia Deo debita iuxta ipsius uoluntatem in lege expressam, ut do-

natus



natus sit hominibus, Filius qui fieret uictima, quia nostra natura obedientiam amisit. Cur filius sit uictima, si obedientia non est necessaria? In hac quaestione cum ueritas sit perspicua, tamen im- pudenter eam oppugnant quidam ludis Sophisticis, ut qui stare solem, & terram moueri disputarunt. Et possem exempla plura commemorare. Alij uero in causis leuioribus odio seruiunt, cum parcere infirmis deberent. Sunt enim & in uera Ecclesia tenella membra & infirma, praesertim in hac opinionum, & in hac disciplina confusione. ualde multa accidunt, quae leniter sananda erant. Si quis non pugnae induit uestem lineam, cur tanquam parricidium & ueritatis prodicionem exagitas?

Talia multa cum hoc tempore cogitarem, uenerunt mihi in mentem uetera dicta et facta multa, quae sunt commonesactiones de Concordia, & de conuentione ciuium tuenda. Scribit Aristoteles in medijs urbibus fuisse Gratiarum templa, ut ciues commonesfierent de mutua beneuolentia, de beneficentia, de gratitudine, de condonatione offensionum. Pauca igitur de ueteribus appellationibus Charitum dicam, quia hoc Argumentum gratius fore existimo querelis & accusationibus.

Et si autem commenticia numina Ethnicorum detestanda sunt, quorum, multa ex allegorijs nata sunt, tamen quid initio significatum sit, studiosos historiarum considerare decet. Leges naturae nobiscum nascuntur, haec ostendunt homines inter se deuin-

deuinctos esse rerum & officiorum compensatio-  
 ne, & deberi pro mercibus equalia precia. Hæc  
 compensatio iusticia nominatur. Quædam uerò  
 beneficia & officia gratis tribuenda esse, quæ eti-  
 ansi priuatim illis quibus tribuuntur nõ sunt de-  
 bita, tamẽ generis humani cõseruationi debentur.  
 Hæc communicatio aliàs beneficentia, aliàs mi-  
 sericordia, aliàs ἐπιεικεία nominatur. Non debet  
 Iulius M. Marcello hosti acerrimo reductionem  
 in patriam, sed Reipub: debet cõseruare multos  
 honestos ciues. Intelligit autem humana ratio has  
 leges, ordinem diuinum esse, & Deus his officijs  
 coli uelle, Ideo leges ipsas, honesta præcipientes, fi-  
 guris picturarum aut statuarum antiquitas osten-  
 dit, ut solemus pro Tyranno Draconem pingere,  
 Sed remota numinum adpellatione Allegoriam  
 enarremus.

Quòd Iouis filie dicuntur Charites, significa-  
 tum est, Leges de iusticia & beneficentia diuinat  
 esse. Mater Eurynome est, quia beneficia ad mult-  
 tos perueniunt, & quidem totam societatem hu-  
 manam cõseruant. Parentes alunt sobolem, Ci-  
 ues communicant res necessarias contractibus,  
 & multa præstant officia non debita. Alij Pa-  
 trem nominarunt Solem, & Matrem Æglen,  
 quòd uitam foueant & ornent iusticia & Bene-  
 ficentia.

Nomina uerò usitata Charitum hæc sunt apud  
 Hesiodum & Pindarum. Aglaia, Euphrosyne, &  
 Thalia.

Thalia. Tres enim à plerisq; numerantur. Lacedæmonij duas tantum pinxerunt, quia compensatio-  
nem mercis & precij, dati beneficij & redditæ  
gratiæ, significare uoluerunt. Sed cum tres nomi-  
nantur, compensatio inter duos, & uberior in re-  
ferente gratiam significatur. In nominibus mul-  
te sunt commonefactiones. Aglaia est pulchritu-  
do. Primum enim pulchra, id est, iusta officia, &  
iustæ societatum causæ esse debent. Prohibetur  
ergo scelerum societas, ut scriptum est, Non sis  
socius alienorum scelerum. Et similes in legibus  
prohibitiones multæ sunt, Societates & pacta non  
debere esse scelerum uincula. Ideo Pericles dixit,  
μεγί βωμῶν φίλος ἔσομαι. Et in Mimo dictum  
est, Bis peccat qui peccanti obsequium accom-  
modat.

Collega triginta Tyrannorum Athenis Thera-  
menes fuit, & quidem autor eius status, qui initio  
patriæ necessarius fuit. Sed cum Collegæ honestis  
ciuibus uitam & facultates eriperent, & filias  
uirgines, in atrijs cruore patrum madentibus, sal-  
tare nudas cogent, aduersari eis cœpit, & mori  
maluit, quàm iniustam crudelitatem adiuuare.  
Fecerant Decretum Lacedæmonij, ne quis Athe-  
niensibus exulibus hospitium præberet gerentibus  
arma ad recuperandam patriam. Thebani quan-  
quàm Lacedæmoniorum socij erant, contrarium  
Decretum fecerunt, Nulla ut domus eis clausa es-  
set. Collega & affinis erat Licinij Constantinus.  
Sed

Sed ingens bellum Constantinus aduersus Collegam suscepit, ut Ecclesias & nobilissimos ciues contra iniustam seuitiam tueretur, quo in bello Marcellinus narrat auxilijs Francicis præcipue Constantinum adiutum esse. Deniq; nota Regula est, Coniunctiones & Amicitias debere causas honestas habere. Absit autem Sophistica, nec aut in foederibus, aut in distractionibus falsæ causæ prætexantur: ut sunt usitate Ironiæ: Ac plectuntur homines οὐδὲν ποδὸς ἀμάρτημα ἐν χορείᾳ, quod tamen ostenditur. Ideo autem nude pictæ sunt Charites, ut simulatio omnis absit inter Amicos & socios, & uero candore animorum, beneficia & officia petantur & tribuantur.

Pertinet ad causas honestas & hæc, ne beneficentia sit inordinata rerum dissipatio aut profusio, ut Cœnæ Antonij & Cleopatæ, Deniq; latæ hæc doctrina patet, ut facile ex præceptis de iusticia & liberalitate intelligi potest.

Regit igitur causas coniunctionum prima inter Charites Aglaia. Secunda Euphrosyne uoluntatis in dante & accipiente ingenuitatem postulat, ut dicitur, Hilarem datorem diligit Deus. Et ueteres Græci dixerunt, χαρίτων δὲ τὸ θυμὸς ἄριστος. Seneca scribit, Fabium quendam beneficium ab homine duro asperè datum, nominasse panem lapidosum, quem esurienti accipere sit necessarium, uescendo tamen insuauem. Sæpe & mora  
L utilita-

utilitatem corrumpit, ut dicitur, *Gratia, quæ tara da est, ingrata est.* Et qui superbe dant, longa expectatione cruciant, ut in aulis Seneca fieri dicit, ubi ait, iniurias præcipites esse, lenta beneficia. Nec tantum in dante uirtus est, sine superbia, sine contumelia, sine captatione dare, sed comiter & tempestiue, ut intelligi possit moueri eum cogitatione humanarum calamitatum, misericordia & sincera beneuolentia. Sed etiam ab accipiente ab sint auaricia & insidiæ, habeat honestas causas petitiõ, nec sit similis stellionum imposturis. Rectè Tiberius, astutissimus senex, cum multi peterent ab ipso ut solueret æs alienum, quod ipsi debebant, iussit eos in senatu causas dicere, cur tantum æris alieni contraxissent. Hæc ueluti censura deterruit alios, ne hæc πλεονεκτήματα ab Imperatore peterent.

Quid usitatus est perfidiosus amicis, qui familiaritates aliquorum adpetunt, uel ut abutantur illorum officijs, uel ut multa speculentur ad eos ipsos euertendos, à quibus in familiaritatem admissi sunt. Hæc Sinonis aut Sexti Tarquinij artificia cum uix caueri ulla uigilantia possint, bonis conscientia honestæ uoluntatis tamen postea solatio est. Sed illi Deum uindicem esse insidiarum & uiolatæ fidei debitæ amicis experientur, ut uerè dictum est à Poëta.

Si tu oblitus es, at Dij meminerunt, meminit fides.

Quæ te ut poeniteat, postmodo facti faciet tui.

Tertia

Tertia inter Charites Thalia est, quae significat germinantem, uidelicet, Gratitude[m], precium pro merce, officia pro officijs. Sed haec Tertia pro dolor, procul alias sequitur, moestitiam & uultu & sordida ueste ostendens, Ostendit enim uita communis quam rara sit pro magnis beneficijs gratitudo. Primum quam turpiter ingrati omnes sumus Deo, cuius beneficia in fabricatione nostri corporis, in donatione uitae, in missione Elij, patefactione doctrine, collectione Ecclesie, nutritione, & assidua protectione, quotus quisque uel tenuiter considerat.

Alphonsum Regem Neapolitanum sapientem Principem narrant, si quando iratus fuit alicui ingrato, solitum sese ab illius uituperatione reuocare, his uerbis, Ego uero cur huius culpae tantopere succenseo, qui meam accusare potius deberem, cum Deo multo magis ingratus sim, qui innumerabilia bona mihi tribuit. Sed oro cum, ut hac confessione meae culpae leniatur. Hoc sapientissimi Regis exemplum sepe recordemur, & nostram ingratitudinem deploremus. Singuli deinde Parentes uestros intueamini, & cogitetis quanta res sit sopor in cordibus eorum erga uos, quanta sollicitudo, quantum laborum & dolorum in educatione, in morbis, & alijs periculis. In hac consideratione sanctiores omnes ualde pudebit ingratitudinis suae, Quanta contumacia est aduersus Magistratus, Pastores Ecclesiarum, & fideles Doctores. Mi e-

rat Carolo Magno Imperator Constantinopolitana  
 nus inter alia Regia dona librum Dionysij græca  
 cum accuratè scriptum, Fuit enim olim Regium  
 talia dona, & dantes et accipientes magni facere.  
 Nunc quanta sit huius temporis barbaries, recens  
 exemplum ostendit. Non enim multo ante mor-  
 tem Inclytus Rex Daniæ Christianus, iussit Auto-  
 maton argenteum motuum coelestium, & artifi-  
 ciosè factum, ad Ducem Moscoviorum, ut nomi-  
 nant, acturus de pace Liuoniæ. Cum reuerenter  
 exhibitum esset αὐτόματον, barbaro illi fuit  
 ἀκούροζ ἔκδοσις, qui cum alia dona retineret, hoc  
 pulcherrimum opus cum contumelia etiam reddi  
 iussit, quia non sit pium considerare motus Cele-  
 stes. Hinc & gentis & ducis barbariem aestima-  
 te. Sed multò humanius Francus noster. Hic ut  
 liber multis notus fieret, iussit eum in Latinum  
 sermonem transferri. Fuitq; interpretres Iohannes  
 Scotus, qui tunc Lutetiæ studia doctrinæ guber-  
 nauit.

Et si autem interpretatio nequaquam est niti-  
 da, tamen fides auctori non defuit, qui commo-  
 nefactus eius libri lectione, postea quasdam ui-  
 tiosas adorationes taxauit. Id cum egrefferet  
 auditorum turba, impetu in Senem facto, qui  
 sedulo eos longo tempore docuerat, & compre-  
 henso, effodiunt oculos. Talis gratia fideliter do-  
 centibus saepe redditur. Addo & narrationem de  
 hospite ingrato memoria dignam, quæ apud Senes-  
 cam

eam extat. Philippus Macedo audacem militem habuit, quem ut haberet obsequentio- rem in periculis, petenti maiora premia dedit quam cæteris. Cum autem in seua tempestate misisset eum speculatum loca quædam, rediens miles naufragium facit, & in mari perisset, nisi rusticus in uicino littore conspecto illius periculo, properè in Cymbam descendisset, & eum dum inter fluctus iactatur excepisset. Cumq; semianimem in uillam suam uexisset, triduo eum officiose recreat, & recreatum uiatico instruit. Ille discedens promittit se beneficium eius Regi prædicaturum esse, & perfecturum ut ei gratia referatur. Reuersus ad Philippum narrat naufragium, beneficia liberatoris sui astute occultat, & ut norunt aule uersum Hesiodi:

αὐδῶς οὐκ ἀγαθὴν κερδοπλοῖαν ἀνδρα κομίζῃ,  
 Audacter postulat pro labore præmium, & narrat in eo littore uillam esse, quam tanquam monumentum sui periculi sibi donari petit. Rex donat & mittit questorem, qui ei possessionem tradat. Dolet se rusticus ex suo & maiorum suorum fundo expelli, & quidem benemeritum de milite. Expo- nit igitur Questori integram facti narrationem, quam miles, quia negare non poterat, fatetur ue- ram esse. Censet igitur Questor mandata diffe- renda esse, & iubet utrunq; secum ad Regem proficisci. Audit Rex possessoris meritum, & officium eius laudat, & iubet eum retinere uillam, quæ





*Se Charitum in uetustissima urbe Eliaca, quarum prima Rosam gerit, altera myrtum. Tertia astragalum seu talum. Artifices multa ingeniose significarunt in publicis monumentis. Rosa significat pulcritudinem, & fragrantiam, Nihil iniusticia, beneficentia, studio tuendæ coniunctionis in bonis causis, pulchrius & dulcius est. Myrtus fecunditatem significat, Accipiens beneficium reddat uicissim seu officia, seu rerum precia. Astragali significant incertos euentus, inconstantiam uoluntatum in amicis, & ingratitude. Raræ sunt firmæ & durabiles amicitie, ut non diuturna fuit Pompeij & Iulij amicitia. Nec sine causa nec sine exemplis dixit Plato, φῦσα ἐμμετάβολοι ζῶον, εἶλθ'. Eamq; ob causam præceptum traditum est, μέμνησο ἀπιστῆρ, τὰυτὰ ἀρδρα φρενῶν. Sed de hac sapientia loquantur alij Seniores & peritiores. Nos, quicumq; erunt euentus, iusta discamus & faciamus, intelligamus & amemus gratitudinem, simus officiosi, ubi possumus alijs bene facere, non turbemus uitæ ordinem, non laceremus Ecclesias, & simus memores dicti, Labor uester nõ erit inanis in Domino. Deus recta facientibus dabit placidos exitus, etiamsi incurrant in eos multi, iniustis odijs ardentes, ut modestissimè dicam.*

*Apud Homerum asidet Vulcano Charitum una in officina, quo figmento sapiens Poëta multa significauit & quòd artium opera sint utilia &*

iucunda communi uita, & quod in ipsis operibus  
 nitor & uenustas esse debeat, nec sint hominum  
 thalami similes porcorum stabulis, & uero quod  
 artifices deceat officiosos & placidos esse, non  
 asperos, non morosos, non auaros, non inuidos.  
 Quanto magis in Ecclesijs & Academijs habitare  
 Charites oportebat, ne doctrinae illuuias & bar-  
 baries alienet homines, ut sunt paradoxa Stoico-  
 rum, quae adfirmant omnia necessario fieri, bonas  
 & malas actiones, & illa fanatica, impium esse  
 Magistratus gerere, exercere iudicia, bona opera  
 non esse necessaria, ne' ue docentium ambitio po-  
 pularibus clamoribus, Idola stabiliat, aut odia iu-  
 gulent innocentes. Plato solitus est dicere ad Xe-  
 nocratem, quod tristiore & rigidiore natura es-  
 set, uolens cum excitare ad comitatem, suauitatem  
 & ἐπιεικείαν, quae in communi consuetudine ne-  
 cessariae sunt, ὡς ἐνδεῶς χάρισις.

Hanc adhortationem uos quoque meminertis,  
 sed concinnè intellectam. Rectius autem dicemus  
 ὡς ἐνδεῶς τῷ Χριστῷ, qui certe uult uos unum in ipso  
 esse. Propter Deum & Dominum nostrum Iesum  
 Christum amemus iusticiam, & concordiam pu-  
 blicam, & si quae dissensiones sunt, de his placide,  
 candidè, sine odijs, sine ὀλιωτικείᾳ sine Sophis-  
 tica dicantur sententiae, & sit iudex Ecclesia. In  
 his tantis negocijs conspicitur uerum esse, quod  
 ait Theocritus, nihil sine gratijs amabile esse, τὴν  
 γὰρ χάριτον ἀγαπῶντων ἀνθρώποις ἀπαινεῖται  
 Δεῦρ

Δεῦ ἄει χαρίτεωσιν ἅμ' ἔκρ. Quid alienius est,  
 quam res optimas, ueritatem, pacem, concordiam,  
 Deum ipsum, inter furias querere. Longe alia ad  
 Deum uia est, qui adfirmat se habitare in spiritu  
 contrito, humili, & timente sermonem diuinum.  
 Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum  
 Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum,  
 qui sedet ad dextram æterni Patris, ut dona det  
 hominibus, ut nos omnes gubernet & pro-  
 tegat, & effundat in nos spiritum  
 gratiæ & precum.

DIXI.

RESPONSIO D. GE-  
 ORGII MAIORIS AD QVÆ-  
 stionem propositam de Sancto  
 Laurentio, &c.

**C**elsitudo animi in Laurentio durans in sup-  
 plicio ostendit eum rectè fecisse, quòd Ty-  
 ranno non cessit. Nam hilaritas illa in ipsa flam-  
 ma opus fuit Spiritus sancti. Discernuntur enim  
 euentibus diuini motus, & κακοζυλία humana,  
 quæ ante cruciatum fortis est, ut dicitur, dulce  
 bellum inexperto. Postea in acie excutitur. Vt  
 meminimus Monetarium, qui seditiosam multi-  
 tudinem in Turingia armauerat, collectam ex  
 audacissimis & egentissimis nebulonibus fossori-  
 bus, & carbonarijs. Is cum interfectis tribus mil-  
 libus

libus hominum captus esset à Ducibus Saxonie, abiectissimo animo fuit. Tales sunt Δρακοὶ ὕδατος, ut sepe experientia ostendit. Dissimilis horum fuit Laurentius, qui in flammis etiam robur animi ostendit & Tyranno insultavit. Relinquo igitur hanc questionem, & de altera dicam. An rectè faciant Principes harum regionum, in quibus uox Euangelij incorrupta sonat, & monasteria deseruntur, quòd eorum reditus ad se transferunt. Respondeo uerè & planè. Cùm Principes custodes bonorum publicorum esse debeant, transferre ad se & Imperia Monasteriorum & reditus debent, ac de Imperijs nihil dubium est, quia Pastoribus & Scholis non sunt tradenda Imperia iuxta dictum. Reges gentium dominantur eorum, uos autem non sic. Et rectè dictum est in Græca historia, τὸν πολιτικὸν ἀρχὴν καὶ ἰσορροσώμενος σωᾶται ἅπασιν ἄσυχλωσα συγκλώδερ.

De rebus autem agant iuxta leges, cum uoluntas fuerit donantium, ut Ecclesijs illi reditus prodesse, primum ex eis attribuant Ecclesijs, Scholis & Nosocomijs, quantum necessitas postulat. Si quid superest, utantur eo ipsi, qui utinam sint Oeconomi frugales, sed in magna gubernatione ne fieri quidem potest, ut ubiq; Principes sint uigilantes, Et multe sunt harpyæ in aulis, multi praesides, qui ut Nazianzenus queritur Briarei manibus rapiunt ex publico. Et omnia tempora

pora habent exempla ueteris dicti, τὰ μὲν λαμια. Ideo per iocum quidam amicus noster ueterem uersum huc transtulit,

ὁ πολλὰ κλέψας ἔ' ὀλίγα δοῦν ἐκφεύξεται.  
 Modo aliquid attribuant Ecclesijs, Scholis & Nosocomijs, nos boni consulturos si reliquijs fruuntur aula. Sed consolationem hanc retineamus, quod Deus promittit Ecclesie doctorem, panem & aquam, tamen si cum tribulatione. Precor igitur ardentibus uotis, ut nos doceat, gubernet, protegat & suppeditet nobis & familijs nostris hospitia tranquilla, & uictum. Amen.

## ORATIO GENEROSO

ET MAGNIFICO D. D. CHRISTOPHORO Burggrauiò à Dhon Barone & c. Academiæ Rectore habita ante Legum Scholasticarum prælectionem

17. Septemb.

Cum uelit Deus cætus esse docentium, & discipulorum, quia uoce diuina, & non aliter æterna Ecclesia Deo colligitur, amemus & ipsa doctrinæ studia, & hæc agmina sciamus habere ducem filium Dei λόγον æterni patris, & honestis legibus, ac disciplina consociata esse oportere, & eorum conuinctionem omnibus officijs tuendam esse. Ideo uobis Leges recitantur, quarum præcipue sunt ipsa uox decalogi, & sunt additæ quædam

dam de executione, quam Deus magistratibus mandauit. Scitis enim deberi obedientiam primum Deo, deinde magistratui, quam ut prestetis mouere uos debet autoritas diuina, quæ de Decalogo inquit: In præceptis meis ambulate. Et de legitimis magistratibus ait: Necessè est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hæc dicta sint uobis norme uitæ, & cogitate homines non conditos esse, ut pecudum more uagentur sine legibus, & sine cupiditatum frenis, sed Deo uiuere, & debere Deo conformes esse, cum sint imagines eius, & uelit ab eis agnosci, ut sese eis communicare possit, eos gubernare, & spargere in eos suæ lucis, sapientiæ, & iusticiæ radios. Deinde & hoc cogitate, Academias non debere Gigantum, aut Cycloporum exercitum esse, aut Circes stabulum, sed Dei templum, in quo & habitet Deus, & assidui sint casti Angeli togentes infirma corpora uestra. Ac manifestum est, multorum in hac Academia ætatem talem esse, quæ uere est domicilium Dei, & à castis Angelis custoditur, sicut scriptum est: Angeli eorum in cælis semper uident faciem patris. Horum teneris mentibus profecto necessè est inserere ueras sententias de Deo, de legibus Dei, de magistratibus, de disciplina. Horum animi præmuniendi sunt contra mala exempla, & perniciosas opiniones. Ideo assidue repetuntur in congressibus nostris commonefactiones, cum de cæteris rebus cognitione dignis,

tum

tum uerò & de obedientia Deo, & magistratibus debita. Grandiores etiam obtestor, ut & ipsi uelint esse domicilium Dei, & cogitent quam miserum & horrendum sit manere hostem Dei, aspernari sanguinem filij Dei, esse organum diabolorum, qui impios in multa scelera, & in tristissimas corporum, & animarum pœnas præcipitant, Omnes igitur uocem Dei audiamus, qui inquit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, & ardentibus uotis à Deo petamus, ut propter filium nos clementer recipiat, & Spiritu suo sancto, casto & ueraci gubernet. Misera hominum natura facile aberrat à recto sua infirmitate. Et uerissimum est illud Simonideum. Non facile est nasci τέτραγώνον, id est, perfectum. Sed tamen in teneris animis multum in utranq; partem doctrina ualeat. Dulce est libertatis nomen, & uerum est illud Lucani: Libertatis amor totum cur decipis orbem? quod rectius sic diceretur: Libertatis amor stultum cur decipis orbem? Auide igitur accipiuntur ille tribunitie conciones, quæ libertatem amplificant, & frenos cupiditatibus laxant, qualis hæc est concio Cynicorum potius quam Christianorum, quæ uociferatur hanc propositionem falsam esse: Bona opera sunt necessaria. Mirabitur posteritas fuisse seculum tam furiosum, in quo talis insania applausores habuerit. Sed uidete impudentiam, ut stabiliant hoc tetrum mendacium, assuunt manifestè deprauata Pauli dicta,



dicta, quorum natiuam sententiam omnes nosse  
 utilissimum est, non solum ut horum prestigiatos-  
 rum iudicare possint imposturas, sed etiam quia  
 alioqui grauissimam doctrinam in ijs dictis Paulus  
 tradidit. Alterum citatur ex posteriore Epistola ad  
 Corinthios scripta: ὅτι κατὰ ἐπιταγὴν λέγω.  
 Ibi Paulus de modo Eleemosynarum concionatur.  
 Et uniuersam Ecclesiam prœmunit contra Ana-  
 baptisticos furores, de Platonica communicatio-  
 ne. Non impero ut facultates in commune con-  
 feratis, nec præcipio quantum quisque conferre  
 debeat, ut principes in tributis modum præcipi-  
 unt. Non talia sunt imperia Apostoli, aut pasto-  
 ris in Ecclesia. Sed suum quisq; teneat, & suo  
 arbitrio modum Eleemosynæ constituat. Hec est  
 natiua sententia Pauli, in qua uidetis discerni non  
 præcepta à præceptis. Nec ualet hæc consequen-  
 tia, à non præceptis ad præcepta. Nam de præ-  
 ceptis dicitur ad Titum: Hæc dicito cum omni  
 imperio, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. De præcepto,  
 Non Mæchaberis, nequaquam diceret Paulus: ὅτι  
 κατὰ ἐπιταγὴν λέγω. Alterum citatur ex E-  
 pistola ad Philemonem, ubi Paulus ait se noluisse  
 retinere seruum fugitiuum sine domini consensu.  
 Nolui inquit tibi inuito adimere seruum. Sed re-  
 tinuisssem, si tua uoluntas accessisset. Hic de uo-  
 luntate in contractu inter partes loquitur, ut si  
 de conducendo equo ageretur, utar tuo equo, si  
 mihi uolens utendum dabis.

Hic de forma contractus loquitur inter partes, non de obligatione, qua Deo debemus obedientiam in preceptis. Et quidem rursus docet nos de distinctione dominiorum, non uult pretextu religionis seruum eripi domino nolenti. Vult in contractibus seruari legum uocem. Prohibet quidquam eripi dominis inuitis, seu furto, seu alijs modis, qui cum legibus pugnant. Hanc doctrinam uite utilem isti seurræ in alienissimam sententiam transformant. Hæc eo commemoro, ut & Sophisticam consideretis, & magis ametis studia doctrine, quod cum facietis, uidebitis quàm seuerè Deus nobis & legum reuerentiam, et disciplinam præceperit.

Noticia naturales, quæ uerissimè sunt radij sapientie ex mente diuina in nos transfusi, quæ sunt decalogi doctrina, sunt propositiones necessariae & immotæ magis quàm hæc propositio: Bis quatuor sunt octo. Manifesta igitur insania est, & Cycloporum & Cynicorum furor, dicere obedientiam, quam Leges diuinæ præcipiunt, non esse necessariam. Ac magistratuum seueritate cohercendi erant, qui tales opinionones defendunt contumeliosas contra Deum, & perniciosas moribus. Quid interest inter pecudes & homines remota Dei & Legum noticia? Hæc breuiter dixi, cum Leges Academiae recitandæ essent, quas cum audietis, simul de reuerentia Deo, legibus & magistratibus debita cogitate, & fontes doctrine de  
his

his maximis rebus intuemini, remota Antinomorum sophistica, & ut decet sanos homines, libenter Deo & honestis legibus obtemperate.

DIXI.

POST LEGVM RE-  
PETITIONEM BREVIS COM-  
monefactio dicta ab eodem  
Rectore.

**A**Vdiuistis Academiæ leges, quas cum fateri omnes oporteat pias, honestas, & tranquillitati communi utiles esse, præcipimus ut eis obediat. Fortassis autem leuius curant eas aliqui, quia uident nos non armatos esse præsidij, ut punire contumaces possimus. Sed scitote, Deum legum & ordinis Politici custodem esse, qui haud dubie contumaces punit, ut quotidiana exempla ostendunt. Et in Ecclesiaste scriptum est: Non erit impunitum scelus, etiamsi pœnæ differuntur. Nec tamen deerit officio suo illustrissimus Princeps, qui uult implorari auxilium suum in defensione iusticiæ, & pacis. Precamur autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, sedentem ad dextram æterni patris, ac dona largientem hominibus, ut semper Ecclesiam in his regionibus colligat, & nos omnes gubernet. Dixi. Die 17. Septembris. Anno 1559.

GRA.

## GRATIARVM ACTIO

PRIVATA, IN CONSENSV RE-  
uerendorum, clarissimorum & doctissimorum ui-  
rorum, Professorum & Præceptorum à Rectore  
Generoso D.D. Christophoro Burggrauiò à Dhon  
Barone habita, die Lucae Euangelistæ,  
cum resignaret magistratum  
scholasticum &c.

DEO æterno, patri Domini nostri IESV  
Christi, fonti sapientiæ gratias ago, quòd ha-  
ctenus Ecclesiam, & Academiam in hoc oppido  
elementer conseruauit, & eum oro, ut deinceps  
quoque nos protegat, & gubernet. Vobis etiam  
gratiam habeo, quòd ostendistis uos amanter &  
honorificè de me sentire, eamq; ob causam mihi  
magistratum mandastis. Et Promitto perpetuam  
Academiæ gratitudinem. Peto etiam mihi ignosci,  
si quid à me neglectum est. Ac nominatim gratias  
ago reuerendo uiro, Doctori Georgio Matori, qui  
labores administrationis hoc Semestre præcipuos  
sustinuit. Nunc more legitimo depono magistra-  
tum, & uos adhortor, ut ad noui Rectoris ele-  
ctionem, quam filius Dei gubernet,  
qui faciat, ut sit fausta & fœ-  
lix, procedatis.

DIXI.

M O R A.

ORATIONE VLA,  
 QVA RENVNCIAT, QVEM COM-  
 munitibus suffragijs, Senatus Academiae  
 Rectorem elegit &c.

Qvod faustum, & felix sit, expono vobis  
 omnium consentientibus suffragijs ele-  
 ctum esse Rectorem huius Academiae, virum cla-  
 rissimum Georgium Cracouum, Doctorem I. V.  
 Consiliarium Illustrissimi Ducis Saxoniae, Electo-  
 ris &c. Ac filium Dei Dominum nostrum Iesum  
 Christum, sedentem ad dextram aeterni patris, ac-  
 dantem dona hominibus, pastores, & doctores,  
 oro, ut & inter nos seruet & gubernet docentiu-  
 um & discipulorum coetus, & sit ipse huius Aca-  
 demiae Rector & Protector, & hunc Rectorem  
 Doctorem Georgium adiuuet.

DIXI.

RENVNCIATIO PV-  
 BLICA CORAM AVDITORIBVS,  
 qua simul eos ad obedientiam suo ma-  
 gistratui praestandam,  
 hortatur.

NON casu ortum est genus humanum ex De-  
 mocriti atomis, nec casu seruamur. Sed ue-  
 re est Deus aeternus conditor generis humani,  
 cum filio suo aeterno Domino nostro Iesu Christo,  
 &

Et Spiritu sancto, qui sibi Ecclesiam aeternam colligit uoce Euangelij per Et propter filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, Et resuscitatum, et mirabiliter in tantis confusionibus generis humani protegit, Et seruat cœtus docentium, Et discentium Euangelium.

Huic uero Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quod hastenus clementer in his regionibus colligit aeternam Ecclesiam, Et ueræ doctrinæ studia, Et eorum hospitia conseruat, Et hanc Academiam contra multorum hostium rabiem protegit, Et ut semper protegat, hanc Ecclesiam, Et Academiam, precor, quia uerissimè dictum est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Cum autem bono consilio constitutum sit, ut quolibet semestri onus Rectoris in alium transferatur, Et proficit omnes scire, quem magistratum habeant, id publicè proponitur. Itaq; expono uobis, quod faustum Et foelix sit, electum esse Rectorem huius Academicæ uirum clarissimum, eruditione Et uirtute præstantem Georgium Cracouium, Doctorem Iuris, Consiliarium Illustrissimi ducis Saxonie Electoris Et c. Singularem autem Dei beneficio in hac schola perspicuè illustrata est doctrina de discrimine ministerij Euangelici, Et Politici ordinis, Et de obedientia debita legitimis magistratibus. Hanc cogitantes huic Rectori uestro Doctori Georgio Cracouio reuerenter obedite propter

mandatum Dei: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hæc seuerissima sententia diuinitus tradita, comonefaciat uos de uoluntate, & iudicio Dei, & confirmet pectora, ne furenter contra Deum, & legitimos magistratus ruant, nec sibi iram Dei, & pœnas attrahant. Deinde reuerentia erga doctrinarum studia uos moueat, ut conseruari honestas Scholas uelit. Qualis in uita barbaries? Quales tenebræ, qualis in moribus confusio, quàm tetra, Dei religionum, & legum obliuio secutura esset? si deletis Academijs, indoctorum cupiditatibus, & monstrosis ac seditiosis fanaticorum hominum clamoribus omnia regantur, ut fit inter Anabaptistas, & illorum similes. Hæc mala ne accidunt, doctrinæ iusto ordine considerandæ sunt, quod fieri non potest, nisi sint honesti, tranquilli, & rectè ordinati docentium & discipulorum cœtus. Tales cœtus ut conseruentur, singuli suo loco præstent officia communi tranquillitati debita, & uelint Academijs esse uera Dei templa, & ornamenta Ecclesiæ, quibus Rector sit filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis, resuscitatus, sedens ad dextram æterni patris, dans dona hominibus, Pastores & Doctores, sicut inquit ipse: Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Hunc uerum Rectorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui inquit: Ego sum uitis uos palmites, oro,  
ut fac

ut faciat nos sibi palmites, nos doceat, gubernet,  
& protegat. Amen.

## ORATIO HABITA

A REVERENDO VIRO D. GEOR-  
gio maiore S. Theologiæ Doctore & Professore,  
cùm D. Paulo Ebero, Ecclesiæ Vuitebergensis  
Pastori, & tribus alijs gradum, & testimo-  
nium Doctorum in Theologia tri-  
bueret. 7. Decemb.

**T**IBI Deus omnipotens æterne pater Domi-  
ni nostri Iesu Christi, creator cæli & terræ,  
Angelorum & hominum, unà cum filio tuo coæ-  
terno Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro  
nobis & resuscitato, & Spiritu sancto tuo ueraci  
& casto gratias agimus, cùm pro omnibus bene-  
ficijs, tùm uerò pro hoc summo bono, quòd filium  
nobis misisti, & propter eum æternam Ecclesiam  
inter nos quoq; tibi colligis, & ueris gemitibus te  
oramus, ut semper inter nos æternam Ecclesiam  
colligas, & nos clementer gubernes, Idq; propter  
tuam gloriam facias, sicut dixisti: Propter me,  
propter me faciam, ut non adficiar contumelia,  
quia certè auditores tuæ doctrinæ sumus, & te  
uerum Deum, qui te patefecisti misso filio inuo-  
camus, & tuæ Ecclesiæ ciues sumus, & discedi-  
mus ab omnibus hostibus Filij tui & Ecclesiæ tuæ.  
Non abijcias nos ad te confugientes, quanquam  
M 3 sumus



sumus deformia ἐν ἑσώματα, & hanc Ieremie uocem ad te adferimus: Nostræ iniquitates merentur pœnas. Sed tu propter nomen tuum nostri miseraris. Quare ceu uagabundus Viator à nobis discessurus es? Maneto in domicilio tuo, quod uocem doctrine tuæ & expetit & discit.

Hæc initio præfari nos iustissimum est, quia hic congressus non solum propter disputationes, sed multo magis propter præcationem instituti sunt.

Addenda est autem & propter Iuniores disputationis. Et quia recens huc missa est questio: An ad cœnam Domini admittendi sint, qui à Iudicibus petunt defensionem aut pœnam, seu ut actores, seu ut rei, cum scriptum sit. Relinque munus tuum ante altare, ac itade, ac prius reconcilieris fratri tuo, & postea donum offeras. Esto consentiens aduersario tuo, &c.

Hanc questionem explicare decreui, non ut in malis confirmetur prophanitas, sed ut pijs consolatio necessaria ostendatur, & error eximatur. Ac meminimus ante annos ferè quadraginta uiro clarissimo Doctore Hieronymo ueram interpretationem pergratam fuisse, cum quidam ex Ecclesia uniuersum agmen forense eijcerent.

Optandum est omnino, ut censura diuinitus instituta seuerè exerceatur in Ecclesia, sicut scriptum est: Si non annunciaueris impio, sanguinem eius de manu tua requiram. Sed tamen antecedere debet

debet cognitio, & sit certa iudicij norma, nec fiat illud quod dicitur: Dat ueniam coruis, uexat censuram columbas.

Est autem uera iudicij norma hæc: Arcendi sunt à cæna Domini omnes, qui in delictis externis perseverant, pugnantibus cum uoce diuina, de quibus conuinci possunt. Nam Ecclesia non inspicit latebras pectoris, Sed iudicat externa facta, & normam habet Decalogum recte intellectum, quem & Paulus intuetur, inquiring ad Corinthios: Non sit societas cum Scortatoribus, defraudatoribus, Idolorum cultoribus, conuicatoribus, ebriosis, raptoribus.

Cum nominat Idolorum cultores, comprehendit omnes, qui in externa professione aut inuocatione primam Tabulam uolant, ut multi sunt Epicurei, Item Pyrrhonij, qui dici Neutrales uolunt, multi pertinaciter & rabiose Pontificia Idola defendunt, multi fanatica Anabaptistarum delramenta & similia, Deniq; omnes, de quibus Iohannes inquit: Omnis qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Minus obscurum est, quæ facta pugnent cum secunda Tabula. Qui iniuste lædunt aliorum corpora, Qui ostendunt cupiditatem nocendi & odia minus aut alijs signis, Qui sunt polluti uagis libidibus, Qui res aliorum rapiunt aut furantur, aut exercent iniustos quæstus, ut feneratorum, & qui in cõtractibus quoquo modo alios defraudant.

Item qui calumnijs & cmentitis conuicijs famæ aliorum nocere student.

Ebriosos etiam adiungit, qui dediti belluationi, omittunt sui officij labores, nec corporibus tribuunt debitum honorem, sed uolentes ea corrumpunt, & impediunt inuocationem & deliberationes.

Cogitate quàm multa tetra uitia nominariit Paulus, aduersus quæ censuram exerceri uoluit, quod si fieret, quanti labores essent iudiciorum Ecclesiasticorum.

Sed proh dolor, in hac ἀναρχία iacent Ecclesiarum iudicia, pij pastores non adiuuantur à potentibus, quorum multi ne iudicia metuant, nulla constitui uolunt. Multi specie iudiciorum habent Satellitia assentatorum, qui falsis opinionibus suos inurant, confirmant Idola, & multas iniustas dominorum cupiditates. Talis est enim generis humani miseria, ut dicitur:

Βίος μάλιςα τοῖς πονηροῖς ἕδεται  
πράττει δ' ἄριςα ὁ κόλαξ, δεύτερο.  
ὁ συκοφάντης.

Postquam uerò considerauius, qui nam arcendi sint à communionem, iam addatur altera Regula, quæ paucis syllabis comprehendere potest. Reverte doceat Pastor, & damnet omnia uitia interiora & exteriora. Cumq; de arcanis iudicare non possit, admittat ad cœnam Domini omnes, qui sunt ἀνεγκλητοι.

Hac una uoce complectimur externam obedientiam iuxta utramq; tabulam Decalogi. Sit professio ueræ doctrinæ cognita multis, & firma sit coniunctio cum uera Ecclesia in inuocatione. Sint mores iusti & casti, Sit in officio diligentia, Sit in uictu temperantia, Sit modestia in regenda iracundia & alijs adfectibus.

Tales admittendi sunt ad cœnam Domini, nec sunt arcendi propter militiam, aut forenses disputationes. Nam hæ res sunt partes politici ordinis, quem & instituit, & conseruat, & adprobat Deus. Maximè admittendi sunt ad cœnam Domini Constantinus & alij milites, iam in acie trucidaturi ingentem Licinij exercitum.

Excipit Melchizedek redeuntem ex prælio Abraham, & eum ad Sacrificium admittit, eiq; benedicat.

Hæc, cum de militibus manifesta sint, fatendum est, & iudices, & eos qui iudicium cognitionem flagitant, cum re optima diuinitus ordinata utantur, non arcendos esse à societate piorum.

At nemo litigat, nisi iratus & ardens odio. Scriptum est autem: Dilige proximum sicut te ipsum.

Etsi multi adferunt odia, cupiditatem nocendi, & Sycophantias ad iudicia, tamen hæc sunt uitia ab ipsis accersita. Ut autem amicissimi de maximis rebus dissimiles habent opiniones, & aliorum petunt & expectant decreta: ita boni de hæ-

reditate, de contractibus & alijs negocijs dissentire possunt sine odij acerbitate & cupiditate nocendi.

De re maxima de successione in regno florentissimo duo fratres filij Darij dissentiebant: Artabazanes & Xerxes. Nec tamen mutua benevolentia extincta est, sed arbitrio patris sese reuenter uterq; subiecit, frenata cupiditate: ne ultra Leges efferetur.

Vidimus ipsi duos fratres Duces Bauaricos Guilelmum & Ludouicum, cum propter Testamentum patris de successione dissentirent, sine odijs expectare Imperatoris Maximiliani sententiam, nec suauißimam familiaritatem, nec officiorum & donorum uicissitudinem intermittere.

In acie duo principes amicissimi Hector & Polydamas diuersa consilia habent, Ac primum consilium Polydamantis Hector antefert suo. Deinde alia in re suadenti quiddam indignum non obtemperat, cum quidem dicit Polydamas:  
 Quamuis ægre audis Hector me recta monentem,  
 Non populi tamen est cum damno gloria Regum  
 Amplificanda, salus potior sit publica ciui  
 Seu tunc consilium cum poscit Curia nostrum,  
 Seu cum stant instructæ acies, pugnaeq; cientur  
 Nunc quoq; dicenda est melior sententia nobis:

Dissentiebant inter se non de Asini umbra Fabius & Scipio, de traiciendo exercitu in Africam, & senex Fabius prioris belli exemplis terrebatur,  
 deniq;

deniq; rectius erat eius consilium. Nec tamen Scipionem oderat. Miltiades præliandum esse censebat, cæteri Duces prælium dissuadebant, non odio, sed alia moti probabili opinione.

Quoties uidemus amicissimos in Senatu aliqua diuersas sententias acerrimè propugnare, qui cum idem spectent, uidelicet salutem publicam, uias tamen diuersas ad eam esse putant. Dissentiebant sine odio Paulus & Petrus.

Cum igitur sine odio & sine cupiditate iniuste nocendi, possit esse opinionum dissimilitudo, & sepe graues dubitandi cause sint, & speciosa argumenta in utraq; parte, licet deferre controuersias ad sapientes gubernatores, cum quidem hunc ordinem & instituerit Deus, & audiri nobis dubitantibus uelit.

Reuerentia est Deo, legibus, & magistratibus debita horum uocem anteferre priuatae opinioni & cupiditati. Ut cum singulari pugna dimicant inter sese Ajax & Hector, quiescit uterq; exercitus spectator uirtutis duorum fortissimorum Ducum: Ita dum inter sese argumenta utriusq; partis sapienter proposita dimicant, retineantur ineluse cupiditates propter mandatum Dei, & propter hunc ordinem diuinitus sancitum.

Hæc docendi sunt homines, ut odia, & cupiditatem iniuste nocendi reprimant, & agnoscant ordinem diuinum, & propter Deum reuerenter audiant Leges & Magistratus. Hæc doctrina ad pietatem,  
ad

ad regendos mores, & ad pacem publicam conducit. Nec sunt hæc Stoica, seiungere odia, & disputationem forensam, sicut in Senatoria deliberatione seiungi odium & alias prauas cupiditates necesse est. Lex enim sit gubernatrix, non cæca cupiditas.

Docet igitur nos filius Dei de rebus maximis, cum iubet accedentem ad aram prius reconciliari fratri. Cultus esse ostendit, non ritus sacrificiorum in impijs, Sed uult præluce fidem, uult corda habere nouæ obedientiæ semina, sicut in Hosea inquit: Misericordiam uolo non sacrificium, & agnitionem Dei, non holocausta. Itaq; ante ritus sacrificiorum reconcilieris fratri, deposito odio, abiecta etiam controuersia, si scis te iniusta petere. Sed si res dubia est, amanter paciscamini uos legis uocem expectaturos & audituros esse. Sepe enim controuersie non ad te unicum, sed ad totam familiam, aut ad pacem publicam pertinent, ut illa Ducum Bauariæ, de qua dixi.

Eadem est sententia dicti: Esto consentiens aduersario tuo cito, Videlicet deposito odio & abiecta controuersia, si scis te iniusta petere, uel si res dubia est, amanter paciscamini uos Legum & Iudicum uocem expectaturos & audituros esse. Et quidem Græcè legitur ἰοδι εὐνοῶν, Sis beneuolus.

Iam cogita quàm necessarium sit hoc præceptum in Ecclesia, in uita politica, in œconomica.

Quàm

Quam multa horribilia incendia uidimus in Ecclesia orta sine ullis ueris causis, tantum accensa Ἐλονακεία & odijs, deinde astute quæsite sunt σκαλοζαεία δικάσιον, sicut Plato nominat. Discessit ex nostris Ecclesijs Staphylus odio quorundam iniusto, Finxit causas contra conscientiam, Se ueteris & perpetuæ Ecclesie uindicem esse uelle, cum sciat multa noua Idola νεῦν βδελύγματα à Pontificijs defendi, prorsus ignota ueteri Ecclesie. Manifestum est & alios quosdam odio nostri, non ueris causis absurdas sententias defendere. Præterea, ut in febre, cum in lingua biliosus humor redundat, & reliquos humores diluit, dulcia etiam gustanti fiunt amara: Ita mens luuida facile in alieno sermone inuenit quod displiceat. Nec uerò potest esse pax, nisi in diiudicando sit sanitas, & candor adhibeatur, qui interdum obscure aut ambigüe dicta concinnè interpretetur. Exempla passim obuia sunt. Scripsit alicubi LUTHERVS, duo esse Sacramenta diuinitus tradita, cætera addita esse humana auctoritate, Sceleratè Staphylus uociferatur, Lutherum dicere, Coniugium humana auctoritate institutum esse, cum tantum de appellatione Sacramenti Lutherus disputet: An Coniugium, quod omnes constanter adfirmamus diuinitus institutum esse, nominandum sit Sacramentum noui Testamenti? Res perspicua est. Et tamen ille Sycophanta perregimam sententiam adfinxit. Tales ludi sunt aduersa-



uersariorum, quos ut filius Dei amans ueritatis  
 compescat, precemur. Circumspectione nostra  
 uitari tales reprehensiones non possunt, ut dicitur:  
 οὐδέπ' ἀλεξιφάρμακον τὸν συκοφάντου  
 δῆγματ' Ⓞ. Sed non tantum hæc impudentia  
 ostendit eos male causæ patronos esse, & indul-  
 gere odijs: Verum & parricidia tot annorum il-  
 lustria signa sunt odij. In Hispania, in Gallia, in  
 Belgico, & multis locis alijs magna seuericia in pios  
 exercetur. Et Episcopus Treuerensis nunc ad ue-  
 terem Treuirorum urbem, quæ & olim fidum ho-  
 spitium Ecclesiæ fuit, exercitum admouit, ut pios  
 ibi interficiat. Hæc considerare uos decet, ut co-  
 gitetis, quæ & ubi sit Ecclesia, & qui sint ueri  
 fontes disidiorum, ut Ecclesiæ coniunctionem  
 omnibus officijs tueamini, Ac ut in ciuili consue-  
 tudine discerni ciues & hostes oportet, & ne in-  
 finite fiant distractiones, quædam in ciuibus in-  
 suauiâ sapienter toleranda & lenienda sunt, ut to-  
 lerat Scipio Tribunos: Ita in Ecclesia pij coniun-  
 cti in uera inuocatione, qui etiamsi infirmi sunt:  
 tamen sunt dociles, discernantur ab Atheis & Ido-  
 lorum defensoribus, qui cum uniuersam Ecclesiæ  
 doctrinam inanem fabulam esse statuunt, tantum  
 eò retinent usitata Idola, quia uident simulatio-  
 nem superstitionis adferre opulentiam, & ner-  
 uum esse potentie. Aduersus illam Titanum so-  
 bolem coniuncti sint ueræ Ecclesiæ ciues, non  
 prælientur inter sese ut Cadmei fratres, sed cogi-  
 temus

tenuis in hoc agmine CHRISTI plurimos esse  
teneros & languidos comites, qui ita ducen-  
di sunt, ne defessi extinguantur, Sed ut paula-  
tim sequentes confirmantur, ad quos etiam uerè  
pertinet uox Psalmi: Ex ore infantium & la-  
ctentium perfecisti laudem. Talibus parcendum  
est, nec odio exulceranda sunt eorum uulnera, quæ  
paulatim mitioribus remedijs sanari possunt.

De tali studio tuendæ, coniunctionis & ad su-  
os ciues hoc modo scribit Demosthenes, cuius uer-  
ba libenter recito, quia prodest omnibus notissima  
esse: παρακαλῶ δὲ εἰς ταῦτα, ὅν τι χῶρ' αὐτῶν  
τοιαύτης φιλανθρωπίας πᾶρ' ἐνίωρ, ἀλλ' ἀδί-  
κως καὶ σασιασικῶς εἰς τὴν ἑτέρωρ χάριμ  
προποθεῖς, ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀνα-  
πληρῶν τὸ κοινῆ συμφέρον ὀνομαζέμεν βλά-  
πην, οὔτε μίγνυμι τὰς ἰδίας ἐχθρας εἰς τὰ  
κοινῆ συμφέροντα οὐδέρ, ἀλλὰ ἔφ' ἃ τὸς ἄλλοι  
λοῦς παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς ὀνομαζέμεν πρῶ-  
τον ποιῶν. Id est, Adhortor alios ad deponen-  
da odia, cum quidem simili humanitate multi er-  
ga me non sint usi, qui me iniuste & seditio-  
se inimicis propinarunt, Sed iudico non ex-  
plendam esse uindictæ cupiditatem cum perni-  
cie publica, nec priuata odia miscenda esse ne-  
gocijs publicis, Sed me primum hanc modera-  
tionem, ad quam alios adhortor, prestare de-  
bere. Hæc ille ciuibus Atticis concionabatur.

Quantò

Quantò plus est esse Ecclesiæ ciuem, in qua filius Dei seuerissimè hoc mandatum præcipit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Has comamonefactiones cum saepe audiatis, & exempla nostra in tolerandis iniurijs conspiciantur, sit hæc oratio breuior. Precor autem toto pectore filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut efficiat, ut omnes, qui in Ecclesijs nostris docent, unum sint in ipso.

DIXI.

PETITIO AD VI  
CE CANCELLARIUM  
Academiæ.

**R**euere[n]de uir, Domine Vicecancellarie Integerrime. Scimus scriptum esse de Filio Dei: Sedet ad dextram æterni patris, dans dona hominibus, Pastores & Doctores. Non dubium est igitur salutare Doctores uerè à filio Dei nobis tribui. Sed hos sumit ex cœtu discentium, & uult accedere nostram electionem, quam ipse gubernat. Vult & testimonia de doctrina & moribus proferri, propter quæ additus est docentibus Cancellarius, ut plures essent Inspectores studiorum & morum. Ideò tibi offero hos quatuor uiros, quorum eruditionem, confessionem, & mores probari Lectoribus notum est. Sed uolumus etiam tuum iudicium & auctoritatem accedere. Etsi congruet  
tuum

tuum de eis iudicium, cum nostro, ut spero, Peto  
 ut tribuas eis potestatem seu licentiam accipiendi  
 gradum Doctorum Theologiae. Precor autem fi-  
 lium Dei, qui inquit: Ego sum vitis uos palmites,  
 ut nos omnes gubernet, & faciat, ut simus palma-  
 tes fecundi ipsi insiti.

DIXI.

## RESPONSIO VICE CANCELLARII.

**V**etustissimi Canones hoc sanxerunt, ut nulli  
 praeficerentur Ecclesijs, qui non antea certo  
 spacio temporis in Ecclesiastico ordine fuissent.

Voluit sapiens uetustas diu & à multis explo-  
 rari eruditionem & pietatem eorum, qui praesu-  
 turi erant Ecclesijs.

Inde in Academijs sunt graduum tempora, &  
 multi iudices adhibentur, Et collegijs docentium  
 adiunctus est Cancellarius, quem uoluit uetustas  
 inspectorem esse studiorum in uniuerfa Academia,  
 & ueluti censorem.

Atq; utinam nobis plures adiuncti essent uiri  
 docti & pij, qui studia nostri coetus adiuuarent  
 & inspicerent. Sed hoc tempore Cancellarij uices  
 gerunt Decani.

Cum autem ego & collega mei hos doctos &  
 pios uiros audierimus, Paulum Eberum, Erasnum

N

Letum,

Letum, Iohannem Cogelerum, & Paulum Crellium, & probemus eorum eruditionem, mores, & piam confessionem, ego autoritate, qua hoc tempore fungor, iudico dignos esse honorifico testimonio, & tribuo eis licentiam & potestatem accipiendi gradum & ornamenta Doctorum in Theologia.

Scio autem uerè à filio Dei sedente ad dextram aeterni Patris dari dona Ecclesiae, Pastores & Doctores. Sed hos sumit ex his, qui doctrinam discunt, quem toto pectore oro, ut clementer in his regionibus seruet Ecclesiam suam, & hos, quibus testimonium tribuimus, semper gubernet, & faciat eos uasa misericordiae, & organa salutaris suis animabus & alijs.

DIXI,

ORATIVNCVLA DE  
 DICTO PAVLI, EPHES: IIII  
 recitata à D. Paulo Ebero.

**Q**uoniam iubemur aliquid hoc loco dicere, etsi nos hic confessus amplissimorum & doctissimorum uirorum ad dicendum timidiores reddit, conscios nobis infantiae nostrae, quae nihil adferre potest dignum talium auditorum sapientia, eruditione & iudicio confirmato maximarum rerum usu & experientia; tamen rursus erigit  
 nos

nos eorundem perspecta humanitas & æquitas, quos cum Scholarum consuetudinem norint, & sciant, nos has partes non sumere nobis ultrò, sed delatas, atque impositas saluo officio recusare non posse, speramus ueniam duros nobis, præceptorum mandato, ut decet, obsequentibus, & nos pro more Scholarum pauca dicentes, patienter audituros esse, quod quidem etiam ut faciant, & Collegarum meorum, & meo nomine reuerenter & officiose peto.

Constitui autem pauca dicere de insigni dicto Pauli ad Ephes. 4. Ascendit in altum, captam ducens captiuitatem, & dedit dona hominibus, Ex quo dicto in magnis sepe doloribus consolationem hausi.

Sumpsit autem id Paulus ex Psalmo 68. ubi magnificè describitur gloriosus Triumphus uictoris Messie Domini nostri Iesu Christi, redeuntis in cælum, post deuictos hostes:

Hunc uictorem regressum in sua, hoc est, in altum seu cælum, unde ad hunc conflictum cum hostibus generis humani sese demiserat, post illam pompam triumphalem dicit Psalmus accepisse dona distribuenda hominibus, pro consuetudine Imperatorum triumphantium, qui reuersi ex terra hostili, magnifico cum apparatu ingressi urbem, ante omnia ascendebant in summum templum, ubi cum sacrificassent *αὐτῶν*, & gratias Deo egissent pro uictoria, distribuunt donatiua in mili-

tes & Congiaria in ciues, ut omnes illa uictoria  
leti fruere & iuuarentur. Ea dona qualia  
fuerint & adhuc sint, quae quotidie ab hoc Tri-  
umphatore Christo distribuuntur, exponens Apo-  
stolus Paulus ait, Ab ipso dari alios quidem Apo-  
stolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pa-  
stores & Doctores, quae sane expositio mirifica  
est, & rationi absurda atq; etiam ridicula uideri  
potest.

Si enim huius triumphantis magnitudinem,  
potentiam, opulentiam, munificentiam spectes,  
nihil ab eo expectare muneris potes, nisi magnifi-  
cum, amplissimum, preciosissimum. Est enim hic  
uictor non ut alij, imbecillis homo tantum, sed si-  
mul Dei Filius, opifex & gubernator caeli & ter-  
rae, possidens omnes Thesauros summorum & cae-  
lestium bonorum.

Quid igitur censes dari ab immortali, nisi ae-  
terna bona? à ditissimo, nisi amplissima? à Deo  
deniq; nisi diuina? hoc est, sua magnitudine ac  
bonitate immensa & infinita bona?

Quae igitur sunt illa dona, quae hic talis et tanta  
uictor, tam munificus, & ob ipsum uictoriae  
successum liberalior, suis distribuit, quos unice  
diligit, pro quibus tanta pericula & mala subiit  
& sustinuit?

Dedit inquit Paulus, alios Apostolos, alios Pro-  
phetas, alios Euangelistas, alios pastores, alios Do-  
ctores.

Hæcine sunt illa egregia dona, quæ ex alto conferuntur à tam potente, magnifico, liberali Triumphatore Christo, sedente ad dextram æterni Patris, & uerbo potentie suæ omnia sustinente? An hic fructus omnis & finis uniuersi illius belli censeri debet, quod Filius Dei tanto cum momentum gessit cum hostibus generis humani, in quo morte ipsius uictoria parta est? An hæc sola utilitas ex tam celebri uictoria, & tam glorioso triumpho filij Dei expectari debet, scilicet ut sint inter homines alij Apostoli, alij Pastores, alij Doctores.

Quid uerò ipsi Apostoli sunt, qui inter hos, quos Paulus prædicat esse dona Triumphatoris Christi, primi numerantur, & donis linguarum & sanationum & aliorum miraculorum diuinitus ornati excellunt? Quid sunt inquam illi ipsi Apostoli? nisi homines communi sorte totius generis humani ærumnosi, fragiles, mortales. Imò quid Apostolus Paulus de se & collegis suis, hoc est, de Apostolis uniuersis sentit & scribit? 1. Corinth. 4. depingit suum collegium mirificis coloribus, miserrimam conditionem & tristissimam speciem esse summorum in Ecclesia, ostendens, cum dicit: Puto autem quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit ceu morti destinatos, quia spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis & Hominibus. Nos stulti sumus propter Christum, nos infirmi, contempti, famelici, sitibundi, nudi,



di, nudi, contumelijs omnium expositi, uagantes incertis sedibus, querentes nobis uictum manuum laboribus, maledictis & blasphemijs proscindimur, & odijs omnium ordinum infestamur, denique κατὰ δέρματα huius mundi facti sumus: ἡγεῖται πάντων περιφύματα.

Hoc cum de Apostolis uniuersis dicat Paulus, qui ipse omnium iudicio inter Apostolos facile primum locum obtinet, reuocemus nobis in memoriam, quid de se ipse peculiariter dicat. Quam miserè deplorat suam infirmitatem, palam profitens, se non facere bonum quod uelit, sed malum quod nolit? Item sibi esse infixum palum in carnem Angelum Satanae, à quo durissimè cedatur colubis.

Quam uerò tristi & tetra imagine se ipse deformat & abiicit Paulus, cum se uocat ἐκ τρωμα, hoc est, immaturum & imperfectum factum, seu molam, abortu eiectam?

Tales cum se ipsos esse dicant ipsi Apostoli, qui inter illa dona triumphalia primi recensentur, quid de reliquis sentiendum est, Pastoribus & Doctoribus, qui non illis tantis donis spiritus orati nati sunt?

Mirum igitur uideri potest, cur audeat Paulus hos miseros, ærumnosos, abiectissimos & contemptissimos homines uocare dona illa, quæ hic tantus uictor & Triumphator Dominus noster Iesus Christus ceu præcipuas manubias et fructum totius

totius gesti à se belli, uictoriae & Triumpho sui inter homines distribuatur.

Sed statuamus grauiſſimo conſilio Paulum ita hunc Dauidis locum interpretatum eſſe, ut per illa cœleſtia dona, quæ uictor Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Cœlum reuectus distribuenda accepit hominibus, intelligat Apoſtolos, Prophetas, Paſtores & Doctores. Cauſam igitur huius interpretationis quæramus. Ita fiet & Dauidis dictum, & Pauli declaratio illuſtrior.

Notum eſt in Eccleſia, quomodo primi parentes circumuenti inſidijs ſeu iſſimi latronis Diaboli, & ſpoliati ſint illis cœleſtibus bonis, quæ ad imaginem Dei formati, in creatione acceperant, & inſuper ſauciati ſint incurabilibus & prorsus lethalibus uulneribus. Sed Filius Dei immenſa bonitate miſertus generis humani, ita fœdè deformati & auulſi à Deo, & in æternum carcerem iræ Dei, & mortis concluſi ab hoſte Diabolo, ideo humanam naturam aſſumpſit, ut inſlicta uulnera ſanaret, & bona nobis à Diabolo crepta, reſtitueret.

Hæc bona ſunt: remiſſio peccatorum, gratuita acceptatio & reconciliatio, donatio Spiritus ſancti, uera agnitio Dei, pax & læticia in Deo, inchoatio conformitatis cum Deo, certiſſima ſpes uitæ & conſuetudinis æternæ cum Deo, ubi coram perfruemur infinita luce, ſapientia & gloria diuina.

Hæc bona prius amissa per primum lapsum Filius Dei Dominus noster Iesus Christus recuperavit, fracto, exarmato, spoliato, & æternis uinculis constricto Diabolo, eaq; bona reddit omnibus ipsum fide sequentibus & amplectentibus.

Hæc sunt uerissima illa dona seu manubia seu congiaria, quæ uictor & Triumphator noster Iesus Christus receptus in cœlum suæ Ecclesiæ impartit ac distribuit.

Cur igitur Paulus, cum uellet illud dictum Psalmi interpretari de donis distribuendis, non fecit potius mentionem horum uerè cœlestium & æternorum honorum, quæ sola digna sunt à tanto domino et uictore donari? Cur maluit dona uocare homines arumnosos, suam ipsorum multiplicem infirmitatem deplorantes, & morti obnoxios?

Causa est uerissima, quòd diuus Paulus respexit ad Modum, quo communicantur nobis hæc cœlestia & æterna bona, quæ non aliter nobis tribuuntur, nisi per ministerium uerbi. Admirando enim consilio & certissimo decreto constituit Deus, uoce Euangelij prolata per filium ex sinu æterni patris, & sonante per Apostolos, & non aliter, saluos facere homines, & participes reddere æternorum beneficiorum, quæ sua morte, uictoria, resurrectione & leto Triumpho peperit, & impetrauit generi humano Dominus noster Iesus Christus, sicut inquit ipse Paulus, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Idèò

Ideo Paulus dona illa triumphantis Christi sapienter exponit ipsos Apostolos, Pastores & Doctores, quia per illos sonantes Doctrinam à filio Deo acceptam, conferuntur & distribuuntur illa cœlestia bona omnibus, qui audito uerbo credunt, & parta bona à filio Dei & oblata per ministros fide sibi applicant.

Estq; hoc dictum Pauli oppositum perniciosissimo errori Stenckfeldij & aliorum Enthusiatarum, qui uel uerbum uocale prorsus extenuant & contemnunt, uel docent neglecto uerbo expectandos esse raptus uiolentos.

Nobis uerò & doctrina proponitur & consolatio.

Doctrina est qua monemur, ut magnificiamus & ueneremur ministerium Euangelij, & uerè statuamus per illud, & non aliter, nobis donari illa cœlestia bona, parta sanguine & morte Domini nostri Iesu Christi, iuxta Pauli dictum: Quos elegit, hos & uocauit, Item, Fides ex auditu est.

Consolatio multiplex continetur hoc breui dicto Pauli. Primum quòd filius Dei ipse sit custos Ecclesiæ, & conseruet ministerium, excitatis subinde pijs ac salutaribus Doctoribus. Ideò enim ascendit in altum, inquit Paulus, ideò sedet ad dextram Dei patris, ideò regnat, ut det ministros, quorum uoce colligatur Ecclesia in genere humano.

Deinde singulis uocatis ad munus docendi in Ecclesia hæc ingens consolatio proponitur, Quod Paulus uult eos certò statuere, filium Dei λόγον uelle efficacem esse per ministerium ipsorum, sicut inquit alibi: Labor uester non erit irritus in Domino.

Sumus nos sanè ærumnosi, sumus miseri, sumus sprete in mundo & conculcati & uerè Ἰσθνευνοὶ, sumus etiam infirmi & multis sordibus foedati, ac prorsus ut Psalmus loquitur, ἄπιοι καὶ ἀλάζοντες, Imò reuera sumus, ut Paulus de se inquit: ἐν ἑώματι. Tamen sciamus filium Dei per nostram infirmam uocem efficacem esse & per hanc stultam prædicationem saluos facere credentes uerbo, sicut inquit: Virtus mea in infirmitate perficitur.

Ita hoc loco Paulus inquit, Apostolos, Pastores & Doctores esse illa dona, quæ filius Dei actò triumpho suæ Ecclesiæ distribuatur, hoc est, esse illa ipsa organa, per quæ illa cælestia & in æternitatem duratura bona hominibus impertiat.

Hac nos consolatione & in communibus ærumnis, & in sensu infirmitatis propriæ erigamus & sustentemus.

Te uerò fili Dei λόγε καὶ ἐκὸς αἰδίου πατρὸς, collector & custos Ecclesiæ tuæ oramus, ut nos miserrimos homines uerissimè infantes & lactentes, & uocatos tamen ad hoc difficile munus, ut tuam uocem in Ecclesia sonemus: regas ipse spiritu

Spiritu sancto tuo, doceas, confirmes, & sustentas  
in hac magna infirmitate nostra, & in hac tristi  
confusione postrema ætatis mundi, ut simus orga-  
na salutaria, per quæ sanctificetur nomen tuum,  
plurimi perducantur ad societatem regni tui, &  
aliqua tibi in genere humano grata fiant, Amen.

D I X I.

## Q V A E S T I O R E C L

TATA A PAVLO EBERO

D. Pauli filio.

CUM iussus essem hoc loco aliquid proponere, etsi mea ætas nondum idonea est ad dicendum in tanta frequentia senum & eruditorum, meq; uerecundia, quam præcipuam esse in iunioribus oportet, Sicut Homerus inquit, αὐδῶς δ' ἔειπέω ὅσι γῶραι ἔροπον ἄγῶρα δ' αὖ, mouebat, ne in hunc locum prodirem: tamen eò libentius obtemperei Præceptoribus, me in hunc locum ducentibus, quia uolunt me non esse ociosum spectatorem honoris carissimi patris mei. Ego quidem & toto pectore gratias ago Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, creatori generis humani, & æternam Ecclesiam uoce Euangelij propter filium & per eum colligenti, quòd hæcenus nos clementer & gubernauit & protexit, & patrem mihi talem dedit, & suis donis ornauit: & oro, ut deinceps totam familiam seruet & gubernet

Ingens

Ingens beneficium Dei est, longo ordine posteros & uidere Ecclesiam, & maiorum testimonia audire, ut ea posteris tradant. Talis felicitas maior fuit ante diluuium, sed tamen & post diluuium uidit & audiuit Abraham progenitorem Sem, ex quo nonus ortus erat, cum quidem, à diluuiio usq; ad circumcisionem sint anni circiter quadringenti. O magna felicitas, uidere & audire certa testimonia maiorum de doctrina tot seculis. Etsi autem in hac misera senecta mundi non sunt tam longa uitæ spacia, tamen gaudeo me uidere Patrem & collegas, qui norunt historiam Ecclesie horum quadraginta annorum, & Deo gratias ago, quod hæcenus hunc cœtum seruauit, & oro, ut deinceps nos seruet & gubernet.

Cum autem consuetudo sit proponere questionem in his congressibus, haud dubie hanc ipsam ob causam instituta, ut nos iuniores doctrinæ summam, quæ certis testimonijs à maioribus traditur, meminisse studeamus, propono & ego Reuerendis uiris Doctori Erasmo, & Doctori Iohanni hæc questiones, dignas consideratione. Quarum prior est: **CVR FILIUS DEI NOMINE TVR ΛÓΓΟΣ?**

Vsitata enarratio est, quæ & apud Basilium extat, quia cogitatione nascitur, cum sit imago æterni Patris.

Altera enarratio est Nazianzeni & aliorum, quia sit persona immediate alloquens Patres, & omni

omni tempore in Ecclesia seruans ministerium  
Euangelij, & efficax uoce Euangelij, sicut & ipse  
dicit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Et Esai:  
quingagesimo secundo: Ego ipse qui loquor ad  
sum. Et dulcissime inquit Irenaeus: Semper adfuit  
Ecclesiae λόγος.

Hæc enarratio dulcior est, quia ostendit & esse  
λόγον ὑπεσάμνον, & semper eum adesse Ec-  
clesiæ, & in nobis fidem & inuocationem accen-  
dere.

Peto igitur à te Reuerende Domine D. Erasme  
longiorem explicationem.

Tibi uero Reuerende D. Doctor Iohannes hanc  
questionem propono: AN TOLERANDA  
SIT VOX IN ECCLESIA istorum, qui  
contendunt, hanc propositionem esse ueram: No-  
na obedientia non est necessaria, cum Paulus dicat,  
οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω. Harum questionum  
explicatio cum ualdè utilis sit oro, ut de eis aliquid  
dicatis,

Vobiscum autem oro Filium Dei Dominum  
nostrum Iesum Christum, qui dixit, Ego sum uitis,  
uos palmites, ut nos sibi inserat tanquam  
palmites, & semper nos seruet, gu-  
bernet & protegat.

DIXI.

Respon-



## RESPONSIO D.

DOCTORIS ERASMI

de priore *Questione.*

**N**on dubium est summam omnium *questio-*  
num in genere humano esse, quid sit filius  
Dei, & an apud Ecclesiam initio fuerit etiam an-  
tequam ex uirgine natus est. Existimo etiam pri-  
mum hoc certamen in Ecclesia fuisse, quia diaboli,  
qui sunt hostes filij Dei, horribiliter impulerunt  
Cain & alia impia organa, ut negarent adesse  
hunc custodem Ecclesie, & multò magis riderent,  
cùm dicebatur adfuturus esse adsumpta humana  
natura & passurus.

Deinde post quàm apparuit adsumpta humana  
natura, non solum certamina de hoc filio mota  
sunt, sed etiam horribile Imperium Mahometicum  
exortum est ad propagandam & defendendam  
blasphemiam contra eum.

Ideo necesse est pias mentes confirmari illustri-  
bus testimonijs, ut & honos filio Dei tribuatur,  
& nostra inuocatio non languescat.

Cùm autem ipse dicat: Nemo nouit patrem  
nisi filius, & cui uolet Filius reuelare, toto cum  
pectore oro, ut ipse nos doceat de æterno Patre,  
& de sese. Et cum dixerit: Ego sum uitis, uos  
palmites, oro, ut nos sibi inserat, tanquam surculos  
& palmites. Hæc cum in inuocatione cogita-  
mus, his ipsis testimonijs de beneficijs commonefa-

cti ag-

Et agnoscamus, uerè hunc Dominum esse omnipotentem, & semper uerè Ecclesiæ adfuisse. Et quidem uniuersa Prophetica doctrina ita nos de eius diuinitate docet, subinde repetens dicta, quæ adfirmant, omnipotentem esse, & inuocandum esse. Hæc duo nequaquam conueniunt ulli naturæ, quæ non est Deus. Sæpe autem mihi propono illustre testimonium, quod in Epistola ad Colossenses extat, ubi expressè dicitur: Per Christum omnia condita esse, & ipsum esse ante omnia. Est igitur in Christo natura coeterna patri & ἀπ᾿ ἄρχῆς ἡ αἰωνίου Patris. Talibus erecti testimonijs alacres ad eum confugiamus & ab eo petamus & expectemus auxilium, sicut Esaias inquit: Gentes ad eum confugient, & in Psalmo dicitur: Et deprecabuntur coram eo semper, & ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hunc ei cultum, hunc honorem præstemus, & nos ab omnibus blasphemis seiungamus, qui hunc Filium Dei Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, nolunt inuocare. Intueamur etiam segniciam nostrorum peccatorum, & doleamus, non esse ardentiorē inuocationem nostram, & sæpe repetamus hanc exclamationem: Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ.

Hanc meam confessionem & inuocationem hoc præsertim loco prius recitare uolui, quàm ad tuam questionem responderem.

Non

Non dubium est in primo capite narrationis Evangelicæ apud Iohannem,  $\kappa\upsilon \alpha\rho\chi\eta \eta\rho \delta \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , nominari Filium  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ . Sic & in Epistola prima Iohannis, capite quarto, scriptum est: Tres sunt testificantes in cælo, Pater,  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , & Spiritus sanctus. Et Ignatius ait intelligendum esse  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$   $\omicron\upsilon\sigma\iota\omega\delta\eta$ , ut discernat à sono evanescente. Etsi autem de causa huius adpellationis scio Scriptores disputare, tamen hæc enarratio minus obscura est cæteris, dici hunc filium  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , quia sit persona, per quam Pater alloquitur Ecclesiam, & arcanum decretum, uidelicet Euangelium profert de reconciliatione, ignotum omnibus Angelis, sicut in Iohanne scriptum est: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.

Hæc interpretatio nominis etiam dulcis commonefactio est de perpetua & adsidua præsentia filij Dei apud Ecclesiam, de qua sepe concionatur: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Item: Vbicunq; duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Ego sum uitis, uos palmites, sine me nihil potestis facere. Ego in patre meo sum, uos in me, & ego in uobis. Item, Sedet ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus. Hanc præsentiam filij Dei sepe cogitantes, petamus & expectemus ab eo gubernationem, protectionem, & liberationem ab omnibus malis, & hanc consolationem teneamus, semper seruaturum esse aliquem cæcum,

coetum, qui sit uera Ecclesia, & domicilium ipsius. Simul etiam cogitemus, quæ nam sit hæc uera Ecclesia, & ubi sit, nec dubitemus esse hunc ipsum coetum, in quo uox Euangelij sonat, sine corruptelis cum fundamento pugnantibus. Huius Ecclesiæ cum ciues sumus, certum est nobis adesse Filium Dei, qui seruabit Ecclesiam suam, quanquam uarijs & magnis ærumnis exercetur, & ut seruet nos, toto eum pectore oro.

Tantum de tua Quæstione in hac breuitate temporis respondere uolui, magis, ut confessionem meam ostenderem, quam ut disputationem instituerem. Cum enim uera sententia comprehensa est, acquiescant in ea piæ mentes, & sit modus disputationum, & rixatrices naturas uitemus, quæ non patiuntur sibi satisfieri, & non hoc agunt, ut doceant & sanent alios, sed ut Academico more labefactent omnia, & mentes in labyrinthos inducant, ubi incertitudine oppressæ pereant. Sit igitur modus disputationum, & agnitam ueritatem piè retineamus, & nos à filio Dei confirmari petamus.

DIXI.

RESPONSIO DO-  
CTORIS IOHANNIS COGÈ-  
leri, de altera quæstione.

**P**olycarpum sanctum senem aiunt, solitum digitis obstruere aurium meatus, si quando au-  
diebat

O

diebat blasphemias uoces. Ego & mihi & populo aures obstruktas esse optarim, cum eduntur aut leguntur illa tetra uoces contendendum: Nouam obedientiam non esse necessariam, Item bona opera officere saluti. Mirabitur posteritas huius seculi furores, quo conceditur, ut talia defendantur in Templis, & edantur in publicis Scriptis. Etsi autem & mihi placet non uti hac propositione: Bona opera sunt necessaria ad salutem, tamen constanter adfirmo, & Deo iuuante in tota æternitate adfirmabo, hanc propositionem ueram esse sine ulla peregrina interpretatione, sine ulla Sophistica intellectam: Noua obedientia est necessaria, seu, Bona opera sunt necessaria, quia necessarium non significat metu extortum, sed significat ordinem diuinum, quo creatura rationalis subiecta est creatori, ut quanquam sopya in parentibus, quò est ardentior, eò magis spontanea est, tamen uerissima est propositio: sopya est necessaria, quia natura sic à Deo ordinata est. Prætera barbarica insulsitas est, quòd cum fit mentio bonorum operum, tantum de externis dicunt uolunt. Nos interiorem & exteriorem obedientiam nomine bonorum operum complectimur, sicut uox diuina loquitur. Ne quidem populus bonum opus tantum umbram externi operis, seu gestum externum intelligit, sed in mente consilium rectum & προαίρεσις bonam complectitur. Hæc cum perspicua sint, tamen in multis tanta est, non dico

dico in scitia, sed malitia, ut non desinant latrare contra manifestam ueritatem.

Vt igitur breuiter respondeam, retineo Pauli dictum, qui ait: Debitores sumus. Et Christus inquit, quod debuimus fecimus. Et 1. Iohan. 4. dicitur: Debemus fratres diligere.

Quod uero Sycophanta quidam in uicinia dictum Pauli, quod in Epistola ad Corinthios scriptum est, *ὅτι κατὰ ἐπιταγήν* opponit huic propositioni, noua obedientia est necessaria, uel in scitia est, uel impudentia. Discernit enim Paulus mandata à non mandatis, nec ualet consequentia à confusione disparatorum, ut sunt disparata non præcepta & præcepta. Non prohibiti sunt certi cibi, Ergo non prohibitum est adulterium. Hæc esse *ἁπλοῦς* omnes intelligunt. Docet autem uniuersam Ecclesiam Paulus, non esse præceptam Platoniceam communicationem rerum, nec ministros Euangelij certum numerum Elemosynarum indicere posse, ut Reges tributa indicunt. De his tantis rebus, Paulus utilissimam doctrinam ibi tradidit, quæ totæ obruitur deliramentis, & Sophistica illorum præstigiatorum, qui detorquent uerba Pauli ad alia opera, quæ expressis mandatis ordinata sunt. Adderem plura, nisi angustia temporis prohiberet. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet.

Adhortor etiam publicos Magistratus, ut publicis pœnis coherceant petulantiam illorum, qui illas barbaricas uoces defendunt, cõtumeliosas con-

tra Deum, & perniciosas moribus. Discant illi admoniti uerberibus ut Thersites, petulantiam lingue turpissimum morbum esse ἀκόλας & γλώσσα ἀόχισι νόσος. Pertinet enim & ad pios magistratus blasphemos & perniciosos sermones punire. DIXI.

## ORATIO DE VIRO

CLARISSIMO, GREGORIO PONTANO, Doctore Iuris, Cancellario Ducum Saxonie, Electorum & c. habità Vito Vuinshemio Seniore, artis Medicæ Doctore, & græcæ lingue professore, cum decerneretur gradus Doctoris artis Medicæ Casparo Peucero Budisino. 30. Ianuarij.

ET prouidentie diuinæ testimonia plurima in medicatione quotidie cernimus, cum ordinem in rerum natura, συμπαθείας & ἀντιπαθείας contemplamur. Et simul ingentem hominum infirmitatem in morbis non sine magno dolore aspiciamus. Hanc habet Medicus assiduam scholam monitricem de inuocatione Dei. Quod igitur sæpe intuens ægrotos ueris gemitibus peto, ut Deus conditor generis humani nobis opem ferat, leniat ærumnas, & seruet aliquos honestos & pios cœtus, idem nunc quoq; precor, ut hanc Academiam, quæ à palàm atheis & à fanaticis uariè oppugnetur,

tur, clementer gubernet & protegat, & Deo gratias ago, quòd hactenus eam contra hostium rabiem defendit.

Cùm autem dicturus in hoc loco de argumento deliberarem, & hoc ipso tempore sepe ad adolescentem filium uiri clarissimi Gregorij Pontani medicationis causa accederem, quia multa de patris uirtute & meritis cogitabam, non aliud argumentum ipsius historiæ anteferendum esse censeui. Prodest enim publicè, tanti uiri, cuius consilio res maxime, quæ in nostram ætatem inciderunt, gubernatæ sunt, exempla nota esse. Et cùm non solum huius oppidi, Academia, & Ecclesiæ ciuis fuerit, sed etiam multa beneficia huic oppido, Academiæ & Ecclesiæ tribuerit, iustum est gratam de ipso commemorationem publicè & priuatim facere. Cumq; singulari beneuolentia multos ex nobis priuatim complexus sit, hoc quoq; decet gratitudinem suo loco ostendere.

Ego nunc historiam eius recitabo, quam extarre ad omnem posteritatem utile est, nec, ut fit in Panegyricis, attollam res paruas in maius, quod propter ingenij imbecillitatem non possum, sed res ipsas, quarum amplitudo & splendor superat etiam eloquentium facultatem, nudas & breuiter exponam. Nam & hæc qualiscunque expositio ostendit eum fuisse gubernatorem salutarem Ecclesiæ & patriæ, donec ipse quidem uelut in nauiclauium tenuit. Ad hoc opus præcipuum in com-



muni societate habuit Pontanus non illa tantum  
 instrumenta, quæ Pericles requirit,  $\sigma\omega\epsilon\sigma\upsilon\pi\ \pi\omicron\sigma$   
 $\lambda\iota\lambda\lambda\omega\ \nu\acute{\eta}\ \delta\omega\alpha\mu\iota\pi\ \epsilon\pi\mu\lambda\omega\delta\upsilon\lambda\lambda\omega$ : Sed etiam ueræ  
 Dei inuocationem, ueritatis amorem, constantiam  
 in ueris sententijs, iusticiam, iræ moderationem,  
 candorem, & ceteras uirtutes, quæ sunt testimo-  
 nia præsentie Dei, & quibus secundos euentus  
 tribuit Deus. Primum autem de studijs & ty-  
 rocínio eius dicam, quia necesse est doctrina ex-  
 cultos esse eos, qui consilia in foro & in curia gub-  
 ernant.

Natus est Gregorius Pontanus ex honestis pa-  
 rentibus in oppido uicino Vuiteberge, cui à Pon-  
 te nomen est, ubi & pater diu præcipuum magis-  
 tratum gessit, qui postea tamen senex hic habitare  
 maluit, ut esset assiduus auditor Lutheri, & cogi-  
 tatione dulcissimæ doctrinæ de filio Dei sese con-  
 solaretur, & ad ueram inuocationem & celebra-  
 tionem Dei accenderet. Quanquam igitur &  
 senectæ & morbis impediebatur, tamen sæpe hoc  
 longum iter à suis ædibus ad auditorium usque  
 cupiditate audiendi Psalmorum enarrationem  
 emetiebatur. Quia uero & ipse iuuenis me-  
 diocriter didicerat initia doctrinarum, ama-  
 bat doctrinas, & cum rem familiarem am-  
 plam haberet, tribus filijs studia distribuit,  
 ita ut unum uellet procedere in doctrina Ec-  
 clesiæ, Secundum in iure, Tertium in arte  
 Medica. Horum filiorum studia aliquandiu seni  
 uoluptatæ

uoluptati fuerunt, Sed duobus extinctis, Gregorius, qui ius ciuile discebat, superstes fuit. Hic primum in Academia Francofordiana uirum excellentem eruditione & eloquentia Doctorem Plankebergium audiuit, quo tempore, cum Francofordiæ mediocria studia essent linguæ latinæ, ipse quoque ad iuris initia adiunxit exercitia styli, scripsit carmen & solutam orationem, quia natura ad eloquentiam & splendorem in dicendo incitata, lectione & imitatione Ciceronis & Virgilij delectabatur. Senex etiam dicebat, se interdum Virgilij carmen legentem non sine uoluptate imagines Principum & ueteris imperij formam in eo contemplari. Etsi autem Plankebergium propter eloquentiam diligebat: tamen cum huc ex Erfordia migrasset Doctor Henningus, fama iurisconsulti, ad quem omnes difficillimæ causæ fere totius Germaniæ deferebantur, motus Pontanus huc uenit, non solum ut publicè docentem audiret: Sed multò magis ut in eius familiaritate cognosceret ipsius iudicia, & legum adplicationes. Libenter Henningus, cum ingenium, uuiditatem in discendo, & eloquentiam in eo considerasset, admisit eum in familiaritatem, monstrat controuersias, quæ ad se deferebantur, multa cum eo disputat, sæpe etiam instructum consilijs mittit ad erudita Principum iudicia. Talem cum haberet doctorem & monitorem annos aliquot, ut Papinianum Ulpianus, & simul

hic audiret ingenio & eruditione excellentem  
 Doctorem Hieronymum Schurffium, adeo in hoc  
 doctrinae genere processit, ut à Principibus etiam  
 consuleretur, ὅτι καλὸν εἶλον ἔσι, Musas ce-  
 cinisse in nuptijs Cadmi & Harmonies dicitur.  
 Cum autem ad eruditionem, prudentiam, iusticia-  
 am, adiuncta est eloquentia, nihil ea copulatione  
 pulchrius est, quæ cum in Pontano conspiceretur,  
 plures eum Principes & ciuitates accersebant, ac  
 de cæteris uirtutibus, quæ magis in gubernatio-  
 ne conspectæ sunt, postea dicam. Prius de eloquen-  
 tia, quæ ei patefecit aditum ad Rempublicam,  
 dicendum est. Etsi autem scio mediocres ho-  
 mines non solum ineptos, sed etiam fatuos di-  
 ci, cum uelut Critici aut Aristarchi de excellenti-  
 bus uiris iudicant: tamen eius rei modus est:  
 Vult Deus agnosci excellentiam uirtutum, Quia  
 de ipso testimonium est, ut uerè inquit Seneca:  
 Nulla magna uirtus sine Deo est. Eò igitur hæc  
 commemoratio referatur, ut celebremus Deum,  
 cuius radios esse excellentem ingenij uim, artes,  
 & uirtutes eximias adfirmamus, & ei pro his  
 donis, quæ tribuit propter gubernationem, gra-  
 tias agimus. Nolle etiam fateri bona, quæ oculis  
 cernuntur, liuor est. Et ego non tam meum iu-  
 dicium, quàm sapientum sermones recenseo, quos  
 audiui dicere: Neminem se uidisse, in quo plura  
 essent nature bona, quæ partim necessaria sunt in  
 Oratore, partim sunt ornamenta, quàm in Pontano.  
 no. In=

no. Ingenium fuit doctrinae & capax & auidum, prudentia & circumspectio singularis. Nec erat hallucinatrix natura, ut sunt multae deerrantes ad parerga. Sed rectitudo in eo iudicij erat, & id formare eruditione studuit. Didicit iuris publici & priuati doctrinam, & adiunxit cognitionem scriptorum Prophetarum & Apostolicorum, & omnium Ecclesiae certaminum, & temporum, non tantum, ut se ad dicendum instrueret, sed multo magis, ut Deum recte inuocaret, quod scimus eum serio & sine hypocrisis fecisse. Ad hanc rerum doctrinam accedebant diuinitus ei donata non solum profluens sermonis copia, sed etiam splendor in uerbis & figuris, uox grandis & uirilis, quae etiam in magno exercitu exaudiri potuisset. Proccritas corporis, & species ἀξιωματικῆ, gestus sedatissimi, ut in nullo uidimus, & grauitas tanta, ut sepe intuentes eum dicentem cogitaremus illud de Solone, quem aiunt non exertis manibus extra pallium dicere solitum. Haec erant eo pulchriora, quia uidebantur tantum natua esse, & ostentationis nihil animaduerti potuit.

Erat oratio in consessibus publicis & consilijs tota grauis, sine uerborum delicijs, Saep̄ etiam maesta sine affectatione: Rectas sententias constanter propugnabat, etiamsi interdum ingratae erant potentibus, melioribus sententijs & scriptis sine ἐλνοειείῳ cedebat. Vtriusq; enim rei multa

exempla meminimus: ueritatem, iusticiam, & salutem publicam suæ gloriæ & suis commodis anteferebat: alienissimus à populari adplausu & ἀπολυτργαγμος ὤν, ut qui sentiret gubernationis molem, & non uellet eam sibi augeri, nec paræ erga accersenda esse, & relinquenda ἔργα. In priuatis uero colloquijs eruditorum nihil eo dulcius erat: Auidè audiebat historias Ecclesiæ & Imperiorum, & multas ipse recitabat tum lectas, tum auditas: quoties insignes sententiæ ex ueteribus Ecclesiæ scriptoribus proferebantur, mox eas sibi scribi iussit, ut cum ex Basilio dictum de Sola fide audiuit. Miscebat disputationes de obscuris controuersijs, ut aliorum audiret concinnas explicationes, condiebat & hilaritate talia colloquia, asperso candido sale, non enim deerat ei lepos in sermonibus hilarioribus.

Hæc breuiter recitauit de ingenio & studijs eius, quæ uera esse multi norunt, & uerecundè sine collatione Oratorum dicta sunt, quam alijs relinquo. Ad utramq; formam orationis idoneus fuit, ad grandiores & splendidiores, qua utebatur, cum illo sono opus erat in Principum consensibus, & ad alteram tenuiorem & Atticam formam in priuatis colloquijs & deliberationibus. Etsi uideox ineptus, qui in hac narratione Eccij mentionem facio, tamen libet adijcere. In conuentu Augustano cum ad Principes quedam de Synodo indicenda accuratè diceret, non procul

cul sedentibus Eccio & Philippo, Eccius scribit in parua pagella hæc uerba: Cuius est iste? adscribit Philippus, Est cuius Vuitebergensis. Rursus adscribit Eccius; Profecto est eloquens. Sed redeo ad seriem Historiæ.

Cum Dux sapiens Fridericus Elector, & eius Consiliarij sapientes & eloquentes uiri Fabianus à Feilisch, & Fridericus à Thun aliquoties Pontanum audiuisent, & ingenium, eruditionem, eloquentiam considerassent, & mores serrent bonis uiris probari, uocat eum Dux Saxonie Fridericus in aulam, & Cancellarij munus ei commendat, quod scitis præcipuum esse non solum in prætorijs negocijs, sed etiam alijs grauioribus deliberationibus. Constat autem in iudicijs regendis industriam & æquitatem eius ita probatam fuisse sapientibus ac bonis Principibus, nobilitati & ciuitatibus, ut omnes eum pariter diligerent, Sed prætoria negocia omitto. Dux Fridericus cum Coloniã secum duxit, ubi colloquio interfuit Ducis Friderici & Erasmi Rotodami. Ibi & Aleandro Legato Pontificio respondit, petenti ut Dux Fridericus Lutherum traderet certis Episcopis, qui eum carceri includerent. Ita initia aulicæ militiæ Pontani inciderunt in primam *σὺν* Lutheri & Pontificiorum. In hæc militia deinceps annos circiter triginta plurimum curarum et laborum sustinuit. Nec omnia conuentuum prælia hæc recitari possunt: sed quedam

quædam attingam, ex quibus de cæteris coniectura fieri potest. VVormatiæ cum de maximis rebus Dux Fridericus cum Mercurino sæpe deliberaret: Multa cum Pontano Mercurinus familiariter locutus est de Caroli Imperatoris uoluntate, quam ostendit alienam esse à crudelitate, & conari ut Synodus indicatur non solum propter has controuerfias, sed etiam ut plura Ecclesiæ mala corrigantur. Et narrabat Pontanus Mercurinum hoc Epiphonema addidisse: Bene fecerunt Principes Germaniæ, quòd Carolum elegerunt Imperatorem. Experientur enim & sapientem & bonum fore.

Secutus est Conuentus Augustanus Anno 1530. qui uelut Epitasis fuit certaminum Ecclesiæ huius temporis. Ibi Carolus, qui iam Italianis armis domitam uictor tenebat, quanquam incitabatur, ut nostris bellum inferret: tamen incumbens in cogitationem de Synodo, ut antea Mercurinus dixerat, postulat exhiberi à nostris doctrinæ confessionem. Quàm multæ res deliberandæ tunc inciderint, longum esset dicere, quo tempore præcipuas deliberationes ita rexit Pontanus, ut sapientiam eius, fidem & constantiam probauerint optimi Principes Dux Saxonie Iohannes Elector, & cæteri in hac causa conuincti.

Cum autem ante exitum Conuentus nomine Pontificiorum orationem habuisset præfente Carolo Elector Marchio Ioachimus Primus, atrociter in-

ter mimitantem nostris, quam coram audiebant  
 Dux Saxonie Iohannes Elector, Georgius Mar-  
 chio Brandeburgensis, Ernestus Dux Lunebur-  
 gensis, & VVolffgangus Princeps Anhaltinus,  
 iussus est à Duce Saxonie Electore Pontanus re-  
 spondere. Huic Pericleæ Orationi Marchionis ita  
 respondit Pontanus in Senatu Principum, ut ue-  
 teribus Apologeticis Iustini & aliorum piorum  
 anteferri hæc responsio possit.

Voluntas, inquit, Ducis Saxonie erga cle-  
 mentissimum Imperatorem Carolum in electione  
 conspecta est. Deinde omnium horum Principum  
 in reprimendis Turcis & seditionibus, & con-  
 stat nulla in re defuisse eos paci publicæ. Adfir-  
 mant etiam semper se memores fore diuini man-  
 dati: Date Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ  
 sunt Cæsaris. Non priuata cupiditate ulla,  
 non curiositate, non errore, non cæco im-  
 petu doctrinam, de qua confessio exhibitæ  
 est, amplexi sunt. Sed cum eam diu audiissent,  
 & fontibus diligenter consideratis, & collatis  
 testimonijs sinceræ antiquitatis, intellexissent ue-  
 ram esse, non uoluerunt agnitæ ueritati aduersa-  
 ri, memores seuerissimæ comminationis diuinæ,  
 in qua dicitur: Blasphemiam non remitti. Quare  
 & propter gloriam Dei, & propter propriam  
 salutem, & propter alios, qui studium habent pie-  
 tatis, quorum multi sunt electi, Deo iuuante, hanc  
 doctrinam & profitebuntur ipsi, & in Ecclesijs  
 suis



suis doceri curabunt. Cumq; manifesta sit Impu-  
 dentia Pontificiorum, qui nullos errores, & nulla  
 vitia in suis opinionibus & moribus esse uocife-  
 rantur, flagitant omnes p̄iueris gemitibus in to-  
 ta Europa, ut in Synodo legitima instituatur emen-  
 datio: Idem petunt & hi Principes, & sperant  
 clementissimū Imperatorem, qui uidet necessariam  
 esse emendationem Ecclesie, sine cognitione non  
 esse arma sumpturum, ut errores, libidines, & alia  
 vitia Pontificiorum stabiliat, & alienae impietati  
 & seuitie gratificetur, & ueritatem, quæ glo-  
 riam filij Dei illustrat, & saluti animarum neces-  
 saria est, opprimat, præsertim cum spem de Sy-  
 nodo ostenderit. Reuerenter igitur Principes &  
 uniuersam Ecclesiam & sese clementissimo Impē-  
 ratori commendant, quem orant, ut etiam cogi-  
 tet, in hac delira Mundi senectā generi humano  
 maiores confusiones impendere, quæ cauere  
 melius possunt lenitate & ἐπιεικειᾶ, quàm si ma-  
 iores dissipationes armis fiant, sicut in bellis Bohe-  
 micis accidit, Nec ueritas opprimi poterit, etiam  
 si Principes aut populi aliqui oppressi fuerint,  
**EMERGET TAMEN VERITAS,**  
**NEC DELERI A PORTIS INFĒ-**  
**RORVM POTERIT.** Hæc cum penē  
 ad uerbum Pontanus dixisset, & aliqui frementes  
 maius certamen moturi essent, Moguntinus ait:  
 non esse mirum atroci fratris orationi responsum  
 esse durius, nec prodesse longiorem contentionem.

Inters

Interfatur ergo Caesar, & dici iubet, se facturum esse, quod Christianum Imperatorem facere iustum sit, atq; ita Senatum dimittit.

Hic cum fuisset exitus eius Conuentus, postea Moguntinus & Palatinus Ludouicus cum Carolo Imperatore de pace Germanie colloquuntur Moguntie. Ibi cum quidam asperius loqueretur, Caesarem habere alia regna, etiamsi Germania uastata esset: Interpellat hunc Caesar, inquiring: Hec non iussi te dicere. Nolo enim fieri uastitatem in Germania, quia & patria est, & ab ea summum decus accepti. Et Imperator saluti orbis terrarum, quantum potest, Deo iuuante, consulere debet. Ita pacem certis conditionibus fecit, quae durauit ab anno tricesimo usque ad quadragesimum sextum. Non confero Oratorum eloquentiam, materias confero. Consumpta est eloquentia Periculis, Demosthenis, Ciceronis, in incitandis ciuibus ad bella. Quanto maius decus est, eloquentiam conferre ad illustrandam gloriam filij Dei, ad Ecclesie & patriae pacem: In quibus rebus praecipue totius Pontani cursus consumptus est.

Ante tricesimum annum commenticio foedere Principes moti, arma ceperunt. Erat Panicus terror uniuersae Germanie incussus: Sed re inquisita Pontani diligentia exercitus dimissi sunt, & tumultus initia sedata sunt. Possent plura  
excen-

exempla salutarium consiliorum recitare. Agnoscamus autem in rebus tantis foelicem sapientiam Dei beneficium esse & Deo gratias agamus. Tamen & organis Dei suus honos debetur, & suo loco dictum Euripidis congruit: Præcipua laude civem dignum esse, non qui in ludicris spectaculis antecellit: ἀλλὰ μάχας κωλύων ἄγε.

Nolo autem uulnera nostra contrectare commemoratione belli, quod anno 46. secutum est. Tantum hoc dicam, quod scio eum in deliberatione illa dixisse: Comitum se fortunæ Principum fore, qualiscunq; euentus esset. Belli suasorem non fore. Ac si quis multa disputat de præcedentibus occasionibus, is cogitet nos iam de hominibus loqui, in quibus multiplex est infirmitas. Imò singuli cogitemus nostra uitia pœnas mereri, quæ prohi dolor, & magna & multa sunt, & petamus, ut propter filium mediatorem æternus Pater in iræ misericordiæ recordetur, & moestissimæ Ecclesiæ opem ferat, nec sinat fieri infinitas dissipationes. Non hoc tantum uerum est: Quicquid delirant reges plectuntur Achiui. Sed sæpe etiam propter populi uitia minus foelices sunt boni gubernatores. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos propter suam gloriam gubernet, & protegat. Redeo ad narrationem.

Pacis tempore præcipua cura fouit Ecclesias: Inspectionis, in qua redditus liberaliter attributi sunt

sunt multis Ecclesijs, ipse suasor fuit, cumq; eam labefactare Antinomica factio conaretur, perfecit, ut iudicium conuocatis pijs & doctis uiris constitueretur, in quo inspectores defensi sunt. Ex eo certamine nate sunt eruditissimæ propositiones Lutheri contra Antinomos. Cumq; doctrinam Ecclesiæ recte intelligeret, & Deum recte inuocaret, nec spargi errores, nec dissidia accendi sinebat. Maximeq; oderat Thrasones, qui ut uideantur alios subtilitate uincere, ludunt uerborum delicijs, ac τερατολογίας quærunt, ἢ δαύματα ῥημάτων, quæ mentes in dubitationes & errores adducunt, ac narrare possem in quibus materijs de Sophistica gemens questus sit.

Magnæ uirtutes in eo & hæ fuerunt, quòd expugnari se pecunia nunquam passus est, Nec ambitiosè unquam in alijs aulis fauores aucupatus est, ac sæpe audiuiumus recitantem ueterem uersum: Nemo potest Dominis pariter seruire duobus.

Odia & obtrectiones sapienter & Fabiano more tulit, Quanquam non erat lentus, & querebatur ira languesceri sui corporis uires. Sed Magistrum se moderandæ iræ, primùm habuisse Ducem Saxonie Fridericum narrabat. Dicebat item nolle se precationem, & alias res necessarias laxantem frenos cupiditati uindictæ, impedire, ac sæpe repetebat uocem Christi: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Domestica uita casta & sobria fuit. Cumq; Pater ei amplam hereditatem reliquerit, magis eam frugalitate auxit, quam stipendijs, Inde scio saepe cum mediocri pecunia sine ostentatione pauperibus opem tulisse. Quotidie aliquid temporis sacrae lectioni & precationi tribuit. Et in hac extrema senecta egressus septuagesimum annum, cum sese, Ecclesiam & familiam quotidie ardentissimis precibus filio Dei commendaret, tamen cum uires corporis etate magis quam morbo defecissent, placide decessit. Nec dubitamus eum inter hos esse, de quibus dictum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Hæc de Pontano breuius & tenuius dixi, quam uirtutum ipsius decus meretur: sed iudico utile esse inuentuti honestas imagines plurimas intueri, Et plerunq; Historiæ multarum rerum doctrinam continent.

Adhortor autem Iuniores, ut cum tales historias legunt uel audiunt, cogitent filium Dei sedere ad dextram Patris, & dare dona hominibus, & gratias ei agant, quod aliquos dat salutare gubernatores, & petant se quoq; organa salutaria à filio Dei fieri, seq; præbeant remiges Deo gubernanti non ignauos, Ac doctrina se instruant, & ad honestos usus præparent. Sciântq; DEVM uelle hac diligentia coli. Et execrentur Manichea & Antinomica deliramenta illorum, qui uociferantur: Bona opera non esse necessaria, cum quia  
dem

dem tanta sit eorum amentia, ut quid sint bona opera & mala, non intelligant. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet & protegat.

D I X I.

P R A E S E N T A.

T I O.

**C**Larissime D. Doctor, & Vicecancellarie, Praeceptor obseruande, Veritas ipsa sibi testimonium tribuit ubiq; inquit Galenus. Non igitur in praesentia longa commemoratione utar, quod in rebus ambiguis & ignotis fieri solet. Nota enim est huius amici nostri M. Caspari Peuceri doctrina non huic tantum Academie, Sed toti Germaniae & exteris quoq; nationibus. Morum uero & uitae honestas omnibus nobis notissima, De quibus quod hoc in loco pauciora dico, id facio propter ipsius modestiam & uerecundiam. Nam quod de Amphiarao Aeschylus dixit, οὐ δὲ κέρ' ἄριστος, ἀλλ' εἶναι δέλα : Eo animo & ipsum esse scio, Mauult esse bonus, magis quam bonus esse uideri.

Intercedunt autem & aliae grauisimae cause, atq; necessitudo uetus, ut ipsum quocunq; tempore iuuare & ornare debeamus, Quod ut libentius faciamus, etiam pietas erga praecceptorem nos adhortatur. Gaudeo igitur praebere mihi qualemcunq; occasionem declarandae gratitudinis &

R 2 obseru

obseruantia cum erga ipsum, tum & erga præceptorem optimè meritum, & te eodem animo esse certo scio. Quòd uerò ad Examen & disputationem attinet, satisfactum esse scis legibus Academiæ. Quare cum in hac publica Testimonij & Gradus renunciatione etiam tua autoritas accedere debeat, reuerenter à te peto Collegij nostri, meo & amici nomine, ut M. Casparo Peucero concedas facultatem, ac, ut uocant licentiam suscipiendi gradum & insignia doctoris in arte Medica, id gratissimum collegio nostro erit, & optimum ac doctissimum uirum immortalis beneficio ad perpetuam obseruantiam & gratitudinem tibi deuinxeris. D I X I.

EXPLICATIO APHORISMI XLII. PARTIS  
secundæ Aphoris.

CUM hunc confessum uestrum oculis intueor uiri clarissimi, uirtute, eruditione, dignitate atque amplitudine præstantes, deq; excellenti doctrina uestra, & mea mecum cogito imbecillitate, animaduerto dicturo mihi quedam hoc in loco non tam attentione, quam fauoris & beneuolentiæ uestre studijs opus esse. Quæ quidem ut non difficulter mihi præstetis, duo uos mouere debent. Nam neque priuato consilio

filio has dicendi partes sumpsi, sed mandato & autoritate legum, quam colere & tueri decet omnes, qui eam, in qua uiuunt Rempubicam conseruatam cupiunt, & cum tranquillitate ac dignitate, florentem & stabilem: Neque exemplo hoc nouo facio, sed obtempero laudatissima consuetudini, quæ sapienti maiorum consilio introducta, & à multis ante me celebrata, & ipso commendata fructu & necessitate semper huc usq; uiguit. Me uerò etiam recordatio consideratioq; summæ humanitatis & equitatis uestre, qua ex hoc ipso loco auditos à uobis ante me plerosq; memini, in spem optimam erectum confirmat, ut eandem ego multò magis à uobis equitatem expectem, quam exhibitam alijs recordor, qui in dulcissima uobiscum multorum annorum coniunctione & consuetudine uitæ, in communicatione mutua honestorum officiorum & sententiarum amica collatione, singulorum priuatim erga me eximiam beneuolentiam argumentis non obscuris perspexi, & reipsa multoties sum expertus, cuius me opinionis de uobis fructum ut percipere sinatis, & referre ex hoc confessu hodie, uos uehementer pro mea erga singulos obseruantia oro. Cùm autem neque ego ad dicendum sim instructus, & argumentum de quo differi scholastico more oportet, non tam compositæ orationis copia & splendore illustrari atque ostentari, quàm rationum fundamentis discuti, & absq; ocioso ornatu simplici



oratione explicari uelit, ut fit in disputationibus,  
non ero prolixus.

Dicam ergo pauca de quadragesimo secundo  
Aphorismo partis secundae, cuius uerba sunt:  
Fortem Apoplexiam soluere impossibile est, imbe-  
cillem non facile. Occasionem de Apoplexia cogi-  
tandi accuratius, præbuerunt mihi, que grasse-  
santur uulgò, & plurimos correptos interimunt  
Epileptica & apoplectica affectiones, quarum  
& inuasiones sunt tam præcípites ac subitæ, &  
impressiones tam uehementes ac seue, ut uidean-  
tur uelut ἐπίδημια νοσήματα, à peculiari ca-  
li & aëris constitutione commoueri in ijs corpo-  
ribus, quibus inest aptitudo quædam ac propen-  
sio ad easdem ex languefacta cerebri uirtute &  
coaceruatorum longo tempore superfluum re-  
dundantia. Neque improbo coniecturas eorum,  
qui causis harum ægritudinum ex Saturni &  
Martis infausto, noxio & minaci positu petitis,  
aliquanto ante de earum periculis monuerunt. Sed  
proh dolor, quantum in gluue, crapulis, intem-  
pestiuis comessionibus, his causis externis &  
coelestibus instruimus & cumulamus ceu penus  
materie idoneæ in corporibus nostris? Quantas  
addimus, cum stupemus ebrietate, aut insanimus  
ambitione & odijs, aut in magnis animi dolori-  
bus impatientia, uel in subditis commotionibus  
præcipiti ac seruida iracundia extra nos rapimur,  
Tunc inquam quantas suppeditamus occasiones  
ijsdem

ijsdem causis, ut in nos inuadant uimq; expro-  
 mant atq; exerceant suam? Sed cœlestibus causis  
 omisissis, de propioribus & nobis insitis quedam  
 differamus. Galenus rectè & concinnè uniuersas  
 ueræ Apoplexiæ proximas causas complexus est  
 duobus generibus, cum inquit: Fieri Apoplexiam  
 ex defectu sensus & motus in corpore uniuerso eò  
 quòd uirtus animalis diffundi in neruos, & in  
 membra motui ac sensui destinata traieci nequeat  
 (uel διαφλεγμονώδη τινὰ διάδειξιμ ἐν αὐτῷ  
 τῷ ἐγκεφάλῳ συσπῶσασα, uel αὐτῶν πῶ κοι-  
 λῶν ἐμπιμπλαμύων ὑγρότητος φλεγματώ-  
 δος) scilicet cerebro, uel obsesso affectu præter  
 naturam, qui sit inflammationi similis, uel oppleto  
 obturatoq; phlegmaticis humoribus intus, qua  
 uentriculorum aluei, & anfractuum multiplices  
 ac mirando contextu impliciti ductus, & ceu in-  
 cisi in substantiam ipsius tenues pori, si ab in-  
 fractu humorum liberi sint, patent agitatorum  
 spirituum discursui & traiectioni.

Hæ causæ fiunt illustriores, cum & discrimen  
 ac series ceterarum, quæ has proximas antece-  
 dunt, gignunt, cient, impellunt, & ipsius morbi  
 origo consideratur ac natura. Apoplexia in illo-  
 rum est morborum numero, quos ex impulsu ali-  
 quo incitati, ac cum defluxionis impetu ruentes  
 humores, seq; in cerebrum inferentes, & lapsu  
 concitato ac subito uel in caua eius spacia excussi

atq; ingesti, uel detrufi impactiq; in uenas & arterias, quibus & membranæ cerebri inuolucra intexta sunt, & pertextum est corpus ipsum, parere consueuerunt. Causarum gignentium una est externa & euidentis: Altera interna & corporibus insita: Tertia, quam σωεχῆ & πρῶτα χῆ, id est, continentem uocant. Externarum quedam per sese ipso insultu uel illisu Apoplexiam faciunt, ut cum ualidiorē ictu fractis & collisis ossibus cranei & cerebri massa ea compressione coacta atque coarctata, aut laqueo interclusis uel compressu ijs uenis, quæ σφαγίτιδες & iugulares nominantur, protinus cessante motu, cor respiratione intercisa suffocatur. Quedam rursus internas causas uel gignunt, augent ac coaceruant uelut pabulo suppeditato, quod uita præstat luxui dedita atque belluationibus, uel collectas ante alterationum quarundam immutatione præparant, ut cum ex halitibus crudis densati coactiq; humores & intra craneum detenti à calore lentorem paulatim contrahunt & tenacitatem, uel genitas, congestas ac præparatas impellunt agitantq;, ut cum quieti humores aut uehementis iracundiæ feruore uel aëris circumfusi ardoribus dissoluti ac fusi, aut expressi & uelut excludi astrictione meatuum ab asperiore frigore, aut copia elisi irruunt in cerebrum. Internæ causæ quas πρῶτον πρῶτα & antecedentes uocant, & quarum ab externis origo est, sunt humores

humores, qui uel in ipsis riuulis uenarum capitis, his scilicet atro crassoq; & melancholico sanguine refertis, aut extra uenarum ductus intra craneum & cerebri membrana inuolucra, quacunq; patet aliquid & uacat, inq; ipsis sinibus cerebri continentur, confecti & continua accessione aggestioneque materiae nouae aucti ex ijs halitibus, qui de uentriculo, hepate, uenis in habitum totius corporis digestis, assidue in cerebrum uelut testum fumose domui supra positum efferuntur. Ab his humoribus tantisper donec quiescunt, nihil admodum periculi est. Si à quocunq; externo incitati principio explicent et dilatent sese, subitoq; & confertim inuident in cerebrum, periculum adferunt, quo liberatur aeger, si natura uictrix repulsos hos excutiat per nares, palatum, os, & meatus alios, ut fit in catarris. Si non excutiat, sed oneri succumbat, sequuntur παραλύσεις, aut πνευμονία, aut Apoplexia, aut aliae his cognatae egritudines. Sed de Apoplexia dicemus. Si ergo qui uenis insunt humores, ex amplioribus ramis depellantur atq; adigantur in angustissimos surculos, protinus impletos hos distendunt, inq; tumorem attollunt uniuersos, adeoq; ipsum simul cerebri corpus, in quod defiguntur & penetrant, moxq; ipsa tumoris mole, quaeq; fere statim humorum infarctum consequitur inflammatione, deniq; erumpentis nonnunquam sanguinis effluxu in sinus laxiores, cerebro inferunt, διαθεσιμ  
 P 5 phleg

phlegmonæ similem, ut occupatum atque oblitum undiquaq; uideatur inflammationibus. Hæc δίαθεσις partim comprimendo atque coarctando cerebri meatus, impediendoq; motum diductionis & contractionis, necessarium est ad alios usus & ad impulsus spirituum ac traiectus in neruos, partim opplendo poros, & si osculis uenarum humores excidant, ipsas etiam cavitates laxiores, facit ut nulla defluente uirtute animali extinguatur sensus & motus in reliquo corpore. Si qui extra uenas fluitant ualidiore adactu in ipsos sinus cerebri atq; anfractus subito confertimq; impingant, totosq; occupatos expleant, siq; in poros etiam ipsos cerebri ac neruorum subeant atque penetrent, qui ferè talibus omnibus languent ante largiore imbuti & tenaciore humiditate. Tali ergo infarctu humores uiscidi cum obstant atque efficiunt cerebri motui, tum irruptionem et transitum spirituum animalium in neruos inibent. Hoc modo ingesti atque impacti humores uel uenarum riuulis uel alueis cerebri, quod & sectio ostendit apoplecticorum post obitum, fiunt apoplexiæ αἰτιον σωματικόν. Proximè enim eam, que apoplexia propriè dicitur, διάθεσις efficiunt, σέγνωσις scilicet, seu coarctationem meatuum cerebri omnium. Cuius differentie sunt τὴν κνωσιν καὶ ἔμφραξιν. Ἐν κνωσιν tumor præter naturam inflammationi similis, ex affluxu humorum per uenas, ἔμφραξις infarctus humorum in alueos

alueos & plicas cerebri ex affluxu extra uenas  
 efficit. Ex his liquet manifestò: cum Apo-  
 plexie ortus sit ex humorum defluxu, discerni  
 oportere tempora, & considerari initia in-  
 cipientis, consistentis, & absolutæ atque com-  
 pletæ fluxionis. Incipiens προφυλακῶν, con-  
 sistens partim προφυλακῶν, partim δευράπρω-  
 σιρ, absoluta δευράπρωσιρ solam exigit. Præ-  
 stant id autem ante usum τῶν τοπικῶν τὴν κει-  
 νώσεσιν simplices, τὴν ἀνὺσπᾶσεσιν, τὴν παρο-  
 χεπέυσεσιν usu quidem phlebotomiæ scarificatus  
 & similiū, si ex uenis sit mali origo, cathartici-  
 corum uerò, enematum, apophlegmatismorum,  
 errhinorum, uehementis ligaturæ, acrium frictio-  
 num, si extra uenas.

De absoluta, id est, de facta apoplexia loquitur  
 Hippocrates, quam, si fortis sit, dicit curatu esse  
 impossibilem, si mitior & remissior, non facilem.  
 Indicium fortissimæ apoplexiæ est extremè labo-  
 rans respiratio, quam molitur & peragit cere-  
 brum impulsu musculorum thoracis. Cum enim  
 reliqui muscoli totius corporis omnes in apople-  
 xijs concidant & conquiescant, soli qui thoraci  
 seruiunt, quamuis difficulter, mouentur tamen ad-  
 ductione & relaxatione sui aliquantulum attol-  
 lentes & submittentes rursus pectus, idq; fit pro-  
 pter respirationis necessitatem, qua neruorum  
 uirtus quanquam impedita & languens incita-  
 tur, corde refrigerationem sui flagitante expul-  
 sione

sione acrium fuliginosorum halituum & frigidioris aëris haustu. Est & fortis apoplexiæ argumentum, sed minus seuæ, anhelitus inæqualis & inordinatus atq; intensus, & ex interuallis sese tum intendens, tum remittens. Deniq; quanto facilius est, æquabilior & lenior respiratio, tanto minus periculi est.

Fit autem fortis apoplexia à plena perfectaq; obstructione ab humoribus copiosis, simulq; aut crassis aut cum crassicie lentis, morbi magnitudine respondente magnitudini cause. Curationem autem non admittit, magna ex parte propter suffocationis periculum, quòd fere citius strangulatu extinguitur cor, quàm exonerato & ab omni obstructionis impeditioe expedito cerebro, thoraci motus liber reddi & restitui respiratio possit, tantoq; difficilius curatur, quanto & humorum copia, & crassicies ac tenacitas maior fuerit, & hi meatus omnes arctius obsederint, & adhaeserint pertinacius. Neque enim propter copiam diminui & exhauriri citò, nec propter crassiciem per angustos narium & faucium ductus prolici & educi, nec propter adhaerentem lentorem reuelli ac prouolui facile possunt. Quapropter cum repugnet, & evd'ε̄p̄ aliam ostendat cause morbum facientis conditio, tamen propter uehementiam & uiolentiam affectus, & periculi, quod uitam petit magnitudinem, extrema statim inter initia oportet adhiberi remedia, ut si non liberetur,

beretur, attamen alleuetur cerebrum, & cor à periculo suffocationis uindicatum concedat tutiorem moram reliquijs morbi perducendis ad conuenientem maturitatem, & extirpandis atq; obterendis. Sed prolixior sum, quàm conuenit. Vberior enim tractatio aliò pertinet. Vos, uiri clarissimi, ut quæ dicta sunt à me, boni consulatis, pro uestro candore & perspecta mihi erga me beneuolentia, uehementer oro.

QVÆSTIO RECL  
TATA A PVERO CASPARO  
Peucero filio.

Vox Filij Dei Domini nostri Iesu Christi inquit: Sinite paruulos uenire ad me, quia tallum est regnum cœlorum. Pro hac immensa bonitate Deo primum gratias ago, quòd me & similes ad se uocat, & nobis salutem in hac uita & post hanc uitam promittit. Et quia nos adfirmat membra esse suæ Ecclesiæ, toto pectore eum oro, ut me & parentes meos gubernet & protegat. Deinde & pro hoc beneficio gratias ago Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, quòd me uoluit spectatorem & oratorem esse in hoc honestissimo cœtu. Oro igitur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut & hanc Academiam semper gubernet,



Et totum cursum charissimi Patris mei regat. Si-  
cut autem consuetudo est, propono quaestionem:  
An cognitio motuum caelestium conseruanda sit  
propter Ecclesiam, politias & medicationem.  
De hac quaestione primum hoc argumentum opo-  
pono:

Nihil prodest scire motus sublata diuinatione,  
Diuination autem lege Dei prohibita est.  
Ergo nihil prodest scire motus.

Hoc argumentum praetexunt multi suae igna-  
uiae, ne discant optimas doctrinas de numeris, fi-  
guris, & motibus caelestibus, quae tamen eo expe-  
tendae sunt, quia clarissime ostendunt, hunc ordi-  
nem in natura non casu ortum esse, sed esse men-  
tem Architectatricem. Primum autem negan-  
da est maior, quae dicit, nullam esse utilitatem co-  
gnitionis motuum sublata diuinatione. Sunt enim  
aliae utilitates, quarum prima est annorum distinctio,  
quae necessaria est Ecclesiae & politijs in historia  
& continua gubernatione. Quales tenebrae in  
uita essent, si ut boues retro spectantes nullam tem-  
porum distinctionem cerneremus?

Cum autem uelit Deus annorum distinctio-  
nem notam esse, obseruatio motuum necessaria est,  
quia sine obseruatione constitui metae annorum  
non possunt.

Est autem & hoc signum placere Deo hanc  
diligentiam discernendi annos, quia ipse annorum  
seriem, ab initio mundi conseruauit, ac magnum  
decus

decus est Ecclesie, quòd in ea sola conseruata sit hæc series, & quidem hæc conseruatio signum est aliquod, solius Ecclesie doctrinam ueram esse. Erat igitur prudentum gubernatorum nunc quoque curare, ut uera Ecclesia possessionem huius pulcherrime doctrine retineret, & spero Deum ipsum Ecclesie custodem deinceps etiam hoc decus in Ecclesia conseruaturum esse. Gaudeo etiam meum patrem hac in re studijs seruiisse, & Deum oro, ut me ita gubernet, ut uestigia patris sequar.

Deinde respondendum est & ad minorem, que diuinationes prohibita sint. Vna *μουσειον* omnium summa est, que certè maximè expetenda est, quòd uidelicet, & motuum ordo & doctrine testantur esse Deum sapientie fontem.

Hanc *μουσειον* placere Deo nihil dubium est, que quidem maximè incitare nos ad has artes discendas debet, de quibus ait Plato: Gratiam de Deo famam in artibus sparsam esse. Nunc uero carissime Pater à te peto, ut de hac tota questione copiosius differas, & oro Deum, ut clementer nos gubernet & protegat.

DIXI.

Breuis

BREVIS RESPON-  
SIO AD QVÆSTIONEM,  
& gratiarum actio.

CARISIME Fili, quæ abs te de quæstione quam  
proposuisti, explicationis causa dicta sunt,  
ea uerissima esse assentior. Possent addi alia quæ-  
dam ex Medicorum doctrina & obseruatis, si uel  
id fieri pateretur angustia temporis, uel opus esset  
mole argumentorum in re manifesta. Galenus  
discernens fontes, à quibus ἑὸς εἰξείας peti oportet  
medicationum omnium, quæ fiunt, tertium consti-  
tuit τὸ περιέχον, quod ut ipse inquit: λόγον ἔχει  
ἐπιότῃ μὲν ὑλῆς ἰωμυκῆς, cum morbo aduer-  
satur: ἐπιότῃ δὲ ὡς αἰτίου νοσᾶζοντ & cum uel  
affert atque infligit, uel fouet, uel auget morbum.  
Ad medicationes uero confert id, quòd quæ ha-  
bent rationem ὡς οὐκ ἀνεύ. Causas uerò &  
constitutionum diuersarum & mutationum τῶν  
περιέχοντ & in iisdem & diuersis locis, rectè  
refert in regionem, anni tempus, & quam ipse  
uocat κατὰσσιπ. Regio talis est, quòd tùm na-  
tura terrarum dissimilis est temperie & qualita-  
tibus soli, eorumq; quæ terra continentur & in-  
clusa latent, itemq; aquarum, & figura extantium  
superficietenus partium atque enatorum, tùm  
quod talis est eius positus ad mundi medium, ha-  
bitudoq; ad iter Solis, Lunæ ac planetarum, &  
congruentia atque consensio talis cum triangulis  
& sidea

& sideribus caeli, id est, διὰ τῶν δέσμων καὶ συν-  
 νοικείωσιν πρὸς τοὺς ἀστέρας. Anni quadripar-  
 titam distinctionem quatuor temporum gratissi-  
 mis uariationibus, praecipue efficit & tempe-  
 rat annuo circuitu Sol. κατὰσασις, quae &  
 maiores aëris euidentiores καὶ καθολικότερα,  
 & minores ac minus insignes, ut particulares,  
 menstruas, diurnas, horarias, & pene momenta-  
 neas uariationes complectitur. Illa ergo talis est  
 magna ex parte à uaria & uaga planetarum ob-  
 erratione, congressuq; inter se corundem, & di-  
 uersa coniectione consertioneq; radiorum ex dif-  
 ferentibus interuallis dissimiliter inter se colliso-  
 rum, atq; ab inerrantium etiam & caelo adhaeren-  
 tium stellarum exortu & decubitu, luminum de-  
 liquijs, ardoribus flagrantium cometarum & me-  
 teororum uariante diuersitate, quae uis siderum  
 excitantur & discutuntur. Haec cum sint euiden-  
 tissima, ut reliqua omittam, conuincunt non ne-  
 gligendam esse Medico prorsus hanc, de qua dixi-  
 xisti, μὲν λυλῶ. Sed huius loci non est haec pro-  
 lixius persequi. Quare & rationibus omisis, &  
 autoritatum testimonijs, & longiore explicatio-  
 ne praecisa, ad id me conuerto, quod ultimum in  
 hoc actu superest.

Praecipuum quod in his congressibus publicis  
 piorum & doctorum hominum & ueritatis atq;  
 concordiae amantium fieri debet, est precatio ad  
 Deum ardens ac serua, et gratiarum actio, qua ce-  
 lebren-

lebrentur beneficia, quibus diuinitus afficimur  
 & cumulamur. Ingens omnino Dei beneficium  
 est, quòd non solum condidit genus humanum, &  
 huic ostendit artes multiplices uitæ necessarias,  
 sed quòd sese etiam patefecit, ac tradita doctrinâ  
 ministerium instituit, quo colligit æternam heredi-  
 ditatem æterno Filio Domino nostro Iesu Christo.  
 Singulare uerò hoc Dei beneficium est, quòd  
 in hac schola restituta luce ueritatis, nos ex den-  
 sissima caligine inueteratæ superstitionis, &  
 confusissimarum opinionum errabundis late-  
 bris, ad illius lucis conspectum cognitionemq;  
 reduxit, & excitatis atque instructis ido-  
 neis custodibus hanc fouet ac conseruat in hac  
 schola & plurimis alijs cum hac coniunctis, &  
 hos nidulos suæ Ecclesiæ in his terris contra tot  
 aduersationes, molitiones & impetitiones, contra  
 tam manifestam rabiem hominum Cainico odio  
 nostri furentium tuetur & protegit. Hoc bene-  
 ficio nos peculiariter Deo obligamur ad gratia-  
 rum actionem sempiternam, & ad acrius atq; ara-  
 dentius studium retinendi ac propagandi ad po-  
 steros depositum, quo nobis frui conceditur.  
 Agnoscere ergo hæc beneficia, & grata mente  
 cogitare, & celebrare uoce & scriptis nos de-  
 cet.

Ago itaq; gratias toto pectore Deo æterno  
 patri Domini nostri Iesu Christi conditori generis  
 humani & Ecclesiæ suæ, fonti & autori omnium  
 bonoꝝ

honorum & foelicis ac salutaris medicationis, unã  
 cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, qui est  
 λόγος & καὶ εἰκὼν patris, & μεσότης τῆς οὐκείτης  
 noster coram patre, & cum Spiritu sancto para-  
 cleto, casto, uiuo & uerace, quòd Ecclesiam sibi  
 inter nos colligit uoce & ministerio Euangelij  
 sui, quòd ad societatem illius tanquam ciues &  
 membra nos uocauit & adiunxit, quòd doctrinæ  
 cœlestis sincerioris et aliarũ artium utilium studia  
 in hac Academia non sinit extingui, quòd & me  
 & studia mea, & conatus in docendo ac medi-  
 cando hæctenus rexit atque adiuuit. Eumq; oro  
 ueris & ardentibus gemitibus, ut deinceps etiam  
 & hoc doctrinarum domicilium tueatur, & in eo  
 conseruet hæc sua dona, uocem Euangelij incor-  
 ruptam, & totius purioris Philosophiæ studia, &  
 totum uitæ meæ, studiorum ac medicationum cur-  
 sum gubernet, dirigat & fortunet, meq; uelit ef-  
 se uas misericordiæ & organum salutare, ut &  
 ipsi grata faciam, & prosim multis in genere hu-  
 mano utilia docendo, & artem medicam foeliciter  
 faciendo.

Deinde gratias ago Illustrissimo Principi ac  
 Domino, Domino Augusto Electori Saxonie Do-  
 mino nostro Clementissimo, quòd in hanc curam  
 præcipuè incumbit, quæ præcipua in omni guber-  
 natione esse debet, ut Deus rectè agnoscatur, &  
 rectè colatur uera obedientia & uera inuocatio-  
 ne cum fiducia æterni filij Mediatoris & Re-  
 dempto-

demptoris nostri, & Dei gloria illustretur, & homines doctrina, disciplina & legibus exculti & mansuefacti adducantur ad Deum, & assuefiant ad fidei & inuocationis, sanctæ ac Deo placentis honestatis, & omnium piarum uirtutum studia atque exercitia, & ut hæc Schola atque in ea optimarum artium studia, & que semel constituta est docentium consensu norma ueritatis, uigeat ac propagetur. Pro quibus beneficijs tanto Principe dignissimis, & pro singulari erga me clementia gratitudinem Illustrissima celsitudini eius perpetuam me debere profiteor & præstiturum polliceor. Et Deum oro, ut & ipsum Illustrissimum Principem Electorem & σουβουλεύτας eius, ac socios consiliorum & in gubernatione Parastatas regat ac custodiat, & tribuat his terris salutarem pacem & salutarem gubernationem.

Ago etiam gratias Reuerendissimo et Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi, Primate Germaniæ &c. quod festiuitatem hanc renunciationis meæ celebrari à se uoluerit per uirum clarissimum D. Paulum Prætorium. Pro qua tam clementi uoluntate erga me, Celsitudini ipsius memoriam & gratitudinem sempiternam promitto. Ipsi etiam Viro clarissimo D. Paulo Prætorio, & gratiam me debere profiteor & declaraturum recipio, quod pro ueteri necessitudine nostra inter summas occupa-

cupationes honori & existimationi meæ hanc operam dare, & hoc officio aduentus sui efficere non sit grauatus, ut hæc festiuitas & hæc doctorum hominum corona ab ipso etiam auctior, ornatio & illustrior redderetur.

Debitas etiam gratias ago Magnifico D. Reftori, & Inclytis ac Generosis Dominis Comitibus & Barombus, & Nobilitate ac uirtute præstantibus hospitibus cæteris, qui cum ad hos congressus Scholasticos accedunt, testantur se & dignitatem literarum intelligere, & has magnificere ac uenerari, & fauere Scholæ & Ecclesiæ nostræ, quæ humanitas dignissima est omnibus ijs, qui illustri loco nati sunt, & ad aliqua summorum dignitatum fastigia uirtute & rebus bene feliciterq; gestis, ascenderunt.

Vobis uerò Reuerendi & clarissimi Viri, pietate, dignitate & doctrina præstantes, Doctores & Professores Academiæ Lipsicæ, & cæteri Doctores atque amici & maiores mei cum obseruantia colendi, & tibi imprimis Ioachime Camerarie, quem & ego, ut fieri debuit, patris loco summa semper ueneratione colui, & cum patria communi Germania, omnes extera nationes uero grauiq; iudicio suspiciunt atque admirantur: Vobis ergo omnibus gratias ago, quantas capere potest animus meus, quòd honori meo fauere uos ostenditis, & testamini uera ac sincera beneuolentia uos nobiscum coniunctos esse, & delectari amicicia, col-

Q 3 loquijs



loquijs & consuetudine nostra. Vos circumspiciens de illo Platonis dicto cogito : ου χρυσός ἀγλαός οὐδ' ἄδαμας, οὐδ' ἀργύρου κλίνας πρὸς ἀνδρωπορ δοκιμαζόμεναι, οὕτως ἀσφαπτα πρὸς ὄφεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδα μωρ νοήσις. Nihil est omnino aut prestantius aut dulcius coniunctione non fucata bonorum et piorum consentientium de præcipuis rebus, & hoc consensu letantium, de quibus dicit filius Dei : Vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Hæc uerò ut sit inter nos beneuolentia perpetua, & crescat atque confirmetur, sitq; initium illius æterni et latissimi complexus, quo fruemur in altera uita, ueri perfectiq; & diuini & mutui amoris flammis ardentibus, in conspectu filij Dei & consuetudine Ecclesiæ cœlestis, faciat Deus, qui est dilectio & fons concordie.

Easdem gratias uobis ego Reuerendi & clarissimi uiri Domini Doctores & Professores huius nostræ Academiæ uniuersi, Præceptores & collegæ perpetua obseruantia colendi, & uiri Nobiles atque amici ceteri, qui honoris mei causa conuenistis, cum de alijs beneficijs uestris, tum de eximia & constanti beneuolentia, quam singulari humanitate declarastis & præstitistis mihi multis annis. Hanc ut retineatis erga me, qua possum contentione peto. Ego ut semel collectam atq; adæptam non temere effundam, sed alam atque au-  
geant

geam omni erga uos officiorum & obseruantie genere, enitar sedulo. Et precor Deum, ut hanc coniunctionem animorum inter nos & concordiam, & hanc de uera doctrina filij Dei consensionem, qua nixa & fulta hæc Schola Dei prouidentia & procuratione hæctenus constitit & floruit, nunquam sinat turbari aut dissolui.

Tibi uero omni cultu reuerentie dignissime Domine Patrone, Præceptor, Parens & Socer, quibus uerbis agam gratias, qui tibi debeo omnia? Cuius pietas, sapientia, uirtus & doctrina ita me instruxit, ut affinitatem nostram postea non refu-geris. Hæc institutio & consuetudo tua, quam affinitas postea consequuta est, causa mihi est omnium beneficiorum, quæ à Deo uite meæ concessa sunt, & sunt maxima, & à me ut par est, pro maximis agnoscuntur & celebrantur. Tua etiam causa, quæ nunc fiunt, fiunt omnia. Nam etsi multum mihi polliceor de cæterorum erga me studijs, & multa mihi ab his etiam dari non dubito, neque ipsi me dubitare uolunt aut sinunt, Sit igitur ut mihi aliqua: Tibi tamen ut dixi dantur omnia, quod si non intelligam atque prædicem, nimis sim imperitus atque ingratus. In me uero si quid tibi gratum est, pro quo Deo gratias ago & tibi, eius nomine ideo gaudeo, quia tibi gratum est. Nam etsi de his ornamentis, quæ mihi iam collata sunt, ita sentio ut debeo, non tamen illis ipsis tam gau-

deo ullo respectu meo aut meorum omnium, quant  
 te & honestissimam familiam tuam, à me non de-  
 formari. Quod ut semper fiat deinceps, & nostra  
 opera utiliter inseruiat Ecclesie & glorie filij  
 Dei, & tua senectus acquiescere possit in nostris,  
 & familie tue uniuersæ & amicorum tuorum  
 constantibus studijs & officijs domesticis & ex-  
 ternis, oro æternum Patrem Domini nostri Iesu  
 Christi. Eundem oro ut te diu Ecclesie sue & no-  
 bis uniuersis conseruet, qui unus hac ætate & his  
 uiribus cohibes multorum improbitatem, quorum  
 si qui sunt impotentiores, eorum furor erumpens  
 & ipse sese retundit, et per te ab Ecclesia Christi,  
 si uita suppeditarit, facile profligabitur. Reliqua  
 precibus tuis ardentissimis à nobis arcentur, quæ  
 pro Ecclesia, Republica & priuata salute nostrâ  
 excubant. Commendo autem & tuam & omnia  
 nostrum salutem filio Dei Domino nostro Iesu  
 Christo, custodi Ecclesie sue, qui se certò affutu-  
 rum nobis & defensurum nos promisit aduersus  
 furores, insidias & Tyrannidem Diaboli, sicut  
 dixit: Ero uobiscum usque ad consummatio-  
 nem seculi. Item: Nemo rapiet oues  
 meas ex manibus meis.

DIXI

ORAZ

## ORATIO DE ECCLE

SIA CHRISTI, RECITATA A

Magistro Matthia Gunderamo Cra-

nacensi Decano. Nonis

Martij.

**T**ibi omnipotens Deus eterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui coelum & terram & homines & omnes creaturas, unâ cum filio tuo coeterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu tuo Sancto creasti, & immensa bonitate propter filium colligis eternam Ecclesiam, gratias ago, quòd hactenus nos clementer gubernasti & protexisti, Teq; oro, ut semper inter nos eternam Ecclesiam tibi colligas, & non sinas inter nos extinguere lucem Euangelij, agnitionem filij tui & ueram inuocationem propter gloriam tuam, O omnipotens Deus eterne pater Domini nostri Iesu Christi, per & propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum serua inter nos reliquias, teuerè agnoscentes & celebrantes, & nos facito  $\sigma\kappa\epsilon\acute{\upsilon}\kappa\ \epsilon\lambda\acute{\epsilon}\omicron\upsilon\varsigma$ , & organa quæ in omni æternitate uera gratitudine & leticia te celebrent.

Hæc uota primùm facere nos in his publicis congressibus decet, quia certè conuenimus, ut propter gloriam Dei, studia doctrinarum nostro loco iuuenimus. Ideo & uos & nos adiungamus gemitus nostros ad precationem filij Dei, quam in

illo mirando agone suo recitat, inquit: Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Idem cum ipso mecum petite, Sanctifica nos, Omnipotens Deus, eterne pater Domini nostri Iesu Christi, in ueritate tua, Sermo tuus est ueritas. Ut autem usitatum est, de aliqua doctrina parte dicere, sumpsi utilem commonefactionem de Ecclesia, de qua cum recens quidam uociferari ceperint, Ecclesiam inuisibilem esse, quo ex sermone sequitur ἀναρχία & multiplex incertitudo de doctrina, de testimonijs temporum & Synodorum, de coniunctione ciuium Ecclesie tuenda, & de societate inuocationis: necesse est extare ueram & perspicuam sententiam. Si enim nulla est uisibilis Ecclesia in hac uita, quomodo agnoscuntur & ministri Euangelij & auditores? & quae Ecclesie iudicia erunt, de quibus scriptum est: DICE ECCLESIAE? Quae erit testimoniorum autoritas, de temporibus? de receptis libris? de controuersiarum iudicijs? Quomodo discernemus ciues & hostes, quorum expetenda & tuenda sit societas? qui fugiendi sint? Quales in inuocatione tenebrae erunt, si non distingues inuocationem tuam, ab inuocatione hostium Christi, de quibus ipse inquit: Non adsumam nomina eorum in labijs meis? Cum igitur certitudo quaerenda sit, rectè de his tantis rebus homines docendi sunt. Primum constituenda est definitio Ecclesie uisibilis in hac uita, congruens cum imaginibus.

nibus, quæ à filio Dei traditæ sunt, de Sagena, in qua sunt boni & mali pisces, & cum hac appellatione: Dic Ecclesiæ.

Affirmo igitur Ecclesiam uisibilem in hac uita, cœtum uisibilem esse, amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, in quo sunt multi electi ad æternam Salutem, & renati uoce Euangelij & Spiritu Sancto, etsi sunt in eodem cœtu alij quoque non sancti, sed tamen in professione externa uocem doctrinæ eandem sonantes cum Sanctis.

Cumq; nomino amplectentes incorruptam Euangelij doctrinam, complector & legitimum usum eorum rituum quos Deus quolibet tempore instituit, & excludo Idola & pertinaciam defensionis Idolorum.

Nec cauillatione turbemur de uocabulo Euangelij: Complector hoc nomine doctrinam pœnitentiæ & æternæ promissionis, imò & capita in Symbolis collecta, sicut Apostoli appellatione Euangelij utuntur, de tota ministerij sui doctrina. Quia si legis adpellationem insererem, prolixa distinctio partium legis addenda esset. Sapienter dicunt Iurisconsulti, Periculosas esse definitiones, quia non est remedium contra Sycophantæ morsum, Inuenire facile possunt monstrosæ, uirulentæ & calumniatrices nature, quod arrodant. Nec à Musis illa deprauationum artificia, sed à Sphinx  
ge ori-

ge oriuntur. Sit candor in interpretatione, ubi uere explicatio adiuncta est, quæ calumnias perspicuè refutat, & simus memores honestissimæ uocis Thucidideæ: Διαβολας μου, ου σωφρονοντε λεγειν υνας ες αλλήλους, ουτε τους ακουοντασ αποδεχεσθαι. Ac plane adfirmo, tanquam demonstrationem, quæ iudicari ratione potest, tenendam esse hanc sententiam: Nequaquam esse Dei Ecclesiam eos cœtus, qui contrariam doctrinam legi morali defendunt. Ut Ethnici fingebant turbam Deorum: multi fanatici probauerunt libidinum confusiones: Pontificij & Mahometici leges coniugij delent. Comprehendo igitur in definitione Ecclesiæ & legem moralem rectè intellectam. Etsi autem Ecclesia non cernitur ut regnum Pontificium, in quo incurrunt in oculos: Pontificum splendor, dignitatum gradus, opum ostentatio, Purpuræ, Satellitia, denique omnia illa quæ Daniel complectitur cum ait: Colent Deum Maozim, auro & argento: Tamen conspicitur Ecclesia, ut honesta Aristocratia, seu pius cœtus docentium & discipulorum Christianam κατήχασιν, qui tametsi non iisdem parietibus inclusus est, sed dispersus, eandem tamen ueræ doctrinæ & piæ inuocationis uocem sonat. Hunc cœtum oculis & auribus distingui posse ab omnibus, qui aliam uocem sonant, manifestum est. Paulus inquit: ὅτι θεοῦ ἔργον ἐβλήθη μετὰ τῷ κόσμῳ & ἀγγέλοις ἢ ἀνθρώποις. Quale spectaculum Ecclesie

Ecclesia esse potest, si non cernitur? Quomodo  
prehendi corpora & interfici possunt, si distinc-  
tio neque oculis neque auribus agnoscitur? Cum  
regnarent in Iudæa Herodes, Pharisei & Saddu-  
cei, qui Ordinariam gubernationem tenebant, ho-  
rum certe conspiciebantur Satellitia & gladij.  
Nec distinctio nulla inter hos & ueram Ecclesiam  
sensibus accipiebatur.

Erant uera Dei Ecclesia Zacharias, Elizabeth,  
Anna, Ioseph, Maria, Soror Maria, & alij mul-  
ti, qui horum doctrinam audiebant, quam cum  
Pharisei & Sadducei dissentire à suis opinionibus  
intelligerent, Zachariam interficiunt, quod  
facere non potuissent si distinctio nulla sensibus  
acciperetur. Non uagatur Ecclesia inter Anda-  
batas in tenebris, sed est ut Paulus inquit, *Ἰδέσθαι*  
hoc est spectaculum mundo, angelis & homini-  
bus, seu ut Salomon inquit, *Ἄκτις* ad præliandum  
instructa, habens sua quædam signa, arma & clas-  
sica. Manifestum est dici signa monstrantia Ec-  
clesiam: Vocem ministerij Euangelici incorru-  
ptam, & ritus diuinitus traditos, qui in oculos in-  
currunt, confessionem & inuocationem à cæteris  
gentibus distinctam. An, cum Iuliani milites alij  
sacrificarent Idolis, alij sacrificare nolent, distin-  
ctio nulla conspiciebatur? Sed nubeculam, cui  
inuoluunt Ecclesiam, obijciunt populo isti Plato-  
nici. Quod creditur inquirunt, non uidetur: Ec-  
clesiam esse creditur. Non igitur uidetur. Hoc  
uastrum



uafrum inuolucrum euoluamus. Multæ sunt propositiones, quarum etsi ceruuntur Subiecta, tamen Prædicata fide adduntur, ut cum dicimus: Sol est à Deo creatus: Hæc nostra corpora reuocabuntur in uitam. Hic fides assensio est, qua integram propositionem amplectimur. Ita subiecta in his propositionibus accipi sensibus dicimus: Homines sonantes uocem Euangelij sunt Ecclesia Dei, seu coetus, in quo sunt electi. Et tamen fide prædicatum additur. Distinctio inter agmen martyrum & Tyrannos oculis iudicari potest: Audimus confessionem & inuocationem piorum, Videmus eorum corpora lacerari ferro, uri flammis & multis modis cruciari. Hic fides addit prædicata: Tales placent Deo, Tales præstant Deo gratos cultus, Tales sunt hæredes cœlestis Ecclesiæ. Hac responsione perspicuè euoluta est obiectio illorum, qui Ecclesiam fingunt esse Platoniam Ideam.

Postquam uero constitutum est & conspici Ecclesiam in hac uita, & quæ sint signa non fallentia: iam addenda est necessaria doctrina. Mandatum Dei esse scias, ut ueræ Ecclesiæ te adiungas fide, confessione, inuocatione & officijs, quæ ad eius conseruationem Deus præstari iussit. Vult Deus te suæ Ecclesiæ ciuem & communis militiæ socium esse, non hostem, non parricidam, non desertorem & transfugam. Ideò scriptum est: Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Item, Beati qui habitant in domo tua

mo tua Domine. Et Psal. 26. Vnum hoc petij à Domino, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ. Nec uerò tantum fiat adiunctio ad hanc ueram Ecclesiam, Sed etiam studium sit in omnibus, tuendæ coniunctionis, quale esse in bonis & fidelibus ciuibus omnibus decet. Discernamus hostes & ciues, Aduersus hostes sinus uigilantes & acres, erga ciues placidi, benefici, obliuiscetes iniurias, ne distractiones non necessariæ fiant. Non enim loquimur de Ecclesia huius uitæ, ut de corpore, in quo nihil sit morborum, sed habet etiam uera Ecclesia, retinens fundamentum, non exiguas infirmitates, ut, multum caliginis erat in discipulis Baptistæ & Christi, in illa aurora, ante manifestam missionem Spiritus Sancti, Et tamen in eo cœtu erant electi ad æternam salutem. Vocetq; nos ad societatem Ecclesiæ hæc dulcissima consolatio, quòd certum est, in eo cœtu electos esse ad æternam salutem. Nec in numero electorum esse illos, qui huic cœtui nunquam inferuntur, iuxta dictum Pauli: Quos elegit, hos & uocauit. Quomodo autem in tanta confusione generis humani, in tam uarijs opinionum disidijs fieri adiunctio ad ueram Ecclesiam potest, si distinctio hominum sensibus non accipitur? Deinde quomodo fient iudicia iuxta mandatum Christi, DIC Ecclesiæ, si iudices conspici non poterunt? Sed hoc ipsum consilium Alcibiadeum est. Cum enim uidisset Alcibiades

Periclem

Periclem silentio et gestu significantem nouas eua-  
 ras et sollicitudines, interrogat causam, ille respon-  
 det, se cogitare quomodo rationes referret. Imò  
 uerò inquit audax adolescens, cogites quomodo  
 non referas. Id isti faciunt: Vociferantur nullam  
 conspici Ecclesiam, ut iudicia deleant, & sibi Ty-  
 rannidem in Ecclesia sumant, gignant dogmata  
 monstrosa, quæ nemo sanus probat & frenos eu-  
 piditatibus laxant. Huic licentiæ queruntur late-  
 bræ uelut Orci galea, seu potius ut Cerastra se ab-  
 dunt, qui se luto inuoluunt & cornua exerunt, ut  
 incautos uiatores saucient: Sic isti se factionibus  
 muniant, & ex suis latebris, quos uolunt iugu-  
 lant. Ut igitur in uera Ecclesia iudicia retinean-  
 tur, conspici eam statuendum est. Et quanquam  
 bonis mali mixti sunt: tamen semper aliquis cœ-  
 tus est ueritatis custos. In secunda Ephesina Sy-  
 nodo, quæ nominatur *Λυσίμαχ*, Byzantium Episc-  
 opum rectè sentientem calcibus ita percussit An-  
 tiochenus in publico confessu, ut intra triduum  
 senex extinctus sit. Erant tamen alij rectè sentien-  
 tes, & uicit tandem ueritas. Hæc cogitanda  
 sunt quoties recitamus dictum: Credo esse San-  
 ctam Ecclesiam Catholicam, læti Deo gratias aga-  
 mus, quòd in tantis disidijs propter filium seruat  
 aliquem cœtum, in quo sunt electi ad societatem  
 coelestis & aternæ Ecclesie. Deinde sapienter  
 consideremus, quæ & ubi sit uera Ecclesia, & in  
 eum cœtum nos includamus, & coniunctionem  
 eius

eius tueri studeamus. Latemur etiam nos ad aliorum rectè inuocantium preces, adiungere nostros gemitus & uota, quæ filius Dei, qui est  $\pi\epsilon\sigma\sigma\delta\upsilon\tau\eta\varsigma$  pro nobis, ad patrem æternum perfert. Et quidem in precatione intueamur pios alios, qui simul precantur, sicut Dominus inquit: Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Et quidem uult nos Deus mutuis consolationibus erigi, sicut ad Petrum dicitur: Et tu conuersus confirma fratres tuos. Multi Sancti uiri habent familias, coniuges piæ & dulcissimam sobolem. Hanc uult Deus à parentibus doceri & inferi Ecclesiæ, uult eos esse in eo cœtu, in quo sunt aliqui electi. Hæc dulcissima consolatio pijs parentibus excutitur, si cogitandum est, nullam esse uisibilem Ecclesiam, nec sciri an familiæ suæ sint Ecclesiæ ciues.

Etsi præstigijs disputationum magni in his questionibus tumultus excitari possunt: Tamen nos manifestæ uoci diuinæ obtemperemus, firmissimè statuentes, hoc agmen ueram & uisibilem Ecclesiam esse in hac uita, quod sonat Euangelij uocem incorruptam, & in hoc agmine esse uerè electos ad æternam cœlestis Ecclesiæ societatem, & uelle Deum, ut huius Ecclesiæ ciues simus Nos & Nostri, & cum ea inuocationem nostram coniungamus. Hæc certa & firma sunt, & pijs ad consolationem & ad ueram Inuocationem utilia. Præstigijs uerò contrariarum disputationum op-

ponamus hæc grauiſſima dicta: *Que Deus præcepit, sanctè cogita. Item: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Certe enim disputationum oportet esse metas aliquas. Et uocem suam Deus tradidit, ut metas nobis circumdaret, ne Pyrrhœnio more uagabundæ mentes sine fine errent.*

Tantum hoc tempore de Ecclesia dixi, ad consolandos pios, contra illorum clamores, qui cum non uelint quæri Ecclesiæ societatem, non solum ἀναρχίαν & dissipationes publicè efficiunt, sed etiam priuatim singulos præcipitant in perniciosas dubitationes. Cum autem uos Iuniores auditis, controuersias grauiſſimas, non posse sine eruditione dijudicari & exponi, & oriri plurimas hallucinationes ab indoctis, excitate uos ad discendum propter gloriam DEI, & propter salutem communem & uestram, & studijs miscete precessionem, sicut scriptum est: *Subditus esto Deo, & ora eum. Et sicut usitatè dicitur: Labora & ora. Que si facietis, non dubitate studia uestra salutaria uobis & alijs futura esse. Sæpe etiam cogitemus huius ultimæ, languidæ & deliræ senectæ mundi mala quæ prædicta sunt, ut cura, sedulitas & preces intendantur, sicut Dominus inquit: *Orate ut possitis effugere uenientia mala. Crescit rabies Diabolorum, quia pœnæ eorum summæ nunc propiores fiunt. Hi petulantiam ingeniorum accendunt, armant Tyrannos &**

nos & Sophistas, ut Idola maiori crudelitate stabiliant, quam antea. Scitis enim in Gallia, Hispania, Belgico, horribilem scuitiam exerceri. Nec simus adeo ferrei, ut nec de magnitudine periculorum, nec de praesidijs cogitemus. Sed primum Deo gratias agamus, quod nobis aliquantisper in diocria Halcyonia tribuit, & tribui ea scimus, ut doctrina propagetur. Deinde magnitudine periculorum commonesacti, in discendo et inuocando simus ardentiores, nec somnitemus humanam diligentiam huic magnitudini periculorum parem esse. Sed simus memores uocis filij Dei, qui inquit: Sine me nihil potestis facere. Ut autem ostendit nobis imbecillitatem nostram: Ita rursus & consolatur nos & auxilium promittit inuocantibus, inquit: Quanto magis pater uester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, non ait repugnantibus & petulanter ruentibus in omnia scelera, sed coniungit petitionem & promissionem, cum ait: Petite & accipietis. Vult Deus inuocatione se coli, & ab omnibus creaturis discerni, & uult in inuocatione filium agnosci, sicut ipse inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

DIXI.

R 2

QVAE

QVAESTIO PRO  
 POSITA A MAGISTRO  
 Francisco Raphaële.

**S**Citis nos non fiducia ingenij aut eruditionis, sed ad dicendum prodire, sed legum auctoritati, quarum honestæ & probabiles causæ sunt, obtemperare, qua in re officij laus est, quæ sine ulla dubitatione maior est in iunioribus, quàm laus sapientiæ.

Cum igitur iusta sit dicendi causa, peto ut orationem meam boni consulatis, præsertim cum perfecturus sim, ne prolixitas uobis molesta sit.

Quia uerò nunc in Oratione Decani dictum est, Ecclesiam in terris uisibilem esse, & oportere in ea iudicia esse, proximæ quæstiones sunt de noua iudicij, & quare ualeant iudicium sententiæ, An ualeant ut in prophanis iudicijs auctoritate Regia seu prætoria?

De his quæstionibus eò nunc dicendum est, quia recens Viennæ Esauita propositiones edidit, in quibus expressè hæc asseueratio scripta est:

Ineptum & ridiculum esse, petere à scriptura tanquam supremo iudice controuersiarum religionis definitam sententiam. Sic enim Viennensis ille expressè loquitur.

Doleamus talibus blasphemijs augeri iram Dei, & ostendamus eas nobis displicere, ac precemur Deum, ut pœnas à nobis auertat.

Quid

Quid enim aliud agunt isti? quàm ut deleta uoce diuina concedatur potentibus, ut in Ecclesia collocent Idola, & fingant dogmata ut libet, sicut fecerunt Nabogdonosor, Antiochus, Mahometus & alij. Sic defendunt hoc tempore Pontificia Idola plurima, quia auctoritatem Pontificiam antefecerunt expressis Dei mandatis.

Quero igitur, An norma iudicij sit uerbum DEI, an uerò Pontificum auctoritas. Deinde & de Synodis; Valeant ne earum sententiæ auctoritate Regia seu prætoria.

Ac primum argumentor, Normam iudiciorum oportere esse scripta Prophetica & Apostolica & Symbola, quia expressè scriptum est: Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit. Item, Si quis non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Loquimur autem de scripto sine Sophistica intellectu, ac natiuam sententiam retineri uolumus, non affingi barbaricas aut Sophisticas interpretationes pugnantes cum perspicuis testimonijs, quæ extant in scriptis Propheticis & Apostolicis.

Nam Anabaptistæ & similes, non retinent scripta, etiamsi uerba calumniosè ad suas portentosas opiniones accommodant, Nam hæc uerba: DA OMNI PETENTI, non euertunt distinctionem dominiorum, quæ alibi perspicuis uerbis expressè comprobata est. Volumus igitur



accedere ad lectionem, dexteritatem in conferendis locis & ordine distribuendis.

Sed contrarium argumentum opponunt Pontificij.

In qualibet gubernatione oportet uiuam uocem iudicis habere summam auctoritatem, Quia semper nata lege desideratur interpretatio. Plurimum est dubiorum in scriptis Prophetis & Apostolicis.

Ergo necessaria est uiua uox iudicis, & ut finiantur controuersie, necesse est hanc ualere auctoritate Regia seu prætoria.

Hec plausibiliter dicuntur apud Reges & Principes, sed quatenus probanda sint, cōsiderandum est. Ideo hanc grauissimam questionem defero ad reuerendum uirum pastorem Ecclesie nostrae Doctorem Paulum Eberum, quem propter domesticam institutionem singulari pietate & debeo uenerari, & semper uenerabor.

DIXI.

## RESPONSIO AD QVÆSTIONEM.

**C**arissime Francisce, Volo & ego meam confessionem extare contra præstigiatores Viennensem & similes, qui uolunt normam Iudicij in Ecclesia esse, non scripta Prophetica & Apostolica & Symbola, sed Pontificum & Synodorum

dorum sententias, & has uolunt ualere autoritate Regia seu Prætoria. Hac falsa persuasione clati Pontifices, audacissimè in Ecclesia collocarunt & stabiliunt multa Idola. Ideo taxari eam necesse est.

Adfirmo me retinere hanc ueram sententiam, Normam iudicij de doctrina in Ecclesia esse scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola, quæ quidem ipsa tantum sunt breuis collectio articulorum, qui comprehensi sunt in scriptis Prophetis & Apostolicis.

Quòd uerò Pontificij obijciunt, scripta incerta esse: Falsum est, & contumeliosum contra Deum. Vult Deus & audiri & intelligi suam uocem. Quæ est enim insania, dicere, Decalogum, promissionem gratiæ & æternæ salutis, articulos Symbolorum, esse incertos sonos, & similes folijs Sibyllæ.

Quòd uerò hæretici dicta quædam detorquent ad sua deliramenta, id fit ipsorum scelere, quia non conferunt dicta Prophetica & Apostolica. Scimus opus esse doctrina & collatione locorum & iudiciorum, sicut recte dixit Epiphanius: Non transformanda sunt omnia dicta in Allegorias, sed retinenda est natiua uerborum significatio in lege, promissione gratiæ, & articulis fidei. Addit autem Epiphanius, Opus esse sensu & speculatione. Sensu opus est, ad intelligenda singula uocabula, Speculatione opus est, ad locorū et dogmatum collationē & ordinem constituendum. Ideo in

Ecclesia uult Deus esse uocem docentium, quæ non gignat noua dogmata, sed sermonem Propheticum & Apostolicum dextrè reddat, & membrorum ordinem in docendo ostendat, quæ ab ineruditis fieri non possunt.

Absit ab Ecclesia audacia, quam sibi multi Pontifices & Heretici sumpserunt, & sumunt omnibus temporibus, sculpendi Idola, fingendi opinioniones seu peregrinas seu contrarias uoci diuinae.

Sed de hac questione hoc tempore integrè dici non potest, de qua tamen sæpe alijs temporibus & dicimus Deo iuuante, & dicturi sumus. Oro autem filium Dei sedentem ad dexteram Patris, ac dona largientem Ecclesiæ, ut studia gubernet, & nos protegat.

D I X I.

ORATIO RECITATA  
A D. PAVLO EBERO, PASTORE  
Ecclesiæ Vuitebergensis, cum gradus doctorum

Theologiæ decerneretur Reuerendo uiro

M. Dauidi Voit. die 19.

Martij.

ET si quotidie de mirando consilio redemptionis generis humani in omni inuocatione cogitandum est, tamen anni tempus nunc omnes  
pios

pios admonet, ut maior sit intentio, & omnia miranda facta, quæ in hoc tempus incidunt, considerentur.

Cras prima dies erit, qua mundus ante annos quinquies mille, quingentos, & uiginti duo conditus est.

Die 17. Maij prima dies erit diluuij ante annos ter mille octingentos sexaginta sex.

Die 15. Aprilis prima dies erit egressionis ex Aegypto, ante annos ter mille sexaginta quinq.

Die 25. Martij filius Dei crucifixus est ante annos mille quingentos uiginti sex.

Consentaneum est & Abel initio Veris interfectum esse, Et Isaac eodem anni tempore oblatum esse, cum typi essent Christi. De Baptista expresse scribitur, circa Pascha trucidatum esse.

Hæc miranda spectacula intuentes, agnoscere & deplorare nostra peccata, & Deo gratias agere pro patefactionibus, & pro misso redemptore filio, & excitare corda ad inuocationem debeamus.

At proh dolor, ut in sæuis morbis post interualla redeunt atroces paroxysmi, ita hoc tempore in multis furorum incrementa sunt & εἰς βολαί, ut Medicorum uerbis utar. Helluantur, concurrunt non ad conuiuia, sed ut humanum cruorem hauriant, denunciant sibi mutuas lanienas.

Hæc nos senes, ac præsertim nos, quibus Ecclesie gubernatio commendata est, non possumus

sine ingenti dolore aspicere, qui quidem & educe-  
sas, & secuturas pœnas horum furorum cogita-  
mus. Disciplina magis magisq; laxatur immanitas  
te opinionum, quæ ut scriptum est, uertunt αὐτῶν  
Χόρη εἰς ἀσέλγεια. Inuitantur ergo diabolicæ  
furie, & hi morbi pœnæ sunt prophanitatis.  
Has pœnas deinde ruinae imperiorum, bella, &  
uastationes comitabuntur.

Inter harum cogitationum fluctus hac uelut  
ancora nos sustentamus, uidelicet, promissione filij  
Dei, qui adfirmat, se reliquias Ecclesie serua-  
turum esse etiam in hac delira mundi senectæ, sicut  
inquit: Etiam in senectæ uos gestabo, & præci-  
pit, ne officium docendi, & monendi nostros abije-  
ciamus.

Quare primùm, ut mandato Dei obediam, om-  
nibus auditoribus nostris præcipio, tanquam Ec-  
clesiæ huius pastor, ut iniustos impetus frenent, &  
sint modesti, & se ad piam meditationem & in-  
uocationem exuscitent.

Hortor etiam magistratus, ut illas pestes, quæ  
sanari nolunt, tanquam ἀλάστορα patriæ, ex op-  
pido eijciant.

Deinde cœtum piorum alloquor, inter quos  
multi sunt adolescentes tales, de quibus scriptum  
est: Sinite paruulos ad me uenire, quia talium est  
regnum cœlorum.

Hos iubeo mecum supplices ad Deum accede-  
re, cui primùm gratias agimus, quòd filium misit  
redem-

redemptorem, quòd Ecclesiam aeternam sibi colligit, quòd nobis etiam filium ostendit, & nos Ecclesie sue inseruit, & clementer nos & nostras familias haecenus protexit.

Precamur etiam ueris gemitibus aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, ut propter filium semper inter nos aeternam Ecclesiam colligat, nos doceat, gubernet, & protegat.

Hanc significationem gratitudinis & haec uota primum fieri in his congressibus decet.

Nunc & de parte aliqua doctrinae dicendum est, quae & ipsa ad excitandam gratitudinem & inuocationem prodest.

In priore libro παραλεπομύων, ut nominamus, cap. 17. David gratias agit propter traditam promissionem redemptoris, quo in loca sententia insignis posita est, quae in libris Latinis negligenter reddita est, cum quidem grammatica in Ebraea lectione non sit ambigua. Breuitas dicti fecit, ut interpretes quasi praeteruolauerit sententia. Lectio graeca propior est fontibus:  $\nu\gamma\lambda\epsilon\pi\epsilon\delta\epsilon\varsigma\ \mu\epsilon\ \omega\varsigma\ \delta\epsilon\alpha\varsigma\ \alpha\upsilon\delta\eta\ \rho\acute{\omega}\pi\omicron\upsilon\varsigma,\ \kappa\alpha\iota\ \psi\acute{\iota}\omega\varsigma\ \alpha\varsigma\ \mu\epsilon\ \kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\omicron\varsigma\ \delta\ \delta\epsilon\theta\varsigma.$

Meministis Bernardum Ziglerum, natum in familia nobili gentis Mysorum, uirum excellentem ingenio, eruditione, iudicij rectitudine, & fide, quo cum mihi dulcis amicitia fuit. Is affirmabat,

mabat, sine ullis corruptelis hanc esse grammaticam & natuam interpretationem. ET ASPICIS ME IN FORMA HOMINIS, QUI IN EXCELSIS ES IEHOVA DEVS. Hanc interpretationem & Lutherus probabat, & lectores mediocriter eruditi in lingua Ebraea, & non prophani, agnoscere possunt, nequaquam peregrinam esse. Certè priora uerba: Et aspicias me in forma hominis, seu ut forma hominis, congruunt cum græca interpretatione.

Hanc igitur grammaticam & non peregrinam interpretationem retineamus, & adiungamus dictis Euangelicis, & pondera uerborum consideremus.

Verbum Adspicias, congruit cum dicto: Vidit Abraham diem meum, & letatus est.

Appellationem formæ imitatus est Paulus, cum ait, Qui cum esset in forma Dei, formam serui assumens.

Cumq; adfirmet hunc Messiam, quem alloquitur, uerè esse Deum Iehoua in excelsis, & dicat tamen eum conspici in forma hominis, agnoscit hunc dominum, quem alloquitur, uerè adsumpturum esse humanam naturam, ut antea dictum est: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et ad Abraham expresse dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad hæc dicta adiungatur adseueratio hic posita, de forma hominis.

simul

Simul autem adfirmat, hunc Messiam esse Deum Iehoua in excelsis, qui & semper adfuit Ecclesie, ut expresse adfirmant Prophetae & Apostoli.

Vt igitur confessio extat de utraq; natura in primo cap. Iohan: Ita in hoc loco tradita est confessio de utraq; natura, Ac ad confirmandos nos contra Ebionis, Samosatani, Mahometi, Serueti, & similium blasphemias, diligenter illustrata testimonia de doctrina colligamus.

Postea & consolationes inde sumamus, de quibus mox dicemus. Prius enim commemoranda est historia Latomi Louaniensis. Edidit is scriptum contra Ecclesias nostras, quod extat, in quo expresse dicit: Patres, Adam, Abraham, Dauidem & Prophetas, non aliam Dei noticiam habuisse, quam qualem habuerunt Xenophon & Cicero. Hos enim nominat, qui prorsus ignorauerunt promissionem redemptoris, & tantum habuerunt qualiacunq; legis uestigia. Hic Latomus aliquantò post moriens, triduo ante mortem iacuit, horribili mugitu significans suos cruciatus, & exclamans interdum, se scientem ueritati aduersatum esse, ut Pontificijs tyrannis gratum faceret.

Hanc historiam ueram esse multi norunt, quam eò commemoro, ut hostes filij Dei, Tammerus, Staphylus, & similes, hoc exemplo moniti, iudicium Dei metuant.

Scriptit



Scripsit eadem Tammerus, quæ Latomus, & confusionem gentium & Ecclesie facit, fingit Allegoriam de Christo, ait eum esse legis uocem. Aduersus has blasphemias teneamus uera testimonia, de duabus naturis in Christo nato ex uirgine, ut inuocatio ad eum sit firma & ardens, & statuamus uerè nos ab eo exaudiri, sicut inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Redeamus igitur ad dictum Dauidis, & inde consolationes sumamus.

Adspicis me, inquit. Ita singuli ad eum confugiunt, adspicere se à filio Dei uerè statuunt. Sciant esse omnipotentem, ac intueri cordium gemitus.

Deinde sciamus nos placidè & clementer adspicere & erigi, quia hic filius nobis donatus est, ut sit mediator, ne in nos ira Dei effundatur, sicut ipse inquit: Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum.

Ipse est umbraculum tuum, ne ira Dei confundaris. Ac diligenter immoretur cogitatio nostra uerbo Aspiciendi, et agnoscamus, immensum beneficium esse, quòd hic Dominus uerè nos miseros aspicit, curat, ac protegit nos, non tantum in communibus naturæ periculis, sed etiam aduersus Tyrannos & Diabolos. Deinde & in morte seruat nos, ne opprimamur eternis malis. Ideo inquit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Deinde quantum est, quòd nos adspicit in forma ho-

ma ho-

na hominis? Induit humanam naturam ita, ut cum esset sine peccato, tamen poenas nostrorum peccatorum, mortem & ineffabiles dolores sustineret.

Contemplemur nos ipsos, quam foedum sit spectaculum, Cadauer. Talis est hic Dominus pendens in cruce, & abiectus in sepulchrum. Fit similis nostris cadaueribus. Sic induens nostram formam, nos afficit. Sed dum fit cadauer tuo simile, simul est Deus Iehoua, & tuo cadaueri rededit uitam, & quidem liberatam à peccato, morte, & omnibus arumnis. Et hæc nostra turpissima cadauera, hoc Domino suam formam nobis tribuente, fiunt templa & domicilia Dei in tota æternitate. Non potest ullius creaturæ eloquentia pingi hæc Antithesis formæ hominis, cum Christus sit cadauer nobis simile, & nos uicissim induimur forma resurgentis Christi. Vult tamen Deus initia huius suæ sapientiæ & bonitatis cogitari, & hac cogitatione lucem suam in nobis accendit.

Præterea formam nostram induit, cum prostratus coram æterno patre, & sustinens iram Dei effusam in eum propter nostra peccata, sudat sanguinem. Nihil tristius hac forma cogitari potest. Sed hanc induit, ut λύτρωα pro nobis soluat, sit redemptor & deprecator, sicut scriptum est: Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fiamus Iusticia Dei in ipso. Sic induit formam  
homi-

hominis, ut in se pœnas nostrorum peccatorum transferat, nobis uerò donet suam formam, quæ est iusticia Dei, & uita liberata à peccato & morte.

Etsi autem magnitudo harum rerum superat omnium creaturarum sapientiam: tamen diuinam uocem audiamus hæc docentem, & ueris gemitibus petamus, ut illucescat mentibus nostris uera filij Dei agnitio, qui in his suis doloribus non tantum est exemplum patientiæ, sed est redemptor. Propter Nos iram æterni patris sustinet, & uia ex soluit, ac nobis meretur liberationem, sicut inquit Paulus: Iustificati sanguine ipsius. Et alibi: Tu in sanguine testamenti tui educes uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

Hanc totam sapientiam rident Epicurei, Mathematici, Fanatici, Pharisei, Pontificij, aduersus quorum blasphemias doctrina nos muniamus, & ab ipso filio Dei confirmari nos petamus, cui gratias agamus, ut agit Dauid, quòd nos in forma hominis adspicit, & propter nos induit massam nature nostræ, quòd factus est redemptor, quòd suam nobis formam donat, quòd & merito & efficacia saluator est, quòd à Deo nobis factus est sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemptio. Pro his omnibus beneficijs tibi fili Dei Domine IESU CHRISTE crucifixe pro nobis & resuscitate, gratias ago, teq; oro, semper ut nos aspicias, doceas, gubernes & protegas nos, & tua forma nos  
in tota

in tota aeternitate induas. Tibi nota est humane naturæ forma languida, plena caliginis & morborum, deniq; deformia cadauera sumus, Nec ulla firma solatia nouimus, nisi quòd tu nos in forma hominis aspicias, & quidem iubes, ut ad te confugiamus, iubes à te peti & expectari auxilium, quod ita promisisti, ut sanguine & resurrectione tua promissiones obfirmaueris.

Petimus igitur & expectamus à te gubernationem & salutem. Non est par certaminibus & periculis nostris ulla humana uigilantia & potentia. Insidiantur nobis astutissimi spiritus, ardententes horribili odio tui, hi Tyrannos & sophistas incitant, ut idola stabiliant, tuos cœtus rectè docentes dissipent, tua membra occidant, bella iniusta moucant, & uastationes in genere humano faciant, deleant disciplinam, & uocem tuæ doctrinæ. Et hi habent adiunctam maximam hominum partem. Videmus enim quanta sit multitudo Mahometica in toto orbe terrarum, quanta Pontificia, quanta fanatica, uidemus quanta sit seuitia. Aduersus tot hostium genera, & contra tantos exercitus, quid sumus nos, qui ueræ Ecclesiæ membra sumus, nisi pauca ouicule inter Draconum, Tigrium, Pardorum & Luporum agmina, seu quod erat Daniel inter Leones? Hic quæ præsidia habemus, nisi te Fili Dei Domine Iesu Christe crucifixe pro nobis & resuscitate, qui aspicias nos in forma hominis, & es Deus in excelsis?

celsis? Te Inuoco, ut nos doceas, gubernes, & protegas?

Adhortor etiam senes & iuniores, ut pericula considerent, & sese ad diligentiam & inuocationem exuscitent, nec illa immanitate dogmatum efferati, laxent frenos cupiditatis, quæ fingunt, nihil opus esse cogitatione doctrinæ, diligentia in regendis moribus, precatione. Imò ne quidem nouam obedientiam necessariam esse. Doleamus potius, & his & alijs blasphemijs generi humano poenas attrahi. Cometæ, Terræmotus, Chasmatæ, Eclipses, signa sunt futurarum calamitatum. Et quidem talia signa his proximis annis multa uidemus. Sed blasphemie non tantum significant uenientes poenas, sed etiam attrahunt, iuxta dictum: Non habebit Deus infontem, quicumq; uanè usurpat nomen eius.

Simus igitur modesti, & uera & necessaria discamus, uitemus Sophismatum præstigias. Sit etiam cura pijs conueniens regendæ uitæ. Adferet, ut uidetis, hæc aëris siccitas sterilitatem, qua Deus temulentiam & ingluuiem punit. Et sæpè concurrunt plures poenæ, ut in uersu dicitur: ἦξει θωρακὸς πόλεμος, καὶ λιμὸς ἀμύτων.

Harum rerum cogitatione flectamus animos & ad modestiam, & ad inuocationem, quia mitigationem poenarum Deus iubet peti, sicut inquit: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Hanc

Hanc commonefactionem adieci enarrationi dicti Davidis, quia id fit dulcius, cum nostras miserias aspiciamus.

Considerent autem studiosi & hoc: Cum uideant, cognitis fontibus, illustriorem fieri sententiam Davidis, magis amanda esse doctrinae studia.

D I X I

## PRAESENTA

T I O.

**R**euere[n]de Doct[or] Georgi, domini Vicecancellarie ornatissime, Praeceptor, Collega & Compater carissime, cum Dominus noster Iesus Christus ad discipulos ait: Messis quidem copiosa, operarij uero pauci, Rogate ergo Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Vtrunq; monet, salutare Deo donum esse, cumq; uelle, ut agnita magnitudine huius beneficij, ardent[er] oramus, ut ipse det fideles & foelices Ecclesiae gubernatores. Videmus multos in messem, hoc est, in gubernationem Ecclesiae praetextu ordinariae successio[n]is irrupisse, non operarios, sed uentres ignauos, uoluptatibus deditos, & magis de hoc sollicitos, quomodo sibi sacerdotia & opes cumulent, quam quomodo Deo Ecclesiam colligant.

Rursus alios cernimus non expectata legitima uocatione, in messem irrepisse, eo quidem praetextu

textu, quòd uelint operari, sed dum sibi soli sapere uidentur, & zelum singularem arrogant, aliorum legitime uocatorum & fidelium messorum operas turbant & impediunt, atq; ita fit, ut eorum labor infœlix sit, & multis etiam perniciosus. Quare grauissimas causas habemus hoc tempore, orandi Deum, ut ipse extrudat operarios in messem suam, hoc est, det pios, sedulos, moderatos, fideles & salutare Doctores, qui & instrumenta ad gubernationem Ecclesie necessaria afferant, ingenium, doctrinam, iudicij rectitudinem, & similia dona, & ijs uelint rectè uti, ad collectionem & ædificationem Ecclesie, non ad dispersionem & destructionem eorum, quæ ab alijs magno labore, fide ac fœlicitate extructa sunt.

Extrudit autem & uocat Deus operarios in messem suam aliàs immediatè, aliàs ut plurimum per homines pios & prudentes, qui præsent Ecclesie, quorum electionem ipse tamen gubernat & fortunat.

Hoc modo est uocatus ad munus docendi Euangelium à Senatu Inçlytæ Academiæ Regiomontanæ, autoritate & uoluntate Illustrissimi Principis ac Domini D. ALBERTI Marchionis Brandenburgensis, Ducis Borussiae, &c. Domini nostri clementissimi, hic pius & eruditus uir M. David Voit, cum prius illic in Schola disputatione publica & confessionem suam de toto corpore doctrine piam edidisset, & suam eruditionem ac  
indi.

industriam Illustrissimo Principi & doctissimis  
Professoribus Academiae illius probasset.

Cumq; adducendae suae familiae causa reuer-  
ti in has regiones constituisset, petitum est à no-  
bis, ut nostri Collegij testimonio publicè ornatus  
ad Inclytam Academiam Regij montis remittatur.  
Qua ipsa petitione ostendit & illustrissimus  
Princeps, & Inclytus Senatus Academiae Regio-  
montanae, se pium consensum in doctrina caelesti  
amare & tueri nobiscum uelle. Quare equissi-  
mum est, uos huic clementissimae & pie postula-  
tioni reuerenter obsequi. Scis autem ornatissimè  
domine Vicecancellarie, hunc M. Dauidem mul-  
tos annos nobiscum uixisse cum laude pietatis, mo-  
destiae & diligentiae in omni genere officij. Audi-  
uimus etiam publicè & priuatim ipsius Confes-  
sionem de praecipuis articulis doctrinae caelestis,  
& deprehendimus profectum in studio Theologiae  
dignum honorifico testimonio.

Cum autem utili consilio antiquitus in Acade-  
mijs elegantur uiri sapientia, uirtute & dignitate  
praestantes, qui sint inspectores studiorum, & gu-  
bernent publicorum testimoniorum collationem,  
quos Cancellarios uocamus, & tu nunc, ut Deca-  
nus Collegij nostri, uicem Cancellarij geras, hunc  
tibi reuerendum uirum M. Dauidem Voit offero,  
& peto nostri Collegij & ipsius M. Dauidis no-  
mine, ut ei tribuas potestatem, & ut uocant Li-  
centiam



centiam accipiendi gradum & insignia Doctorum Theologiae, & nobiscum Deum ores, ut huius candidati ministerium & totius uitae cursum clementer regat, fortunet, & adiuuet, ut sit uas misericordiae utiliter seruiens Deo & Ecclesiae.

D I X I.

RESPONSIO VICE  
 CANCELLARII DOCTORIS  
 Georgij Maioris.

Videntur fortassis hi congressus nostri & haec Ceremoniae quibusdam pueriles, & quasi ludi Scenici ac Theatrici, sed sciendum est magnas & graues esse causas, cur haec ceremoniae & in ueteri Testamento diuinitus institutae sint, & postea ab Apostolis aliquae, cum ministerium uerbi quibusdam commendandum esset, seruate sint.

Præcipit Deus Moysi, ut in publica consecratione Sacerdotum induat fratrem Aaronem uestimentis suis, imponat Thiaram capiti, & filios eius induat tunicis lineis, & imponat eis mitram, qualis ferè ritus à nobis seruatur in ijs initiandis, quibus publicum testimonium tribuitur, cum imponimus pileum, præbemus osculum, damus ius tenendæ Cathedrae, annulum & alia ornamenta ac priuilegia ab Imperatoribus huic ordini concessa & attributa.

Ita cum ab Ecclesia Antiochena ad propagationem Euangelij Paulus & Barnabas mandato Spiritus sancti in Cyprum, Pamphiliam, Phrygiam & alia Asia loca mittendi essent, sicuti refert Lucas, conuenerunt Prophete ac Doctores, & cum ieiunassent & orassent, imposuissentq; eis manus, dimiserunt eos.

Hunc ritum Apostolicum & nos in talibus congressibus seruamus, cum initio conuenimus ad precationem, & deinde ministerium docendi Euangelij ijs, quorum nobis explorata doctrina est, & perspecti mores, publica uoce coram Ecclesia commendamus.

Cause autem, cur hi ritus instituti sint, precipue hæ sunt:

Primum, ne omnibus pateat aditus ad ministerium & publicum docendi munus, sed ijs tantum, quorum explorata doctrina & uita perspecta est, sicuti Timotheo à Paulo precipitur, *Μίνιστροι προβέντου πρώτῳ, δεῖν δὲ κηρύττειν, ἀνεγκλιῶσι οὖτοι.*

Qualis enim barbaries esset, si homines non uocati, aut non explorati undecunq; in Ecclesias irrumperent? Quantum etiam periculum esset?

Vult Deus Ecclesiam cæterum esse honestissime ordinatum, ut Paulus inquit: Omnia fiant decorè & ordinè. Item Ecclesia ut castrorum acies ordinata sit, Non uult in ea esse barbaricas

confusiones & ἀκατασσίαν, aut illum morem  
Cyclosum, de quo dicitur:

ἀκούει οὐδέτις οὐδέπ' οὐδέενθ'.

Secunda causa est, quod Deus uult conspici à  
tota Ecclesia eos, quibus testimonia dantur, ut cer-  
ta sit de eorum uocatione, & ipsorum doctrinam  
& mores probari toti presbyterio, & ijs quibus  
gubernatio Ecclesie commendata est.

Tertia causa est, ut & ipsi Doctores Ecclesie  
sciant suam uocationem, & habeant illustria te-  
stimonia suæ uocationis, quia conscientia secum  
disputans de uocatione, sepe duriter cruciatur, &  
cum hac uoce reprehenditur, Currebant, & non  
mittebam eos, magno in periculo est, & memini-  
mus, quosdam qui in seditione Rusticana ante an-  
nos 35. non miseri cucurrerant, miserimè in de-  
speratione periisse.

Quarta causa est, ut in his congressibus agan-  
tur gratie Deo pro ministerio uerbi & instituto  
& hætenus in his furoribus Diabolorum &  
mundi mirabiliter seruato, & ut precemur Deum,  
ut porro seruet & tucatur uerbi ministerium à  
se institutum, & extrudat operarios in messem  
suam, & eos ipse Spiritu sancto suo ungat, &  
manus suas imponat, ut fructum copiosum affe-  
rant, & fructus ipsorum maneat.

Cum igitur hic reuerendus uir M. David Voit  
ab Illustrissimo Principe ALBERTO Mar-  
chione Brandeburgense, Duce Borussiae & c. cuius  
est

est excellens sapientia & pietas, ad docendum Eu-  
 angelium Domini nostri Iesu Christi in Academia  
 Regiomontana, uocatus sit, & audita sit publicè  
 eius confessio, & mores eius sint casti & honesti,  
 & Reuerendi uiri Collegæ mei, & suo et Magistri  
 Dauidis nomine petant, publico testimonio huius  
 Ecclesiæ, Scholæ & Collegij nostri eum ornari,  
 Ego autoritate, qua hoc tempore fungor, iudico te  
 M. Dauidem dignum esse honorifico testimonio,  
 & tribuo tibi licentiam & potestatem accipiendi  
 gradum & ornamenta Doctorum in Theologia,  
 in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Postremò toto pectore ago gratias filio Dei,  
 sedenti ad dexteram æterni Patris, qui dat dona  
 hominibus, alios Apostolos, alios Prophetas, alios  
 Euangelistas, alios Pastores, alios Doctores, quòd  
 hætenus Ecclesiam & hunc cœtum docentium  
 clementer seruauit, quem oro, ut & porrò nos  
 omnes seruet & protegat, & te Dauidem eo oleo  
 ungat, quo Regem & Prophetam summum Dau-  
 idem per Samuelem unxit, & in tuo ministerio  
 te ita regat, ut sis uas misericordiæ &  
 organum salutare tibi & Ec-  
 clesiæ, A M E N.

D I X I.

S S O R A.

## ORATIO DE DICTO

PAULI AD COLOSS. III, SERMO

*Dei habitet in uobis opulenter, Recitata**à Doctore Dauide.*

**S**I tantum ea res, quae alioqui in tali confessu doctissimorum hominum plurimum possunt, quales sunt praestantia ingenij, eruditio, & eloquentia, hoc loco à uobis spectarentur & requirerentur, non solum summo timore afficerer ad dicendum accedens, sed etiam hunc uniuersum conatum abijcerem. Agnosco enim illa non solum non summa, sed nec saltem mediocria in me esse. Cum autem sciam, idq; exploratè perceptum & cognitum habeam, obedientiae laudem non minoris à uobis fieri quam eloquentiam, mihi non dubium facit humanitas & equitas uestra, uos mihi dicenti, cum iussus sim, ueniam duros, & breuem orationem sine tædio & fastidio auditoros esse, quod ut faciatis, consuetudo Scholarum uos hortatur, & ego à uobis idem reuerenter & officiosè peto.

Dicturus autem sum quantum in hac orationis meae macie, & in ista temporis angustia fieri potest, de dicto Pauli maxime insigni & memorabili, quod in 3. capite ad Coloss. extat: Sermo Christi habitet in uobis opulenter, cum omni sapientia. Inter praecipuas sententias huius Epistolae hoc dicitur  
*Aum*

Etum tanquam insignis gemma eminet, & quia multas grauisimas admonitiones continet commendantes doctrinae studium, diligenter & sepe considerandum est, nec tantum diligentiam in discipulis exuscitat, sed etiam consolatur nos, qui propter hoc studium & propagationem huius doctrinae non leues aerumnas sustinemus.

Primum ostendit Paulus mandatum diuinum esse, ut doctrinam Christi recte discamus, & Emphasis est insignis in his uerbis: *Habitet in uobis, & quidem opulenter.* Familiarissime noti sunt qui nobiscum habitant. Sciamus etiam uere in illo petere Deum ipsum habitare, in quo cogitatur doctrina, in conversione ad Deum, & in consolatione & inuocatione, sicut expresse Dominus inquit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Placent igitur Deo, lectio & cogitatio doctrinae, & per eam Deus est efficax, & habitat in nobis.

Sed hic Enthusiastae quidam reclamant, Absit, inquiunt, ut lectioni tribuamus haec incendia, quae proprie a Spiritu sancto oriuntur, qui, cum ipse libet, rapit suos quosdam scriptos in fatalibus tabulis. Dolendum est hanc Enthusiasticam imaginationem multorum studia languescere, sed nos constanter muniamus nos luculentis testimonijs diuinis, quae labefactari nullo modo possunt. Nota est uox Pauli: *Euangelium est potentia Dei*  
ad

ad salutem omni credenti. Item, Euangelium est ministerium Spiritus, Non hic quidem sentit inclusum esse Spiritum sanctum in literarum figuris, sed celebrat immensam bonitatem Dei, qui hunc ipsum ordinem & agendi modum instituit.

Sunt etiam alij, & hi quidem, qui opinionis errore sibi Atlantes uidentur, dum se solos ueritatis propugnatores esse iactitant. Horum simpliciter tale est acumen: Excludendum est meritum, Ergo nihil loci habet aliqua diligentia & cogitatio. O detestandam licentiam, et mirabilem inscitiam disferendi. Verè & sine Sophistica respondeo, Excludi meritum, non quòd omnino nihil agamus, sed quia non satisfacimus legi, & procul absumus à perfectione. Deinde excluditur meritum, ut promissio sit firma, & certa sit consolatio, & filio Dei suus honos tribuatur. Sed hæc alibi copiosius explicantur. Paulus inquit: Fides ex auditu est, nec uult auditum esse sine cogitatione. Ideo in hoc dicto, quod nunc proposuimus, iubet sermonem Christi in nobis habitare, & quidem cum omni sapientia. Hæc admonitio inseritur de diligentia, quæ habet duo extrema, ignauiam & sophistica cen. Non habitat sermo Dei in sacrificulis indoctis, qui legunt aut canunt sine intellectu. Nec habitat in sophistis hæreticis, & præstigiatoribus, qui etiam legunt Prophetarum & Apostolorum libros, sed legunt eos sine sapientia: Fontes non  
rectè

rectè discunt, qui sunt in ipsis libris Propheti-  
 cæ & Apostolicæ, ut Papistæ non discernunt legem  
 & promissionem gratiæ, cultus diuinitus manda-  
 tos, & superstitiones ab hominibus excogitatas :  
 Anabaptistæ confundunt doctrinam de iusticia  
 æterna in corde, & de uita politica. Fingunt  
 Euangelium, barbariem esse, quæ damnet ordinem  
 politicum. Antinomii non discernunt peccata con-  
 tra conscientiam ab alijs. Talia exempla cogitan-  
 da sunt, ut consideremus quare dicatur : *Habitet  
 in uobis sermo Dei cum sapientia. Sit uera dili-  
 gentia in discendo, rectè distinguantur membra  
 doctrinæ & collatio illustret ueritatem, non sit  
 recitatio ociosa κατὰ λόγια, & omnino remo-  
 ueantur sophistica præstigiæ omnium Heretico-  
 rum. Non potest autem rectitudo iudicij retine-  
 ri sine cura discendi, & sine inuocatione Dei.*  
*Quare & Psalmo 46. dictum est : Psallite sapien-  
 ter. Ac sepe mihi multumq; cogitanti de optima  
 ratione discendæ Theologiæ præclarum uideri so-  
 let, quod Lutherus, cuius honorificam mentionem  
 hoc in loco fieri iustum est, & aliàs sepe dixit, &  
 in præfatione primi Tomi Germanici suorum o-  
 perum paulò accuratius exposuit : Theologiam  
 ueram & salutarem tribus instrumentis egere,  
 Meditatione, quam Paulus hoc in loco ενοίασις,  
 alibi lectionem nominat : Precationem, & expe-  
 rientiam spiritualem. Ac de precatione dicitur  
 Psalmo 119. Fac cum seruo tuo secundum mise-  
 ricor=*



ricordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Cum igitur certum sit, Deo placere hæc studia nostra, & Deum adesse docentibus & discen-  
tibus, & ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem hæc doctrina homines duci, leniamus nobis horum in-  
gentium bonorum cogitatione dolores nostros, & animos in hoc cursu studiorum confirmemus, quos quidem ut regat & confirmet ipse filius Dei Ἰησοῦς, toto eum pectore oro.

## QVAESTIO DOCTO-

RI DAVIDI PROPOSITA A

Casparo Peucero Doctoris

Caspari filio.

**V**ult Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani cum filio suo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis, et resuscitato, & cū Spiritu suo sancto, erudiri primam ætatem, & uult se à nobis inuocari, sicut scriptum: Sinite paruulos ad me uenire. Talium est enim regnum cœlorum. Vult igitur nos assuefieri in Ecclesia ad recitandam suam doctrinam, ut & nos & alij adolescentes commoneant deuoluntate Dei, ut cogitemus, discendam esse doctrinam, sicut præceptum est: Hic est filius meus dilectus, Hunc audite.

Sicut

Sicut autem usitatum est, propono questionem: An recte dictum sit, in definitione Legis moralis, Lex moralis est æterna & immota sapientia, & norma iusticiæ in Deo, cuius radios immensa bonitate, in rationales creaturas Deus in creatione, transfudit, discernens recta & non recta, & ostendens quòd sit Deus, & quòd uelit recta, & præcipiat, ut simus ipsi conformes, & quòd uelit destruere pugnantes cum illa norma.

Hanc definitionem bono consilio & pio studio traditam, arrodit quidam uirulentus Sycophanta, hoc argumento:

Homines non sunt æterni.

Lex est data hominibus.

Ergo Lex non est æterna.

Nunc quero, An propter hanc futilem cavillationem, falsa sit propositio, Legem esse æternam sapientiam in Deo, & sic argumentor, recte sic dici. Expressè scriptum est: Ego Deus & non mutator. Item, Non Deus uolens impietatem tu es. Item, Non ueni soluere legem, sed implere. Et quàmquam remittit Deus peccata, tamen non uult ea, sed uult ea quæ congruunt cum lege morali, & restituit homines, ut fiant conformes cum illa sua sapientia. Item, si illa sapientia esset mutabilis, quomodo sciremus, qualis sit Deus? Ideo autem dicitur similitudo Dei in nobis fulgere, quia hæc noticia in nobis lucet, quæ, si Deus non semper talis esset, non referret Deum. Nec natura humana  
retinet

retinet maius decus post lapsum, quam hanc lucem, quæ etiam in Ethnicis adeo fulsit, ut gens Saxonica adhuc ignara Christi, tantopere detestata sit stupra & adulteria, ut stupratas & adulteras strangulatas cremauerint, & stupratores & mæchos, supra rogos suspensos interfecerint.

Hoc scripsit Bonifacius Pipini tempore ad regem Anglicum, quod libenter recitavi, quia utile est omnes hoc pulchrum exemplum gentis Saxonice nosse. De questione uero, peto, ut reuerendus uir D. Dauid respondeat, & oro filium Dei, ut nos omnes gubernet & protegat. Amen.

## R E S P O N S I O

D. DAVIDIS.

**V**Tilis est explicatio questionis tuæ, an recte dicatur, Lex est æterna & immota sapientia in Deo, & norma iusticiæ discernens recta & non recta, cuius radij transfusi sunt in creaturas racionales, ut sint testimonia, quod sit Deus, et ostendant qualis sit, & discernant eum à malis naturis, & postulat perfectam obedientiam, & denunciât destructionem omnibus non obedientibus. Respondeo autem, Rectè sic dici, ac detestanda est impudentia Sycophantarum, qui hanc manifestam ueritatem cauillationibus obruere conantur. Hæc propositio est uera in tota æternitate, & necessa-  
ria ab-

ria absoluta necessitate: Deus est bonus. Et hæc est impossibilis: Deus est malus. Ergo necessarium & immotum est discrimen boni & mali. Docet autem Deus hoc esse bonum, quod ordinat lex moralis, sicut Micheæ 6. dictum est: Indicabo tibi quid sit bonum. Ac sublato discrimine boni & mali, nescitur quid sit Deus, & sequuntur Pyrrhonij & Manichæi furores.

Esse autem hanc normam in Deo transfusam in homines in creatione, confirmatur hoc illustri testimonio, quod dicitur, homines conditos esse ad similitudinem Dei. Eadem est igitur Noticia boni in Deo, quæ impressa est hominibus. Et in Deo & in hominibus immota est, alioqui non discerni posset Deus à malis naturis

Quod autem obijcitur, Homines non esse æternos, legem uerò datam esse hominibus, quare non sit æterna. Facilis est explicatio. Promulgatio non peperit sententiam legis, quia hæc ante creationem fuit, Sed promulgatio seu transfusio in homines nobis eam ostendit.

Hæc breuiter in hac angustia temporis respondeo, & adhortor Scholasticos, ut totum illum exercitum Antinõmorum uitent, in quo multæ gentes sunt, ut in Troiano exercitu, Polyphemus filij, Musculus, Stenckefeldiani & alia monstra, quæ Deus reprimat.

# ADHORTATIO AD COGNOSCENDAM LINGVAM

Hebraeam à Magistro Henrico Mollero Ham-  
burgense, Hebraico Professore habita  
Die 28. Martij.

**S**ingulari beneficio Deus semper Ecclesie tri-  
buit linguæ Ebrææ gnaros et interpretes, aliàs  
plures, aliàs pauciores. Notum est enim ab Origene  
Hexapla instructa esse, in quibus adiunctæ sunt li-  
bris Ebræis doctissimorum hominum in ea lingua  
interpretationes. Post Origenē Lucianus Martyr  
tēpore Diocletiani Græcæ lectioni ex Ebræis fon-  
tibus emēdationes addidit. Post hunc Hieronymus  
multum lucis attulit Latine lectioni, partim factis  
nouis interpretationibus, partim editis commen-  
tarijs, qui sunt riuuli historiarum & enarratio-  
num Ebraicarum. Post hunc aliquot seculis, cū  
Europa plena esset Monachorum, studia lingua-  
rum Græcæ & Ebrææ neglecta sunt. Quod eo ac-  
cidit, quia cum prima ætas non adsuesieret ad re-  
ctè loquendum, non expetebatur incorrupta le-  
ctio sacrorum librorum, & Monachi plurimè  
prorsus illiterati, aut operas rusticas faciebant, ut  
adhuc in Atho monte faciunt, aut uentri serui-  
bant ociosi, pauci literarum studiosi erant, & su-  
mebatur doctrina ex lacunis, uidelicet ex ineptis  
rhapsodijs, quas indocti utcunque collegerant de  
ceremonijs, qualia adhuc extant ueterum Mona-  
chorum

chorum monumenta. Inde cumulabantur superstitiosi ritus & idola. Fuisse tamen linguarum studiosos inde apparet, quòd & Carolus Magnus sanxit, ut Græcæ linguæ interpres esset in Collegio Osnaburgensi. Eius edicti forma recitatur in Historia uiri clarissimi Crantij mei cognati. Deinde & in Synodo decretum factum est, ut præcipue Academiæ haberent Græcæ & Ebrææ linguæ interpretes. Circa ea tempora Liranus fuit, qui Prophetarum lectionem præclare illustrauit. Deinde labores Burgenfis & Galatini secuti sunt, qui studiosis etiam profunt.

Hæc eò commemorauit, ut iudicijs superiorum temporum iuniores commonefacti cogitent necessariam esse in Ecclesia linguarum Ebrææ & Græcæ cognitionem. Id cum res ipsa ostendit, non opus est longa Oratione. Gubernatorum seueritate opus esset, ut cogèrent eos, qui aluntur, ut Ecclesiæ doctrinam discant, adiungere ad id studium linguas Græcam & Ebræam. Qua in re primum hoc consideretur: Omnium consolationum summa & dulcissima hæc est, scire ibi Ecclesiam Dei esse non posse, ubi manifestè reijcitur doctrina Prophetica & Apostolica, aut dogmata defenduntur manifestè pugnantia cum scriptis Propheticis & Apostolicis, sicut scriptum est: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Et ad Ephesios scribitur, Ecclesiam extructam esse super fundamentum

damentum Apostolorum & Prophetarum. Et dulcissime in Psalmo dictum est: Benedicite Domino in Ecclesijs de fontibus Israël.

Vt igitur impossibile est Ethnicam & Mahometicam multitudinem, & hereticorum agmina Ecclesiam Dei esse: ita necesse est in eo coetu uerè esse electos ad societatem cœlestis Ecclesiæ, qui libros Propheticos et Apostolicos legit, audit, discit & complectitur, quos ut populus audire & intelligere possit, necesse est interpretes esse, quibus fontes noti sint.

Sequuntur autem hæc incommoda, cum Doctoribus ignoti sunt fontes, Primum: Ignoti nulla cupido. Minus amantur & minus leguntur sacri libri ab ijs, qui fontes non norunt, ut nemo Latinæ linguæ ignarus delectatur lectione Virgilio aut Terentij, aut aliorum, etiamsi in linguam nostram transfusi sint, semel inspecta postea abijciuntur. Eodem modo fastidiunt indocti sacros libros, quod quidem multos fateri audimus.

Iam cogitate quantum mali sit, non delectari ea lectione, nec eam adsidue repetere, Ita fiunt mentes prophane, crescunt dubitationes, languet fit inuocatio.

Secundum incommodum est Dubitatio. Nam qui fontes non norunt, de multis testimonijs retinent tristes dubitationes. Id quod in ijs animaduerti potest, qui minus sunt prophani. Hi sepe & anxie sciscitantur, quid sit in fontibus, sicut mul-

tos meminimus ignaros Græcæ & Ebrææ linguæ, qui cum ex Psalmis aut undecunque ex sacris Libris proferuntur consolationes, aut confirmationes, studiosè interrogant, quæ sit natiua sententia in fontibus, quæ sit phrasis, quæ figura. Sint igitur noti fontes, ut testimoniorum certitudo sit & in nostro agone & contra aduersarios, ut postea dicam. Nam etiamsi nostra causa fontes non expeteremus, tamen sciri eos necesse est, cum aduersarij refutandi sunt. Quantum tumultuabantur Ariani prolato ex Salomone hoc dicto: κύριος ἔκλυσε με ἀρχὴν ὁδοῦ αὐτοῦ εἰς ἔργα. Cum in fontibus sit uerbum possedit, non fabricauit seu ἔκλυσε. Sed de refutatione aliorum postea dicam. Nunc de domestico usu loquor.

Tertium igitur incommodum intueamini, quod in partibus librorum sequi necesse est, si lingua sit ignota. Multæ hallucinationes ex malis uersionibus, item ex inscitia phrasis & figurarum oriuntur. Hic quantus campus taxandi falsas interpretationes patet? Sed ordiamur ab ipsis Iudæis, quibus etsi lingua non ignota est, tamen iudicium de phrasi & figuris deest: Ideo multa stolidè corrumpunt. Manifestum est Psalmum, Dixit Dominus, uaticinari de Messia, illi detorquent ad Abraham, & interpretantur, De torrente in uia bibit, id est, ex Nilo. Apud Micheam legimus: Non intrabo in eam. In uerbis nulla est ambiguitas, sed phrasis ignota est eis. Significat se



non regnaturum esse in Samaria, Seruabo, inquit, exiguas reliquias, Sed regnum delebo. Ibi cum Emphasin in uerbo Inrandi non cernant, fingunt peregrinas sententias. Scitis enim in qualibet lingua & proprias significationes singularum uocum, & usum in iungendis uerbis, & allusiones in figuris sciri oportere, quam ad rem scientia formandæ orationis opus est, quæ Iudæis deest. Sed omisissis Iudæis ueniamus ad Interpretes, qui in linguam Græcam aut Latinam sacros libros transfuderunt, quorum laudo & uoluntatem & opera ipsa. Etsi enim sepe hallucinati sunt: tamen magna ex parte intellectum linguæ Ebrææ conseruauerunt: Quare iudicandum est, eos bene meritos esse. Sed si quis ita laudat, ut fontes uelit negligi, & ignauiam confirmet, is profectò dignus est odio.

Quam multi Psalmi adeò infeliciter redditi sunt, ut plurimâ membra non intelligantur, ut fit in Psalmis: Exurgat Deus. Item, Domine probasti me. Item, Nisi Dominus ædificauerit domum. Et quoties in Prophetis alienas sententias gignunt?

Apud Hoseam & Græci & Latini legerunt: Sicut uastatus est Salmana à domo eius, qui uindicauit Baal. Hæc prorsus ἀσπρά sunt, cum lectio natua sit perspicua, sicut Salman euerit Arbela. Mimitatur Samariæ excidium, sicut ille ipse Salman Rex Assyrius deleuerat Arbela.

In Paralipomenis, ut nominamus, cap. 17. prioris libri, legimus: Fecisti me spectabilem super omnes homines Domine Deus. Græci commodius, ἐπέιδες με ὡς ὄρασις ἀνθρώπων. Sic enim Ebratice legitur, Et aspicias me ut forma hominis, qui es Iehoua Deus in excelsis. Quid dulcius est hac sententia significante copulationem duarum naturarum in Messia? Et pondera sunt in uerbis: Aspicias me: curas, protegis, seruas. Et quidem indutus forma hominis, transfers in te mortem, & tribuis nobis tuam formam, ut tibi reuiuiscanti similes efficiamur. Hæc lectio consolationem proponit, & commonescit nos de similibus dictis: Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fiamus iusticia Dei in ipso. Etsi autem propter breuitatem cauillator eludere hoc testimonium de duabus naturis in Christo potest: tamen adiunctum alijs multis gratum est piè consideranti.

Apud Esaiam legitur: Definita consummatio exundabit iusticiam, id est, In fine politie Iudaicæ, qui præfinitus est, Iusticia largissimè donabitur. Hic quoque propter breuitatem quasi præteruolat sententia lectorem. Græci igitur minus perspicuè reddiderunt uerba, λόγον σωτηρίας ἐνοπιον ποιήσας ὁ θεός. Etsi autem Græca uerba retinet Paulus, tamen sententia congruit cum fontibus, quibus inspectis, quid uelit Paulus, melius intelligi potest, quam ex Græca lectione. Et quidem

multæ phrasēs sunt in omnibus scriptis Apostolicis propriæ Ebræis, quæ sine usu Ebrææ linguæ dextrè intelligi non possunt. Deniq; negari non potest, magis obuias esse sententias in qualibet lingua ijs, quibus ea lingua, quam audit, domestica seu familiaris est, & qui phrasin, figuras & rationem formandæ orationis intelligunt, quàm ijs, quibus hæc subsidia desunt. Audiui Doctorem Theologiæ enarrantem hoc dictum: Propter hæc uenit ira Dei super filios incredulitatis, magno boatu disputare de ijs, qui nati sunt ex impijs parentibus. Hanc questionem mouebat ignarus Ebræicæ phrasīs. Audiui alium, qui fingebat prodigiosam causam, quare Deus poneretur subiecti loco in hoc dicto: Deus erat uerbum, cum prædicatum debeat esse communius subiecto. Græcus articulus ostendit λόγος esse subiectum. Audiui alium, qui dicto Iohannis cecum hamo penè strangulabatur: Peccatum est iniquitas. Disputabat quomodo iniquitas omnia peccata complecteretur, cum sententia sit obuia in Græca lectione ἀμαρτία ὅστις ἀνομία. Desinit peccatum antithesi Normæ. Cum enim lex sit norma ostendens recta, perspicuum est peccatum esse, quidquid ab illa norma discrepat, ut sunt usitate definitiones priuationum ἀφαιρέσις ἐναντίου. Ita sepe una uox in fontibus lectorem de magnis rebus docet. Ac recitari talia exempla multa possent.

Quartum uerò incommodum inscitiam linguarum

quarum ingens sequitur, quòd refutationes omnes sunt languidiores, nisi proferatur sine ambiguitate, quid sit in fontibus. Osiander uerbum *imputare* in Genesi & Paulo transformabat in uerbum *infundere*: iusticia Abrahamæ imputata est, id est, infusa.

Etsi uerum est, effundi Spiritum sanctum in corda credentium: tamen retinenda est consolatio, quæ adfirmat nos propter obedientiam filij Dei iustos, id est, Deo acceptos esse, non propter infusam nouitatem, sicut Pontificij docuerunt, qui etiam hoc modo corruerunt dictum: iusti sumus per gratiam, id est, propter infusam qualitatem. Retinenda est autem propria significatio uocabulorum *Imputationis* & *gratiæ*, quæ Ebraeis notissime sunt. Etiam nostro tempore scripserunt quidam, in infantibus non esse peccatum, quia peccatum significet actionem. At scientibus phrasin Ebraicam notissimum est, id nomen significare malum pugnans cum lege Dei, & reum, siue sit actio, siue herens in natura prauitas seu defectus.

Deniq; ut sit in Ecclesia certitudo priuatim & publicè, sciri fontes ab aliquibus necessarium est, qui cæteros & erudire & confirmare possint. Nec ignauiæ excusationem queramus, quòd cum exeant interpretationes non solum ueteres factæ negligentius, sed etiam recentes multæ, non uideatur operæ precium collocare tempus in peregrin-

narum linguarum studium. Laudo & uoluntatem interpretum & opera ipsa. Sed cum sint dissimiles, hanc ipsam ob causam fontes adeundi sunt, ut ueram sententiam eligas, & uideas non alienis oculis, sed tuis. Et ubi uox est eadem interpretum, tamen hoc fit, quod in ueteribus uersibus dicitur:

Et quanquam sapor est ablata dulcis ab unda,  
Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

Quanquam ego non solum dulcedine studiosos moueri uolo, Certitudo expetenda est, cum quidem nulla interpretatio tam accurata fieri possit, quae pondera uerborum & emphases ubiq; reddere possit. Est autem praesertim Ebraea lingua plena uenustissimarum figurarum. Non aberrauit interpretes a sententia, cum dixit: Quia ponet animam suam pro peccato, וְהָיָה אִמְרָתָא. Sed multo illustrius est Ebraeum דָּוִד, quod retinuit Paulus, Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum. Nec falsi crimen ducatur, quod fecit interpretes. Hoc est nomen quod uocabunt eum. Dominus iustus noster. Sed multo plenius est, quod Grammatica certo reddi postulat, Iehoua iusticia nostra. Quod etiam retinuit Paulus, Factus est nobis a Deo sapientia & iusticia. Huius generis exempla plurima recitari possent. Addo autem & hoc, quod scio eruditos & prudentes boni consulerent: Fateamur nos homines esse, de quibus dictum est:

est: οὐδέ τις ἀνθρώπων ἔστιν ἀπαντα σοφός. Interdum non satis intenti sumus, interdum etiam cum sumus intenti, tamen à proposito abducimur peregrina aliqua specie. Magni momenti sententia est in Psalmo, Osculamini filium. Id cur mutarint Græci, ne suspicari quidem possum. Grauisima doctrina est in Iob: Vere scio quòd non sit iustus coram Deo. Fortassis horridius hoc Ieronymo uisum est, illiuit ergo de suo: Non est iustus homo comparatus Deo. Videtis obrui natiuam sententiam, & lectori peregrinam ostendi de re maxima. In Daniele addidit perniciosam particulam: Fortassis ignoscet Deus, cum in textu sit asseueratio: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Non hæc aut reprehendendi studio dico, aut quod uelim interpretum censor seu Aristarchus uideri, sed officij mei ratio postulat, ut his monitionibus excitem uniores ad discendum. Et tamen pauca rudera ex ingentibus aceruis protuli. Leuius est superioribus erratis, quod in librum Amos irrepsit apud Græcos nomen sideris Rempha, quod in actis Apostolicis retinetur, uel quia sic uulgo tunc stella aliqua nominata est, uel quia literarum figuris interpretes decepti sunt. In textu est nomen κνώπ. Et consentaneum est, eum de Sirio loqui, cuius ortus initium erat anni Ægyptij die decima octaua Iulij, incidens in tempus exundationis Nili. Itaq; à Sirio tanquam à numine, solenni ritu exundatio felix petebatur. Hunc idoli cultum taxat

Prophe-

Propheta. Sed non omnia errata iam colligere institui, tantum hæc pauca recensui, ut iuniores cogitent de causis propter quas Ecclesie necessaria est lingue Ebreæ cognitio, & sese ad eam discendam exuscitent. Certitudine opus est priuatim & publicè, & ambigua lectio non solum insuavis est, sed etiam prorsus abiicitur. Vt igitur & certæ sint mentes de sententia Prophetarum & Apostolicorum scriptorum, & horum lectio propter certitudinem magis appetatur, lingua hæc discenda est, quia ubi spernuntur libri Prophetici & Apostolici, ibi Ecclesiam esse impossibile est. Simus igitur memores huius dulcissimi dicti: Benedicite Domino de fontibus Israël. Ego quidem Deo gratias ago, quòd me ad ueræ Ecclesie societatem uocauit, & in hoc pio labore docendi linguam & interpretandi Prophetas seruire uoluit. Has operas cum sciam Ecclesie necessarias esse, faciam eas Deo iuuante fideliter, & oro eum, ut nos omnes gubernet & adiuuet, ac ardentibus uotis peto, ut semper in his regionibus æternam Ecclesiam colligat, & membra nostra sanet, ac faciat, ut quam plurimi unum in ipso simus,

A M E N.

OR A

## ORATIO HABITA

IN FVNERE DOMINI PHILIPPI

Melanthonis, à Vito VVinshemio artis

Medicæ Doctore, die uicesima

prima Aprilis.

**R**euerendi & clarissimi uiri, doctrina, uirtute, & fide præstantes, patroni & collegæ colendi, uosq; optimi auditores. Non est, ut iam à me expectetis orationem studio aut meditatione aliqua elaboratam, qualem hic locus & argumenti dignitas requirebat, Neq; enim in tanto hoc publico luctu, & meo acerbissimo dolore, ad dicendum afferre possum eam animi præsentiam, et spiritus atq; hæc ipsa uox testis pietatis, obseruantie, & gratitudinis nostra erga pientissimum & optimum Præceptorem, lacrimis & mœrore impeditur atq; intercluditur.

Res uerò ipsa, hoc est, pietas, doctrina & uirtus reuerendi Præceptoris de quibus hoc tempore dicendum erat, non mediocrem dicendi facultatem, sed uim & flumen orationis uberrimum postulant, à quo me quàm longissimè abesse sentio.

Audietis igitur in præsentia non orationem uel huic loco, uel auribus uestris, uel magnitudini huius argumenti conuenientem, sed miseræ tantum, concisas, & malè coherentes querelas, quales animi luctu & dolore perturbati temerè  
solent



solent effundere, quibus ne uobis nimium molestus sim, moderabor ipse mihi, & breuiter tantum summa quædam capita rerum percurram, cætera, si uiuam, fortasse alio tempore paulò uberius tractaturus.

Et si ut dixi intelligo me & propter ingenij tenuitatem & orationis inopiam, huic argumento pro dignitate tractando longè imparcem esse, tamen uel doctrina & uirtus huius uiri, uel ipsius non tantum erga Germaniam nostram, sed totum Christianum orbem merita, & præcipuè erga harum regionum Ecclesias & hanc scholam, & seorsum erga me beneficia uocem mihi exprimunt, ut his saltem lugubribus querelis optimi præceptoris manibus parentem, quibus & ingentia bona, quæ interitu huius uiri amittimus, & Ecclesiarum, scholæ, ac nostram orbitatem deplorem.

Nam si & de pœnis diuinis, quæ cum tales uiri ex hac uita euocantur imminent, & impendentibus nobis miseris dicendum foret, magis etiam animo frangerer, & uelut sub immodico onere uictus succumberem.

De uita Reuerendi & optimi Præceptoris, pauca quædam, quantum per lacrimas potero, dicam, ubi ut res ipsa postulabit, etiam de doctrina ipsius aliqua erunt inferenda, Deinde & de felici ipsius ex huius uitæ miserijs transitu, in æternam sanctorum sedem, aliqua adijciam.

Natus

Natus est Philippus Melanthon anno 1497. die Februarij 16. hora septima uespertina, in opido Bretta, quod pertinet ad ditionem Principum Palatinorum Rheni, in domo & familia honesta, Pater ipsius Georgius Schwartzerd̄t natus Heidelbergæ, fuit Magister armorum apud Principes Palatinos Philippum, & Rupertum, Et propter eximiam prudentiam, artem, fidem, ac uirtutem carus Maximiliano Imperatori & multis Principibus atque comitibus, fuit uir pius, & penè usque ad superstitionem religiosus, singulis noctibus hora duodecima consueuit è lecto surgere ad usitatarum precum recitationem, Liberos & familiam magno studio & cura regebat, & hoc unice operam dabat, ut tota domus piè & honestè uiueret. Deniq; ciuis erat Principibus, Reipub: ac Patriæ utilis, Mater Barbara Matrona fuit honestissima, singulari sapientia & morum grauitate prædita.

Ex talibus Parentibus natus, & ab his tam sanctè educatus fuit Philippus, ut non sit mirum in tantum cum uirum postea euasisse, Verè enim dictum est à ueteri Poëta,

ἔνδοξον παίδεσσι τὰ λίσια, δ' ὀφείλει δ' ὄν.

Res fuit illis non tenuis, sed que propè mediocritatem superaret, eam sustentabat, & augebat præcipuè Benedictio diuina, ipsorum sobria & honesta frugalitas, & in agricultura industria ac uigilantia.

Et

Et uiuit adhuc superstes Philippo Georgius frater in domo Paterna uir honestiss: ac præcipue autoritatis in Palatinatu. Patrem Philippus amisit an: à nato Christo 1508. die 29. mensis Septemb. ipse natus iam annos 12. Auum maternum, in quo fuit excellens & uerè senilis prudentia, grauitas, & integritas, coniuncta cum auctoritate summa, amisit ante Patrem diebus undecim. Huic Patre occupato negocijs Principum, præcipue educatio & institutio Philippi curæ fuit. Quare cum in eo admodum Pucro euidentiora quam pro ætate, rara atq; excellentis indolis indicia inesse animaduerteret, quam primum per ætatem literas discere potuit, eum in schola Patriæ publica erudiri curat.

Inde postea abductum propter contagij cuiusdam metum, quo scholæ gubernatorem infectum esse compererat, domestico præceptori formandum tradit, is erat Iohannes Vngarus, qui postea sub ingrauescentem ætatem uerbi diuini concionator factus est in oppido Marchionatus Badenensis, cui est nomen à porta Hercinie, Vixitq; usque ad annum à nato Christo ex Maria uirgine 1553. quo anno mortuus est. Conseruauit huius uiri memoriam Philippus donec uixit, singulari cum pietate & ueneratione.

Fuit eo tempore celebris schola in oppido Portæ Hercinie, quam gubernauit Georgius Simlerus Vuimpinensis, cuius integritas, uirtus, & in docenda

cenda iuuentute assiduitas ac fides, tum præ cæteris per eam Germanie oram prædicabatur. In eam scholam Philippus missus, apud sororem Doctoris Iohannis Capnionis cognatam suam collocatur. Collegam habuit Simlerus quendam Iohannem Hillebrandum, qui præter publicorum in schola studiorum operas, priuata quædam cum quibusdam habuit exercitia, in lingua utraq; Latina & Græca. Hoc Magistro & Præceptore primùm Philippus elementa Græcæ lingue degustauit. Vtrunq; ut alterum Patrem coluit, & Simlerum postea Tubingæ publicè docentem audiuit.

Cum autem reuersus ex Gallia Capnio crebrò in Patriam expaciaretur, inuisendæ sororis causa, apud quam Philippus alebatur, considerare naturam pueri atque ingenium & profectus explorare incipit, quæ omnia cum non probaret tantum, sed admiraretur, quem dilexerat antea propter cognationis uinculum, eum propter ingenij præstantiam etiam ut magnificeret mouetur, donatumq; libello Græcæ Grammatices, Lexico, ut uocant, græco, & Bibliorum codice, ad gnauiter ac strenuè pergendum incitat, additis exhortationibus & imposito in caput eius Pilco purpureo, quo ipse cum Doctor fieret, ornatus fuerat, talem futurum præfagiens qualis euasit. Bibliorum codicem & circumtulit secum perpetuò, & legit diligentissimè, & hanc legendi textus Biblici consuetudinem, quòd sibi adolescenti

profuisse plurimum expertus esset, cum retinuit ipse ad extremum usq; , tum nobis uniuersis discipulis suis sepe commendauit.

Biennium uersatus in ea schola, mittitur in patriam Patris, nempe in publicam scholam Heidelbergensem, ubi adolescens propter rari & mirandi ingenij præstantiam, morumq; suauitatem ac uenustatem, omnibus bonis & honestis hominibus ualdè carus fuit, Et conseruauit locus ille memoriam huius alumni sui Philippi cum perpetua beneuolentia usq; in hunc diem. Ludouicus Comes à Lœenstein ibi liberos suos illi erudiendos commendauit, & uixit in domo Doctoris Pallantis Theologi, cuius integritatem, uirtutem, & sapientiam nobis sepe prædicauit.

Intercessit illi Heidelbergæ singularis familiaritas cum Petro Sturmio Argentoratensi fratre Iacobi, cui tunc priuatus Præceptor erat Vimphelingius, uir ut optimus & integerrimus, ita eruditissimus. Triennium Heidelbergæ uixit, partim ante, partim post mortem Patris, audiuit ibi docentem Guntherum Rhetorem, & cum Sorbillo quodam poëta, cuius uenam sepe laudabat, uixit familiariter, scripsit iam tunc adolescens professoribus in ea schola orationes, quæ publicè recitate sunt, Et linguarum studia ac præcipuè scribendi exercitium soluta oratione & uersu excitauit.

Agitabantur eo tempore in scholis quæstiones,

nes, quæ habebantur uel Gordio nodo difficiliter explicabiles, de propositionibus modalibus, item de uniuersalibus realibus, multum hærixarum inter disputantes pariebant, de his enim inter se iugiter digladiabantur, hos nodos ipse dissoluit, & cœtamina hæc cum magna omnium admiratione sustulit, conscripsit tunc & rudimenta Græcæ lingue, quæ postea in publicum edita sunt. Primum scholasticum gradum, cui à Laurea nomen est, assumpsit, cum natus iam esset annos quatuordecim, Nempe anno à nato ex uirgine Christo 1511.

Inde cum propter cœli grauitatem quotannis sub autumnum cum febre conflictaretur, mater periculum metuens, Tubingam ipsum transfert, ibi rectius ualuit, & totum sexennium uixit, Priuatim ac publicè cum magna laude & admiratione docuit, & scripta quedam ceu primos fetus, ex quibus satis apparuit, qui prouentus in posterum expectandi forent, in lucem edidit. Audiuit ibi & Iureconsultos ex quibus illo tempore celebres fuerunt Lamparterus, Ebingerus & alij, Lamparterum præcipuè laudabat. Audiuit item Theologos, de quorum ineptis & inutilibus disputationibus in rebus grauissimis dicere, & multa ridicula ipsorum deliramenta commemorare solebat.

De Monacho quodam concionatore eius loci narrare solebat, quòd pro concione, omissa Euangeli-

geliorum doctrina, Ethica Aristotelis explicasset non paruo audientium studio, qui cupidius Aristotelica cognouissent, quam fabulas anles, quibus implere templa illius barbaricæ superstitionis temporibus usitatum fuit, Christi mentione prorsus neglecta, Et hæc recitans sæpè deplorabat cæcitatem & infelicitatem illius sæculi.

Præfuit & Typographicæ officinæ Anshelmi aliquandiu, Excudebatur tunc illud grande historicum uolumen Naucleri, in quo multa quæ corrupta erant, ipse emendauit, mutila multa compleuit, confusanea in ordinem rededit, obscuris lucem reddidit, superuacanea præcidit, effectiq; ut is liber, qui antea erat farrago uerius, quam integrum historiæ corpus, postea à multis & adpeteretur, & magna cum utilitate legeretur.

Hoc sexennio crebrò & multum fuit cum Capnione, Feruebat tunc certamen, quod Capnioni erat, cum hominibus improbissimis & impotuntissimis, nempe cum Monachis & Monachorum propugnatoribus sophistis, cuius certaminis cause & uarij euentus referuntur à Philippo in oratione quæ extat, continens historiam uitæ Capnionis. Cum his Catharmatis uir optimus conflictabatur, & quidem crudeliter ac duriter ab illis exercebatur, qui in ea conflictatione multa scripsit, quæ partim Romam, partim ad Imperatorem

torem missa sunt, ex his pleraq; Philippus ipse sua manu descripsit. Cumq; Capnio subinde ex Stukgardia Tubingam ueniret, solebat apud Philippum diuertere in illo scholastico diuersoriolo, & unà cum eo in collegio cibum capiebat. Stofflerum Mathematicum in Tubingensi schola sedulo audiuit, quem & in primis laudare solebat, Audiuit tunc & Poëtam Bebelium, & iam tunc ea erat ipsius autoritas, ut omnium oculi in eum coniecti essent.

Princeps autem Saxonie Elector Fridericus, cuius sapientia celebratur, cum ante annos non multos magno studio hanc Academiam condidisset, & undecunque uiros doctos, quibus eam instruere & exornare posset, conquireret, hac in re usus est consilio Capnionis in conuentu imperij Augustano, Anno à nato Christo 1518. Commendat Capnio Principi Friderico Philippum tunc iuuenem adhuc, qui ipsum statim assumtum huc misit, ut Græcam linguam hic doceret. Quæ tenebræ tunc hic fuerint, non iam dicam, Sed intra paucos annos Philippus eam lucem non tantum linguarum, sed & cæterarum optimarum disciplinarum hic extulit, ut unius huius uiri ingenio & opera hæc schola facile cæteras in Germania Academias celebritate superaret.

Et quàm id initio difficile fuerit, facile existimari potest, cum omnia sæcda Barbarie ceu densa caligine obruta iacerent, multi autem in illo



Barbarico coeno sepulti, ita ut sit, etsi propter Principis auctoritatem palam aduersari minus auderent, tamen clam uel contemnerent, uel obtrectarent, Deessent praeterea exempla Graeca, & officinarum Typographicarum ministerium, non leue ad excitanda studia adminiculum.

Memini ipse, cum ferè biennium hic fuisset, & Philippicas Demosthenis optimus Praeceptor nobis publicè enarraret, anno ab hinc trigesimo sexto, auditores illi eramus numero tantum quatuor, propter exemplorum inopiam, describere enim cogebamur, & unicum tantum erat exemplum Praeceptoris, unde describeremus, tamen ex his difficultatibus omnibus eluctatus est incredibili patientia, cum etiam uigilijs eo tempore affligeretur, & ualetudine minus commoda uteretur. Vidi Epistolam à Principe Electore Fridrico tunc ad eum scriptam, qua ipsum hortatur, ut ualetudini parcat, nec nimio se labore conficiat, & ex cella sua commodum potum illi offert, citabat in ea Epistola optimus Princeps dictum Pauli Apostoli: Honorem habendum esse corpori. Et, si caetera dicta Pauli uera esse credis, inquit, & hoc uerum esse, atque illi obediendum crede.

Cum autem ante ipsum huc uenisset, D. Martinus Lutherus, qui hic sacram Theologiam docebat, & crebrò disputabat, facile contraxit eos, ita ut sit, mutua uirtutis & ingeniorum admiratio,

ratio, Philippus in Luthero animi magnitudinem penè plus quam humanam, ingenij acumen, in iudicando inimitabilem σοχασμὸν, in explicandis controuersijs doctrinae dexteritatem summam, & alia dona diuina, supra communem hominum captum ( ut erat talium donorum Dei non segnis aestimator ) considerans, coepit eum ut uirum singularem & heroicum, per quem DEVS res maximas efficere in animo haberet, admirari, colere, & magnificere. Sicq; ipsum non tantum coluit uiuentem, sed & post mortem, donec ipse uixit.

Lutherus uicissim eadem dona DEI in Philippo tanquam suam in speculo imaginem contemplan, & quantam lucem linguarum atque artium tum dicendi, tum caeterarum cognitio doctrinae sacrae afferret, expendens, praeterea & ingenij suauitatem, atq; illas leniores & mansuetiores uirtutes in Philippo considerans, ut & ipse non rudis talium donorum Dei aestimator, magno ueroq; amore ipsum amplecti cepit. Cum super haec omnia hoc etiam in eo inesse animaduerteteret, quod Philippus dissoluta in suum ordinem contrahere, confusa rectè distribuere, incertis locum & quasi ius suum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris definiendo & explicando lucem praebere posset, Et breuiter quod ipse singulare & rarum quoddam organum esset, per quod Deus aliquid mirandum esset effecturus.

Coniunxit igitur Deus hæc duo organa sua, atque hos duos uiros tantos, mirabili quodam temperamento: ut cum Lutherus Erasmo Roterodamo & alijs quibusdam medicus morborum Ecclesie immitior uideretur, Philippus uerò eundem cursum urgens, nec ab eo deflectens lenior ac mitior haberetur, tali  $\sigma\upsilon\upsilon\kappa\rho\alpha\sigma\iota\alpha$  medicationis Deo, sicut uidetur, libuit uti, in hac extrema Ecclesie senescentis ægritudine, quæ iam, ut ille de senescente Rep: sua dixit, neq; morbos suos faciliè, nec remedia ferre potest.

Cum igitur animis & sententijs iam essent coniunctissimi Lutherus & Philippus, euenit ut Eccius Theologus per præcipuas Academias Germaniæ penè omnes circumuagaretur, & ubiq; themata sua, quibus sedem pontificiam, & eorum temporum horrendos errores tuebatur, disputando spargeret ac defenderet,  $\epsilon\pi\nu\iota\upsilon\iota\alpha$  deinde sua & triumphos Thraſonico more decantaret. Is tandem & Lipsiam uenit anno 1519. cum quo Lutherus ut congregaretur Lipsiam uocatus fuit, qui secum adduxit & Achaten suum Philippum, cum propter eam, quæ inter ipsos erat, coniunctionem, tum & propter linguarum cognitionem, ex quibus tanquam ex ipsis fontibus de testimonijs scripturæ & antiquitatis, certa diiudicatio fieri posset, & nauauit tunc Philippus in illa disputatione eam operam Lutherò, atque ita interpellauit ac refutauit Eccium, ut ille sicut erat

erat impatiens, tandem in hæc uerba prorumpere-  
ret: Tace tu Philippe, ac tua studia cura, ne me  
perturba. Præsagijt tunc Eccio credo animus,  
qualem illum aduersarium aliquando esset habi-  
turus.

Rediére ab illo congressu nostri, ac inter eos  
amor & sancta concordia in dies singulos ma-  
gis magisq; coaluit. Fuit tunc id tempus, quo se  
furor aduersariorum nostrorum usque adeò ef-  
fundebat, ut ne quidem furtis suis, & imposturis  
placidè contenti esse, aut quiescere possent, Sed  
ea insuper pro summa pietate, sanctimonia, &  
iusticia adorari postularent. Accidit ergo, ut  
Lutherus penè inuitus ad contradicendum ma-  
nifestis illorum blasphemijs compelleretur, ad-  
fuit illi fidus ubiq; & assiduus ἑσάρτης Philip-  
pus, Atque ita ambo, ut fit post confertum præ-  
lium in medium æstum certaminis pertrahuntur.  
Hoc tempore multa moliti sunt aduersarij, no-  
stros ut euerterent, id quod scripta & acta eor-  
um testantur. Adiungunt & nostris aliqui se,  
qui ἑσάρτης quædam mouent, sicut fit rebus  
motis & perturbatis. Hoc loco in quas difficulta-  
tes, & que certamina Reuerendus Dominus Præ-  
ceptor incidit, commemorare possem, sed in ali-  
ud tempus ista referuo. Etsi hoc quidem scio, &  
uerè affirmare possum, ipsum multas sanè horri-  
das sententias, ne quid tristius dicam, ipsum tunc  
aliquibus cum multa lenitate & mansuetudine è

manibus extorsisse, Quale hoc est, homini Christi-  
 stiano non licere litigare in iudicio, aut Magi-  
 stratus Politici cognitione uel subsidio uti: Ius  
 Mosaicum in forum esse reuocandum, neque ullis  
 legibus utendum Christianis. Non ista Lutheri  
 culpa mouebantur, Sed fiebat id, quod in tali-  
 bus mutationibus & medicationibus accidere so-  
 let: bona enim sepe cum malis eradicantur, &  
 sana cum morbosis eijciuntur. Nota adhuc mihi  
 & quasi in conspectu sunt eius aetatis haec & alia  
 certamina, quae sustinuit, & sepe de his querelas  
 suas, Dominus Praeceptor apud me deposuit. Sed  
 ut formicae certum & unum iter terunt, ita ille  
 unum cursum urgebat semper, simplicem uerita-  
 tem, eamq; illibatam ut tueretur, illum cursum  
 tenuit, eamq; metam secutus est, donec uixit, nec  
 ab ea ullis se contumelijs aut iniurijs dimoueri  
 passus est, Et DEVM immortalem, quae interea  
 ignita tela Satanae, quas insidias falsorum fra-  
 trum, quam tetram & abominabilem huius seculi  
 Sophisticam, quae mendacia, quas contumelias  
 tanta cum patientia, ac penè sine sensu sustinuit,  
 quasi ad omnia haec iam pridem occallisset. Nos  
 uerò cum impatientia nostra moti, & illius ui-  
 cem dolentes, interdum ei hortatores & insti-  
 gatores essemus, ut respondendo & mendacia  
 refellendo, Zoilis illis aliquando tandem ora ob-  
 strueret, Respondet ille, doctrinam suam &  
 scripta nota esse, nihil alia responsione aut refuta-  
 tione

tionem opus esse. Interea suum iter, ut dixi, urgebat, cum Pontificijs doctrinae nostrae hostibus sua in statione acerrimè depugnabat.

Edidit scripta plurima utilissima & ualdè necessaria, quae hinc singula recensere longum foret, sed fiet & hoc, Deo auxiliante, alio tempore, Sunt autem ex his quaedam Ἰζηγητικά, quibus praecipui libri sacri luculenta interpretatione explicantur, ut commentarij in Daniele, Iohannem Euangelistam, Epistolas Pauli, & alios libros sacros, quibus non scio quid exactius aut magis perspicuum esse possit, Conferant haec cum ueteribus, qui uolent, & me uerum testem esse fatebuntur. Pugnat & cum hostibus ueritatis ubiq; ut dixi, acerrimè, & illis quidem iugulum premit, etsi minus fortasse tumultuatur, quàm aliqui uelent. Postremò ut alia omittam, summam doctrinae Ecclesiarum nostrarum commodissimo & eruditissimo compendio complexus est in duplici Ἰσομολογήσει Augustana, & illa, quae superioris repetitio est, edita anno 1551. His accedit plena & exactissima explicatio dogmatum singulorum comprehensa libro, cui titulus est, Loci communes, Quem librum cum uidisset Lutherus ausus fuit dicere, non dubitare se, quin uel unum hunc librum Philippi omnibus sententarijs, & scholasticis scriptis anteferet. Atque ut rumpant se inuidi qui postea uiro tanto obrectare coeperunt, proferre neque ex ueterum nec recentio-

rum

rum scriptis, neque etiam suo ex Theatro quidquam possunt, cum hoc scripto, quod sit conferrendum, Etsi non nimis iniqui sunt aestimatores alieni laboris, dicant illi nobis, nisi utranque Confessionem Philippi & Locos communes haberent, quod nam corpus integrum, aut quam summam huius doctrinae essent habituri? Non iam dicam de illius utilissimis scriptis in alijs disciplinis. Quod compendium Dialectices, quod Rhetorices, quod doctrinae moralis, quod denique Physices aut doctrinae de anima commodius, luculentius, aut exactius habemus, quam ea quae ipse nobis reliquit? Denique quantum in omnibus his disciplinis caliginis & tenebrarum fuit, antequam ipse his lucem praebuit? Consumeatur tota uita in sola Dialectica Aristotelis discenda, neque ad eam uita quantumuis longa sufficebat, de caeteris ut breuitatis causa iam taceam. Haec autem laboriosissima & fidelissima apicula peruolauit per uniuersos doctrinarum campos, atque inde ex uarijs scriptorum flosculis lectissimum & dulcissimum succum nobis in fauos congesit, iuxta ueteris Poetae sententiam:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,  
 Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
 Aurea perpetua semper dignissima uita.

Nunc ea uicissim est nostra in gratitudo, libenter quidem his donis Dei fruimur. Sed postea his ob-  
 satura-

saturati, rabiosis dentibus in tantorum beneficio-  
rum autorem ferimur, Et quod de ingratis-  
simis hospitibus à Plauto dicitur, Vituperamus & co-  
medimus tamen. De scriptis huius uiri, deq; in-  
gratitudine hominum pro his, alio tempore ple-  
nius DEO iuuante, nam hæc temporis breuitas  
ad alia me uocat. Scripta tamen indicant inge-  
nium quale fuerit, qui labores, quod studium be-  
nè merendi de toto genere humano, quem ipsius  
cursum utinam non sepè interrupissent certami-  
na & miserie nostrorum temporum. In quibus  
ad perferendos labores molestissimos, iniurias in-  
super & contumelias, animo semper inuicto &  
patientissimo fuit: Nemo illum unquam, quan-  
tumuis importunus, de gradu suo deturbare ua-  
luit, quin ueritatem & eam unam quæretet ac  
propugnaret. In iudicando rectus, in pronun-  
ciando cautus, ac circumspectus, in communicando  
omnium facilimus & fidelissimus. Sed hoc ipsius  
summum & pientissimum studium sepè inter-  
pellarunt labores importuni & odiosi. Quoties  
ad conuentus & Theologorum congressus auo-  
catus fuit, quos ibi labores, quas miseras sustinuit  
cùm non tantùm rabiosis aduersariorum morsibus  
expositus esset, sed & domesticorum τὰς ἀμα-  
δίαις ferre cogeretur.

In conuentu Augustano, anno millesimo quin-  
gentesimo trigésimo, cùm nostra confessio ab illo  
scripta esset, quæ ut tunc in Regum & Princi-  
pum



pum confessu inuicta mansit, Ita Deo & Domino nostro IESV CHRISTO defensore manebit in eternum, etiam contra portas inferorum, quemadmodum tunc magno animo D. Pontanus coram Imperatore & Principibus dixit. Hæc inquam confessio cum à nostris exhibita esset Imperatori atque totius Imperij ordinibus, fremuerunt Pontificij, & in primis Campegius, atq; in aula Imperatoris aliqui non infimi, qui Imperatorem uel tot regna in discrimen conijcere paratum esse dicerent, potius quam ista ferret. Postridie cum totum *σωμὸν* congregatum esset, accersitur Philippus, qui animo infracto ad eos ingreditur, uidit ibi se circumseptum illo Gyro dentium Satanae, & ut Ionas Propheta solus intra costas beluæ marinæ quassatur, Instat Campegius, & horrenda fulmina iratissimi ac seuisissimi Iouis sui ubrat, cæteri tot regnorum potentiam & uires contra istum, heu miserum & exiguum imbecillum CHRISTI ouicularum gregem, minaciter intentant. Poferat ibi etiam uir fortis & constans commoueri. Interrogatus igitur Philippus, num cedere uellet, respondet, Cedere non possumus, nec ueritatem deserere, Oramus autem propter DEVM & CHRISTVM, ut aduersarij nobis ignoscant, & si possunt, nobiscum dispensent, id est, concedant nobis ea quæ bona conscientia relinquere non possumus. Contra quam uocem auditam  
*reclat*

reclamat Campegius, Non possum, non possum, clauē non errante. Ad quod tonitruum Philippus, et si stabat uelut in medio Leonum, Luporum, atque Ursorum, qui ipsum impune uel in minutas particulas discerpere potuissent, tamen ingentem animum angusto in corpore uersans, fortissime respondit, Deo, inquit, & causam & nos committimus, si DEVS pro nobis, quis contra nos? Denique quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est, Addidit & hoc, habemus iam in nostris regionibus tot miserorum Parochorum & ministrorum Ecclesiarum coniuges & liberos, qui uel quadraginta millium numerum superant, tot animas deserere non possumus, faciemus igitur, quod poterimus, à Filio Dei, cuius hæc causa est, auxilium petemus, nostro in loco & statione quoscunque labores & difficultates perferemus, etiam pugnabimus, si necesse erit, & moriemur, si Deus ita uoluerit, potius quam ut tot animæ à nobis prodantur. Hi sermones, & eo in loco dicti, num pusillum aut languentem animum indicare uidentur, quem illi maleuoli falso tribuunt? Sustinuit similia certamina aliquoties in talibus congressibus, & nunquam tamen animo succubuit. Longum uerò foret omnia hæc in presentia commemorare.

De uno adhuc congressu, qui inter nostros fuit, pauca quædam dicam, & ueniam mihi dari peto repetendi nunc de homine carissimo morte erepto,

erepto, ea, quæ ipse uiuus nobis dulcissimo sermo-  
 ne referre solebat. Erat iussu Principum Torgæ  
 in domo Parochi, instituta inter Doctores nostræ  
 Ecclesiarum primarios deliberatio difficilissi-  
 ma, Aduersarij enim tunc penè iugulo nostro fer-  
 rum admouebant, & superior potestas pacem,  
 quam toties nostri supplices petiuerant in libra  
 aurificis, ut quidam præstans & magnus uir  
 dixit, nobis admetiebatur, Nostriq; Principes, &  
 qui docebant non leui de causa commouebantur,  
 Quapropter D. Martinus & alij quidam do-  
 centes, Torgam conuocabantur, ubi tunc aula  
 erat, ut in medium consulerent, quid fieri, uel  
 non fieri posset. Existiment iam illi Heroes,  
 qui nunc in tuto feroces sunt, qui tunc Agon  
 constitutus fuerit, Nam ut de minis taceam, co-  
 natus certè & molitiones aduersariorum eiusmodi  
 erant, eaq; pericula nobis impendebant, quæ  
 nemo sanus facillè contemnere posset. Contra quæ  
 etsi Principes animo uiderentur magno atque  
 infracto esse, tamen quia ad multos periculum  
 pertinebat, qui non pariter omnes animosi erant,  
 & magna uastitas imminere uidebatur, paucis  
 docentibus, qui aderant, ualdè difficilis consul-  
 tatio proposita erat. Sedet igitur pauper &  
 paucorum Senatus, à solo Deo auxilium orans,  
 sperans, & expectans, tandem post preces & sa-  
 tis longum colloquium, Philippus defatigatus &  
 mœstus surgit, erat enim paulum euocatus nuncio  
 quodam

quodam interpellante, quo dimisso in reditu ingreditur conclave, in quo unà erant miseræ muliercule, Parochi & duorum Diaconorum coniuges ac paruuli liberi, quorum alij iam manuum sugebant, alij à matribus preces recitantes audiebantur, Adstat & audit Philippus cum admiratione & magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, Et quod præcipuè ipsum mouebat, uidet ex Diaconorum uxoribus unam lactantem filiolum, & simul pastinacam in prandium marito incidentem, atque audientem alterum paruulum recitantem usitatas preces & inuocantem Deum, Exclamat, ô tres sanctos & Deo gratos labores, Ab hoc spectaculo confirmatus animo, ac iam lætus atque alacris in senatum redit hilari uultu, Excipit eum Lutherus, Quid tibi Philippe accidit, inquit, quòd ita hilaris ad nos redis, qui paulò antè tristior hinc exibas, respondet ille, ne simus animo pusillo, Domini, iam enim uidi eos qui pro nobis pugnatuuri sunt, qui nos defendent, quiq; contra uim omnem inuicti erunt & manebunt, Querit Lutherus, quinam sunt hi tam fortes duces, ac milites, Parochorum nostrorum & Diaconorum uxores, inquit Philippus, & paruuli liberi, quorum preces iam audiui, quas DEVS non est surdis auribus auditurus. Neq; eas adhuc neglexit optimus Pater Domini nostri IESU  
X Christi,

CHRISTI, nec porro, ut speramus, negliget. Exceptus hic sermo est, ut felix & faustum omen, & iam animis magis confirmati statuunt id quod pios et constantes uerbi diuini Doctores decebat, & illud ipsorum consilium, beneficio Dei salutare fuit Ecclesijs, & ad afflictionem, quæ imminabat, DEVS clementer leniit. Possem alia multa commemorare, quæ ostendunt etiam uiuo Luthero, Philippum nostris neuitquam metuendi autorem, sed ad fiduciam in CHRISTO & constantiam semper hortatorem fuisse.

Verum, cum idem loquuntur omnia ipsius scripta, fortasse superuacancum uideatur his immorari. Quod autem lenior natura & placidior fuit, nec quantum aliqui uellent tumultuatus est, cum tamen eundem cursum, constantissimè urgeret, id laudi potius quam uitio tribuent homines modesti, & de illo quidem nostrorum congressu hæc dixisse satis sit.

Porro in conuentu Ratisbonensi qui habitus est anno à nato ex uirgine Christo 1541. tantos labores pertulit Philippus, quantos uix decem alios robustissimo corpore perferre posse crederem, ut omnes mirarentur, quomodo hoc tam debile corpusculum tanto oneri sufficere posset, & quid in eo conuentu effectum sit, norunt & agnoscunt boni ac pij.

Ex his congressibus, domum, & ad scholasticos, eosq; sibi, ut ferebat, dulcissimos labores reuerfus,

uersus, in illis quoque multipliciter interturbabatur, tamen tantum erat in eo omnibus benefacendi studium, ut nihil molestiae patientia non uinceret, huic uersus uel Epistolam, alteri orationem, tertio praedicationem aut concionem scribebat uel emendabat. De aulicis enim occupationibus & Ecclesiarum gubernatione iam non dicam. His tantis, tamque multis rebus, cum distineretur, non tamen ille doctrinae studium, non serias meditationes & scriptiones, non explicationem grauisimorum dogmatum omittebat. Lutherus assiduus adiutor fuit, cum in alijs laboribus, tum & in sacrorum Bibliorum translatione, quae magno aliquot annorum labore instructa & perfecta est. Fuitque inter eos, dum uixit Lutherus, coniunctio plus quam fraterna, ipse enim Lutherum reuerbatur, & ab ipso uicissim serio atque ardentem diligebatur, fuerunt quidem inter eos, ut fit inter homines doctos ueritatem inquirentes, aliquando inter disputandum disceptationes quaedam, seria dissensio, quod certo scio, nunquam fuit. Et quantum ipsum amarit Lutherus inde aestimari potest, Cum Philippus Vuimariae in morbum periculosum incidisset, quo intra paucos dies ita consumebatur, ut iam omnes de uita ipsius desperarent, Accersitur principis iussu Lutherus, qui quanta potuit celeritate dies & noctes iter faciens, ad eum uenit: cumque ita ad extremum attenuatum uideret, ut praeter uocem, eamque ualde exilem, nullum

uitæ indicium amplius reliqui esset, cum gemitu & lacrimis exclamat, heu quàm preciosum, & Ecclesiæ utile organum diuinum, quàm miserè nobis est affectum, & penè interiit. Cùmq; ipsum tantum salutasset, statim in genua procumbens, orare coepit. Scimus autem quàm seria & ardens fuerit Lutheri precatio, qua & tunc Philippus quasi è media morte reuocatus credebatur.

Tandem cùm Lutherus cursum suum iam confecisset: & DEVS ipsum ex hac mortali uita in illam cœlestem scholam euocasset, uidimus quâ pietate interitum tulerit Philippus, quibus beneficijs uiduam relictam & liberos Lutheri cumlauerit, Neque quidquam post Lutheri interitum, uel doctrina uel ceremonijs mutatum est. Sed statim secutum est illud tristissimum bellum, si id secum, sicut fit, aliquid attraxit, non id Philippo imputandum est, sed potius temporum asperitati, Etsi in schola & Ecclesijs, ut dixi, beneficio Dei, doctrinæ uel ceremoniarum mutationem nullam uidimus. Excitata deinde sunt, instigante Diabolo, dissidia & certamina inter docentes, quæ qui mouerunt, quàm graues & necessarias causas habuerint ipsi uiderint, & nos nihil aliud illis precamur à Deo, quàm ut seriò sentiant, quid fecerint, quòd ista horribili distractione Ecclesias lacerarunt, & in tam multis piorum ac bonorum hominum cordibus Spiritum sanctum per-

turbas

turbarunt. Cogitent aliquando hanc seueram Christi redemptoris uocem, qui tolerabilius esse ait in imo mari submergi, quam saltem unum de paruulorum grege offendere.

Est autem in his certaminibus Philippus præter meritum suum inclementer acceptus ab illis præcipuè, quos ipse euexit, Summa peccati hæc est, quòd lentorem post bellum & non satis tumultuosum fuisse dicunt. Quodq; consultationibus interfuit, in quibus utrum aliquid aduersarijs concedi posset, quæsitum est.

In his quæ fuerit eius constans & perpetua sententia satis exponitur in libro nostrorum de actis Synodicis, & testatur repetita post eas consultationes confessio nostra, aliq; libri eandem doctrinam continentes, quibus facillè placari possent, si sanabiles essent. Qua uerò lenitate & animi tolerantia illorum importunos clamores, iniurias, & contumelias tulerit, & qua interea fide atque assiduitate ueritatis doctrinam propagare perrexit, omnes nouimus, Hoc autem consilio tacuit & ita se proscindi passus est, quia præcidere uoluit occasiones maiorum certaminum nõ necessariorum. Vicit ergo illos, ut nouo, ita pulcherrimo genere uictoriæ, nempe silentio & patientia, iuxta dictum. In silentio & spe fortitudo uestra. Sed de his controuersijs cum scripta & apologiæ nostrorum uulgò extent, quibus sibi satisfieri patientur, si qui sunt sanabiles, superuacaneum uide-



tur in presentia plura uerba facere, Ad priora itaq; redeo. Mutationem, ut dixi, in schola & Ecclesijs, nullam uidimus, neque aliter docuit Philippus post bellum quàm ante bellum, sicut aliqui de eo falso uociferantur, quibus fortasse alio tempore plenius respondebitur: Hec enim temporis angustia nos ad alia auocat. De scriptis ipsius & doctrina, deq; perpetuo instituto & cursu uite, quantum in hac animi mei perturbatione, & temporis breuitate fieri potuit, dictum iam à me est. Nos enim, qui iam per annos multos cum hoc uiro uersati sumus, hoc certò scimus, eum omnes cogitationes, consilia, labores, & studia sua tantum direxisse ad ueræ certæ & perspicuæ doctrine propagationem, ad gloriam Christi filij Dei illustrandam, deniq; ad Ecclesiarum & quàm plurimorum hominum salutem, hæc illi constans & perpetua intentio, hic solus scopus fuit.

Ab ambitione quàm longissimè absuit, honorem & opes non curauit, nec quesuit, quod hæc misera rudera rei familiaris satis testantur, Delectabatur, hoc dicto Achilles, quod est apud Philostratum, Εμὸν ἔσω τὸ πλεῖον τῶν ἔργων ἤμασι δὲ πλεονεκτίτω ὁ βουλόμην, id est, mea sit laborum pars maior, pecunia autem abundet, qui uolet. Scimus quàm ample conditiones illi sæpè oblatæ fuerint, non ut à nobis deficeret (quod quidam propria malicia, sicut Iscariotes ille, & multò leuiore compendio moti fecerunt)

sed

sed ut tantum in quibusdam doctrinae partibus mitius ageret. Sic enim dicebant, concederet quaedam, quae non magni momenti esse uiderentur, nec sineret ob ista leuia concordiam Ecclesiae dissolui, Ad quae respondit ille, scire se etiam olim Arianos ab Homousianis eodem modo postulasse, ne propter duo uerba Ecclesiam lacerari sine- rent, illos tamen non concessisse, se quoque nihil illis largiri aut concedere posse, Haec dogmata oportere pura conseruari, & refutari, & refutationem tam tetrorum errorum necessariam esse. Sicut illis tunc respondit, ita perpetuam eius & constantem sententiam fuisse, ipsius scripta testantur, & norunt omnes, quibus propius notus fuit.

Nunc uenio ad mores & uitam interiorem, in quibus nihil asperum fuit, sed summa lenitas & mansuetudo. Nam bilem qua corpus in iuuentute affici poterat, meditatione & patientia mansuefecerat, Saepè enim hoc Sophocleum in ore habebat, σέργειν γὰρ αἱ παῖδαι μεχ' ὡς γόνυ ξυωπὸν μακρὸς διδάσκει, καὶ τὸ ἕνοναῖον ἔστι τὸν, In familiari conuictu & colloquio omnibus nobis suauitas illius, ut notissima, ita iucundissima fuit. De alijs non dicam, ego quidem lacrimo, quoties cogito, quae mea futura sit in hac misera senectute illo amisso solitudo: Εἰλωσοργίαν non scio, an in ullo homine maiorem uiderim, tanto & tam uerò amore coniugem, liberos, nepotes

Et neptes complectebatur, Hæc me uera dicere omnes nouistis. Beneficentia uerò, atque etiam, ut in illa tenuitate rei familiaris erga omnes munificentia penè maior fuit, quàm ipsius res ferre posset, nemo ab illo beneficium aut eleemosynam frustra petebat, neque ulli quantumuis importuno petitori præclusa erat ipsius benignitas. Rem familiarem tenuem et attritam reliquit, sed locupletissimum Patrimonium liberis est bona fama parentum, et Deus heredibus ipsius etiam benedicet.

Viribus corporis imbecillibus fuit et ualetudine tenui inde usque à pueritia, sed temperantia, sobrietate ac optimo uiuendi ordine, ita corpus alioqui debile roborauit, ut maximis etiam laboribus sufficeret. Animaduertimus tamen post coniugis interitum in dies singulos magis attenuatum ac debilitatum fuisse.

Animo ad mortem semper fuit exquisito inde usque à iuuentute, hoc autem proximo biennio etiam cupidus moriendi, quæ causa fuerit facile existimari potest, tædebat eum iam petulantia, Symplicianarum, et maliciæ hominum huius nostræ ætatis.

Vltimus autem actus testis est certissimus de tota eius superiore uita, animo, et consilijs omnibus, atque ostendit, quòd nihil unquam spectauerit aut quæsiuerit aliud, quàm gloriam Christi et Ecclesiæ salutem, tempus enim et hora mortis

non

non fert hypocrisim, Quoties his annis, & præcipue proximis mensibus ante mortem, cum gemitu & lacrimis deplorauit Ecclesiarum nostrarum distractionem, quam ardentibus uotis & precibus à Deo petiuit, ut ipse inter docentes concordiam sanciret, & hæc mala sanaret? Hæc una cura illi semper in ore & corde erat.

Et de sermonibus ipsius ante mortem multa dicere possem, si hæc temporis angustia pateretur, Præfagijt enim ipse sibi instare diem migrationis, mihiq; paulò ante mortem dixit, Nescio quid mihi feret coniuunctio Martis & Saturni, quæ erit decima quinta die huius mensis, Cumq; febre correptus esset, & ego corpusculum iam antè penè ad extremum attenuatum considerarem, atque cum gemitu dicerem, Quomodo feret hoc corpus febrem paulò longiorem, subridens respondit mihi, cupio dissolui & esse cum Christo.

Dixit & pridie quàm moreretur ad generum, Non morbo moueor, neq; ulla est sollicitudo, quæ animum meum angit aut perturbat, Vna cura est, una sollicitudo, ut Ecclesiæ sint in Christo Iesu concordæ, Hinc satis adparet, quæ fuerint eius perpetuæ cogitationes, & quid semper animo propositum habuerit, Dixit & eodem die, Si me DEVS iam euocauerit ex hac uita, liberabor ab inimicis plenis odio, Sophistica, & mendacijs, hoc monstruoso anno nature. Sæpè ante mortem iterauit hanc precationem Redemptoris,

X s que

quæ est in Iohanne, Sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus, Sæpè & hoc dictum Pauli Apostoli, quod est in priore ad Corinth: Christus factus est nobis sapientia à DEO, iusticia, sanctificatio, & redemptio. Edidit alias multas ante mortem sanctissimas uoces, quæ fuerunt testimonia pietatis ipsius, neque hic referri omnes possunt, Paulò autem antequàm exhalaret animam, cum à Domino Pastore recitarentur uerba, quæ sunt in Euangelio Iohannis: Dedit eis potestatem, ut Filij Dei fiant, qui credunt in nomine eius. Sublatis oculis & manibus dixit, Hoc dictum animo meo semper obuersatur: O te felicem, Preceptor, qui in hac hora hanc firmissimam salutis Anchoram prehendere potuisti, Demq; assidue donec spirare potuit, iterauit hanc precationem: Deus miserere mei per Christum filium tuum, & sensibus integerrimis fuit, usque ad ultimum uitæ articulum, Nam hæc fuit eius postrema uox, qua testatus est se audire & intelligere ea, quæ à nobis ex sacra Scriptura recitabantur. Resolutus itaq; paulatim penè sine sensu mortis tandem spirare desijt, & quasi obsopitus iacuit, neque ulla in facie apparuit deformatio, aut lineamentorum mutatio, sicut in morte fieri solet. Felix ipse, quem post talem confessionem & tam multiplicem inuocationem DEVS ita placido & tranquillo transitu ex hac misera & ærumnosa uita ad æternam felicitatem transtulit. Nobis autem, suisq; omnibus

omnibus & harum regionum Ecclesijs, atque huic schole tristissimum sui desiderium reliquit, qui cum uelut in sæuis tempestatibus maris iactemur, nauclerum nostrum amisimus, tunc cum eius præsentia nobis quàm maximè opus esset, neque ullo tempore minus, quàm nunc, eo carere poteramus. Et satis adparet, quid DEVS in animo habeat, cum tales homines ex hoc mundo aufert, ne sint spectatores imminentium calamitatum, Nolo malè ominari, ad pœnitentiam tamen nos & ad patientiam præparemus, ut uel iram Domini effugere, uel, si sit opus, paternam castigationem obedienter ferre possimus. Debet enim talium uirorum interitus nos excitare ad timorem Dei, ad pœnitentiam & ardentio rem pre cationem, & ut cauti, diligentes, ac fideles simus in custodiendo deposito, quod hi duo uiri Lutherus ac Philippus apud nos reliquerunt, nempe in puritate castæ & incontaminatæ doctrinæ conseruanda. Non igitur nunc hora est, ut simus securi, aut stertamus, sed simus uigilantes, Vidimus quid post Lutheri mortem secutum est, quid iam sit expectandum pro se quisq; reputet. Non possum plura addere ob temporis breuitatem, & animi mei perturbatio nem.

Tibi æterne Deus & Pater Domini nostri IESU CHRISTI gratias agimus, quòd hunc uirum, hunc inquam Angelum tuum nobis tam diu concessisti, & Lucem uerbi tui per eum inter nos accen-

accendisti. Oramus te, ut alios huic similes Doctores, & ministros semper in hac Schola & Ecclesia excitare uelis, iuxta dulcissimam promissionem IESV CHRISTI Filij tui, Non relinquam uos Orphanos, Certè nunc Patre hoc amisso Orphanum sumus, nisi tu DEVS optime nos clementer respexeris, Tu igitur Lucem uerbi tui in nobis non patiari extingui, tu semper tibi Ecclesiam inter nos congrega, quæ te rectè inuocet & celebret in æternum, Tu da fidos Doctores, qualem iam à nobis ad te reuocasti. Et nos in fide CHRISTI filij tui, in fide inquam uerâ & in uerbo sincero conserua in omnem æternitatem, per Christum Filium tuum,  
 A M E N.

ORATIO QVA AVICE RECTORE GEORGIO  
 Maiore Sacræ Theologiæ Doctore, post obitum  
 D. Philippi Melanthonis, significata est scholasticis  
 Vuitebergensibus Illustris: Principis ac Domini,  
 D. Augusti Ducis Saxonie & Sacri  
 Imperij Electoris & c. optima erga  
 Academiam uoluntas.

Vtrumq; prædixit uox diuina, & exoriturus  
 esse in genere humano maiores rerum perturbaciones,  
 atq; opinionum & dogmatum confusiones

fusiones tetriciores, sub extremam mundi ceu fatiſcentis ſenectam, & tamen Deum ex reliqua fece hominum uſq; ad mundi finem, comparaturum ministerio Euangelij æternam hæreditatem Filio, & hanc umbraculo alarum ſuarum tectam conſeruaturam inter collisiones & ruinas imperiorum, & falſarum opinionum conſlictus, ut ſint aliqui, qui coniunctis animis doctrine conſenſu, & concordii inuocatione, que nitatur fiducia Chriſti mediatoris, ac certa firmaq; ſpe æternæ uitæ, ipſum colant & celebrent etiam in hac uita. Vtrumq; euentu compleri, certifiſimo argumento appetentis liberationem, res oſtendit.

Minitantur & denunciant, imò penè intentant orbi Chriſtiano clades immenſas, que præter uſitatum naturæ ordinem & curſum, in multis naturæ partibus conſpecta ſunt prodigia aliquot annis.

Creſcit Tyrannis apud hoſtes patefactæ ueritatis, quorum aliqui cum diſſimiles ſint, dudum detectas ſuperſtitionum fraudes & refutatas euidenter, ea tamen ſeuitia retinere ac ſtabilire πρὸς τὰ κεν ἔὰ λακτιζόντες, aliqui profanitatẽ quam inuehant augere conantur.

Quot & quàm præſtantes uiros ſtadium & profeſſio agnitæ ueritatis adegit ad rogos & incendia in regno Gallico? Ad commemorationem immanitatis ſuppliciorum, quibus pij excruciatii  
in Hiſpa=



in Hispania, tandem comburuntur, ita cohortes-  
sunt mentes, ut penè exanimantur.

Recens in ea Celtiberorum parte, quæ Pyre-  
neis montibus & Narbonensi Gallia uicina, à ue-  
teribus Gottis & Alanis Catalaunie nomen reti-  
nuit, & antiquitus ante Gotticas & Vandalicas  
irruptiones Castellanorum sedes fuit, supra tria  
millia hominum in carceres detrusa, & ad flam-  
mæ atque exustionis supplicium condemnata per-  
hibentur.

Quid dicam de manifestis furoribus eorum,  
qui studia, consilia, & molitiones magno conatu  
omnes dirigunt, tantum ad efficiendas distractio-  
nes in Ecclesia maiores, deprauatione Sophistica  
explicatæ doctrinæ aut calumnijs & insectatio-  
nibus benè meritorum pretextu quocunq; que  
ut pestem inuectura esse in Ecclesiam nullis postea  
remedijs sanabilem omnium opinione citius, metui  
semper, ita prospicere eam nunc mihi uideor &  
experiri, ἀναγκὴ γὰρ ποτε ἐκ τῶν ἰδιδῶν ἀγα-  
θῶν ἀληθῆς σωβλιῶα κακῶν.

Quid uerò de interitu dicam eorum, quorum  
cura, uigilantia, fides & diligentia, normam ueri-  
tatis cœlestis, Dei benignitate tutata est hætenus:  
prudencia uerò, studium & sedulitas in omni pie-  
tatis & officiorum genere erga quoscunq; Eccle-  
sias coniunxit atque copulauit, præcisus aut elisis  
atque auersis auxilio diuino occasionibus non ne-  
cessaria=

cessariarum contentionum, aut hisce suppressis uel dissimulatis silentio ac tolerantia?

Hos cum uideamus eripi nobis hoc turbulento rerum statu, cogitantes illud, in quo dicitur, coligi iustos ne uideant uentura mala, non dubitemus certò impendere mutationes maximas, quarum spectatores hos suos ministros esse Deus non uult.

Quid existimamus portendere mortem optimi uiri & omni cultu reuerentiæ dignissimi Philippi Melanthonis, patris & præceptoris nostri colendissimi, ut non dicam quantum eo extincto Ecclesiæ rectè sentientes, quantum bonarum artium studia, quantum omnes nos præsidium amiserimus, qui cum affectibus, cura, beneficijs uerè patrem nobis: doctrinæ uerò fidelissima communicatione plus quàm patrem fuisse experti sumus uniuersi?

Non libenter mali aliquid ominor, sed metuo, ne, ut post mortem Lutheri Germania intestinis concitata atque concussa motibus, suo tandem inundauit sanguine, sic Philippo è medio sublato, procellis contentionum, quibus ex omni parte doctrina petitur, Ecclesia impulsæ & agitata, naufragium faciat, & de doctrinæ luce ac ueritate periclitetur. Certè enim uel sola hinc umbra autoritatis pristinae terruit multos quantumuis feroces, & audaciam retudit ac represit conatus eorundem, Multos lenitate flexit sua atq; emolliuit

comita

comitate, multorum feruidos ac præcipites turbium instar impetus, moderata aduersatione mox inter initia ita attriuit, ut protinus fathiscerent & collaberentur: Studio uerò tuendi ueras sententias sine acerba uel aduersatione uel aduersantium exagitatione, & precum assiduitate ad Deum, quæ pro Ecclesia semper excubabant, fregit & elisit sæpè callidè structas & fucò falso exquisitè adornatas molitiones.

Inter hæc mala tamen, quæ augentur & ingrauescunt, indices sparsa ueræ doctrinæ semina ubiq; paulatim radicibus actis, serpunt magis atq; magis & confirmantur.

Intuentes igitur in hæc futurarum cladum præuia signa, quæ sunt testimonia iræ diuinæ erga genus humanum propter restitutæ religionis contentum, exuscitemus animos ad precandum ardentius, certa fiducia promissæ diuinitus protectionis & conseruationis Ecclesie.

Consideremus magnitudinem beneficiorum, quæ Deus per hæc duo ὀρυγῶα præcipua & ea sancta & salutaria Lutherum scilicet & Philippum, Christiano orbi impertiuerit, cum his Doctoribus superstitionis pontificiæ tenebras depulit, & regni Pontificij incidit neruos, ac purioris doctrinæ lucem reduxit, auxit & fouit.

Demus etiam operam, ut quam hi nobis traderunt doctrinam, eam tanquam sacratissimum ac inuolabile depositum custodiamus & excolamus,

*mus, nec sinamus normam quadraginta duorum annorum indefesso studio elaboratam, & comprehensam ordine concinno, & perspicuo illustratam sermone, deniq; constantia confessionis & ardentibus fidei exercitijs comprobata, petulanter corrumpi, & oremus Filium Dei qui ascendit in altum, ut det dona hominibus, ut ipse ueritatem uindictet ac tueatur suam, & alios idoneos doctores collocet in uestigia illorum, quos ex hac statione uelut ex acie euocatos in Ecclesiam celestem transtulit, & hos instructos necessarijs dotibus adiuuet ac gubernet sancto suo spiritu.*

*Mecum ergo preces. & uota uestra coniungentes dicite:*

**T**IBI æterne Deus Pater Domini nostri IESU CHRISTI, conditor cœli & terræ & generis humani, unâ cum filio tuo coæterno & SPIRITV SANCTO, gratias ago toto pectore, quòd missis & instructis his doctoribus accendisti & conseruasti in his terris lucem Euangelij tui, & huius ministerio conuocas, & comparas tibi æternam Ecclesiam: quodque doctores ipsos rexisti Spiritu tuo sancto, & protexisti clementer hos nidulos, qui Ecclesiæ tuæ hospitia præbuerunt. Teq; oramus toto pectore ardentissimè, ne relinquas nos orphanos, neq; destituas nos, nec lucem doctrinæ tuæ in his  
Y
regio-

regionibus extingui finas, sed SPIRITV  
 SANCTO tuo regas, ducas, doceas &  
 confirmes nos, quos Rectore orbatos reli-  
 quos esse uoluisti, ut sanctissimi depositi, il-  
 libatæ ueritatis tuæ simus & maneamus cu-  
 stodes & propagatores perpetui, nec à nor-  
 ma constituta uoce tua, & tuorum ministro-  
 rum opera declarata, unquam aut disceda-  
 mus aut deñci nos patiamur, ut opera nostra  
 te benedicente seruiat utiliter Ecclesiæ tuæ, &  
 illustret gloriam tuam, & conuertat ad agni-  
 tionem tui mentes plurimorum.

SANCTE PATER, collige tibi inter nos  
 & in his regionibus æternam Ecclesiam,  
 & sanctifica nos in ueritate tua, Sermo tuus  
 est ueritas: coniunge animos nostros uin-  
 culo ueræ concordiaë, scilicet consensu de  
 doctrina tua, & unius Mediatoris IESV  
 CHRISTI Filij tui agnitione & fiducia, &  
 mutui ac ueri amoris non simulatis flammis  
 & officijs ad tuæ doctrinaë propagationem,  
 ut simus unum in Te, per & propter æternum  
 Filium tuum Dominum nostrum IESVM  
 CHRISTVM, λόγος ἡγεῖ εἰκόνα σοῦ, cruci-  
 fixum pro nobis ac resuscitatum.

PRAESTA PATER æterne, ut illorum bo-  
 norum fiamus hæredes, quæ ut largiaris  
 nobis

nobis per Filium tuum IESVM CHRISTVM, huius exemplo, postremo precatus est preceptor noster, ut perseueremus in uera tui agnitione, ut maneamus concordēs, & fiamus participes æternæ salutis, Amen.

**H**ÆC præfatus sum auditores carissimi, ut in hoc publico luctu, & hac tanta animorum consternatorum obitu Patris nostri moestitia, & metu imminentium mutationum, erigamus & confirmemus animos nostros, certa spe præsentiae diuinæ & auxilij diuini, nec frangamur conspectu horribilium distractionum, quæ malorum ingeniorum petulantia excitata, obruituræ uidentur omnia, nec de posteritate desperemus, nec proiectis remis Ecclesiam his lacerationum & turbationum fluctibus permittamus, sed persistentes in statione faciamus singuli suo loco officium nostrum fideliter ac sedulo, & Deum inuocatum affuturum atque opitulaturum nobis, & posteritatem aliquam conseruaturum certo statuamus.

Huius immensæ bonitatis & misericordiæ suæ, spem certam Deus nobis ostendit, in clementissima uoluntate & affectione erga Ecclesiam, studia literarum, nos uniuersos singulari, denique pia & summo Principe digna sollicitudine illustrissimi Principis ac Domini, Domini Augusti Ducis

Saxonie, Sacri Romani Imperij Electoris &c. Domini nostri clementissimi, de qua ut Celsitudo ipsius testaretur apud nos, & consternatos hac perturbatione animos nostros ut consolaretur atque confirmaret, misit huc cum mandatis uiros clarissimos, nobilitate, uirtute, sapientia & doctrina excellentes, D. Erasmus à Konritz, & D. Laurentium Lindemannum I. V. Doctorem.

Intelligit Illustrissimus Princeps Elector pro excellenti sapientia sua, quem uirum amiserimus Philippo mortuo Academiæ, imò Ecclesijs harum regionum uniuersis Rectorem & custodem atque excubitozem suum, & stabilitatis presidium, & celebritatis decus, & splendoris sui nitorem, inq; rebus dubijs ac hærentibus aut perturbatis ducem atq; interpretem, hoc tam incerto & fluctuante rerum statu, quo nunquam minus eo carere poterat.

Nobis uerò Academiæ alumnis, patrem & præceptorem: Doctrinæ cœlesti patronum in his terris suum ac uindicem, Ecclesijs coniunctis unius doctrinæ professione, & doctorem ueritatis, & Christianæ pietatis, humanitatis, moderationis, sanctitatis, tolerantie & omnium piarum uirtutum exemplum ereptum esse intelligit Quòd cum dolorem ei pepererit & luctum ingentē, atq; auxerit eam quam pro Ecclesia gerit sollicitudinem, multorum præstantium Principum exemplo, tamen excelsi animi robore & consolationum diuinarum

uinarum praesidio dolori repugnans, in huius quam si feruore, orbitati Ecclesiarum & nostrae, quid uel opis adferret, uel adhiberet consolationis cogitare non neglexit, quae optimi Principis pietas, ut est maxima, ita nullis à nobis laudibus satis celebrari potest.

Nec est conuenientius quidquam tanto Principi, quam affici iactura tali, quam ruina posset consequi rerum praecipuarum, Ecclesiarum ac doctrinarum, & uelut ex specula multò antè prospectis tempestatibus, quae impendent, & querere remedia, quibus haec aut depulsa discutiantur, aut appulsa excipiantur ac sustineantur, ne improviso & inopinato harum impetu uelut oppressa extinguantur, quibus nititur & consistit praecipue salus uniuersorum, uera Dei agnitio, & disciplina honesta ac legi diuinae congruens.

Etsi itaq; optimus Princeps Elector Saxoniae Dominus noster clementissimus hoc publico & communi luctu nostro, & hac iactura, quam amissione Patris nostri fecimus, uehementer angitur, Ecclesiae & nostrae causa, Ipsum enim Philippum sine ulla dubitatione, scimus omnes ex iniustorum & crudelium odiorum impetitionibus ad letissimum Filij Dei & beatorum complexum, & ex frementibus impetuosi maris instar turbarum commotionibus, in quietissimam & luce diuina plenam caeli sedem traductum esse: tamen & de conseruatione ac propagatione doctrinarum ad



posteror se optimè sperare ostendit, & suo exemplo, ac mandatis dulcissimarum consolationum & clementissimarum significationum, imò affectuum paternorum plenis, nos quoque in spem optimam erigit atq; inducit.

Pro qua tam insigni pietate & clementia Illustrissimæ Celsitudini ipsius gratias quantas possumus agimus, & oramus Deum toto pectore, ut & ipsum Illustrissimum Principem Electorem, & coniugem eius Illustrissimam, & liberos & συμβουλῶτας eius ac πῶσάτας in gubernatione, & consiliorum socios atque ministros negotiorum pertinentium ad salutem publicam, clementer tueatur, regat ac custodiat, & confirmet ipsis vires animi & corporis, ac uitam proroget, & tribuat his terris cum salutari gubernatione salutarem pacem, ut quæ Dei beneficio & protectione adhuc florent Ecclesiæ, Scholæ, Respub: doctrinæ, leges, iudicia, honesta uirtutum exercitia & cultus, consistant atque conseruentur, & studio atq; industria eorum qui præsunt aucta & amplificata crescant.

Significamus ergo uobis optimi auditores, & luctum in quo est unà nobiscū Illustrissimus Princeps noster Elector Saxonie, propter obitum carissimi Patris ac Præceptoris nostri, & spem eius de studijs in hac schola optimam, & uoluntatem in his conseruandis clementissimam, & uos hortamur, ut Deo unà nobiscum de tali eius affectione

etione & uoluntate gratias agatis, & pro incom-  
lunitate ipsius & liberorum ardentia uota fa-  
ciatis.

De nobis pollicemur uobis eam, quam & Illu-  
strissimus Princeps Elector Saxonie, & fidelissi-  
mi nostri Præceptoris exemplum & nostra à no-  
bis fides exigat, diligentiam & assiduitatem in do-  
cendo.

Dabitur à nobis opera sedulo, ut diligentia,  
fide, operarum assiduitate, omnibus officijs hu-  
manitatis, pie sollicitudinis cura, partam atque  
collectam hereditatem Patris nostri, coetum sci-  
licet huius scholæ frequentissimum, hunc ergo ut  
non dissipemus negligentia, aut toruitate alie-  
nemus, sed si augere non poterimus, conserue-  
mus tamen ipsius exemplo & imitatione, recta ac  
uera de ipsius præscripto docendo, & operas  
assidue & instanter urgendo ac persequendo,  
& paterno complexu fouendo ac iuuando a-  
lumnos nostros, quo ad eius fieri poterit, ne  
degeneres & tam præstanti patre indigni ha-  
beamur.

A uobis, quos relictos post se commendauit  
fidei nostræ, uicissim petimus & requirimus, ut  
eum quem præstitistis optimo Præceptoris uestro,  
& diuino mandato debetis obedientiæ & reue-  
rentiæ cultum, nobis etiam præstetis. Quod ut  
faciatis spontè & alacriter multæ uos causæ mo-  
uere debent.

Primò autoritas mandati diuini, quo uos obligari ad obedientiam cum seuerissima grauisissimarum pœnarum comminatione sæpè auditis. Nec dubitetis Deum licentiam, contumaciam, & petulantiam ulturum esse, etiam cum Magistratus aut non faciunt officium, aut impediuntur, ne exequi pœnas & effrenem ferociam compescere possint.

Secundò, Illustrissimi Principis Electoris Saxonie uos moueat autoritas, Qui flagitat, ut his, quos constituit ipse in hac Academia professores, & præfecit studijs publicis ac discipline & morum gubernationi, subiecti sitis ac pareatis, & fungamini officio uestro diligenter. Non tumultuemini, non turbetis aut impediatis tranquillitatem aliorum, non sceleribus & flagitijs polluat hunc pulcerrimū cœtum, in quo absq; omni dubio multi sunt electi, & sancti, qui sunt templa Spiritus sancti, & spurcie morum ac ferocia & immanitate grauisimè offenduntur. Promittit etiam Illustrissimus Princeps Saxonie Elector non sese defuturum nobis autoritate sua in disciplina defensione, & exequutione pœnarum, si qui petulantius obedire recusauerint.

De uestra etiam salute & officio uestro, atque optimis parentibus uestris cogitate. Misi huc estis non ad luxus & belluationes, non ad ocium aut licentiam omnium cupiditatum, non ad officinam improbitatis, sed ad discendam doctrinam Ecclesie, &

Sic, & purioris Philosophiæ, ad regendos ac conformandos animi affectus, & hos honesta morum gubernatione effingendos ex doctrinæ præscripto, ad exercitia uitæ innocentis & sanctæ, ueræ inuocationis, & gratiarum actionis erga Deum.

In hanc ergo ut curam & cogitationem incumbatis omni studio & contentione, exigunt à uobis parentes uestri, patria & Ecclesia cui destinamini, & cui opera uestra seruire debet, Denique uitæ & conditionis uestre ratio. Nec de uitâ tantum flagitiosè traducta, sed de iactura temporis cogitate uobis rationes Deo fore reddendas.

Tribuatis hoc pientissimis manibus optimi Præceptoris uestri, atque huius fuisse uos non tantum ociosos auditores, sed asseclas & imitatores probate effingendis & exprimendis ut doctrinæ sententijs, sic honestissimis, sanctissimis & castissimis moribus eius, & lenitate ac mansuetudine eximia & singulari ac propè diuina. Huius quotiescunque uel uultum animo concipitis, uel oculis imaginem intuemini, cum locum aspicitis, ex quo tot paternas audiuiſtis commonefactiones uestri, existimate hoc eum mortuum postulare, quod præcepit uiuus, Vos mortuo etiam debere quod uiuo præstitistis.

Parcite & nostris doloribus, quos ex hoc casu conceptos sustinemus tantos, ut si tantum fun-

deremus lacrimarum, quantum aqua uoluit Al-  
bis, explere eos non possemus, Hos'ne nobis exa-  
cerbetis?

Cumq; inter uos sint aliqui, quos hinc non amor  
doctrinae neque discendi cura detinet, sed liberius  
& licentius uiuendi occasio, procul a parentum  
conspetu, & quorum uita, studium, & opera  
occupatur rebus minimè ordini nostro conueni-  
entibus, illis edicimus, ut hinc discedant pro-  
cul, & talem alibi potius quàm in Academia  
nostra uitam agant, quae non ideò tantum nocet  
plurimum, quòd prouocat iram Dei, attrahit,  
accelerat & cumulat poenas publicas & calami-  
tates, turbat tranquillitatem publicam, frangit  
& eleuat auctoritatem legum, sed etiam quòd mul-  
torum animos grauiter offendit morum disso-  
lutione, quae laxatae disciplinae speciem praese-  
fert, aliquos uerò contagijs horum infectos &  
pollutos corrumpit ut degenerent. Quòd si com-  
morati hinc tales diutius fuerint, nec uite & mo-  
rum emendatione praebuerint spem frugis melio-  
ris, nostrum erit perficere, ut à talibus Cathar-  
matis hic coetus expurgetur, ne pars sincera tra-  
hatur, etsi optaremus eos memores pietatis & of-  
ficii sui, diligentiores esse in studijs & regendis  
moribus. Modestis & honestis nec studia nostra,  
nec suffragia & testimonia ubicunq; fuerit opus  
deerint. Hec commonefaciendi uestri causa dice-  
re sum iussus.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, sedentem ad dextram patris, & largientem dona hominibus, ut misereatur nostri & leniat nobis arumnas & sollicitudines nostras, ac pericula, quæ impendent, benignè amoliatur & auertat, nec sinat extingui lucem doctrine suæ, & regat nos, ut fiamus organa & uasa salutaria nobis & alijs.

DIXI.

ORATIO RECITATA  
 A VITO VVINSHEMIO AR-  
 tis Medicæ Doctore, cùm incoaret præ-  
 lectionem Dialecticæ die 29.  
 Aprilis.

**A**Pelles Veneris ἀναδ' ὑποδ' ἰκ'ε, id est, è ma-  
 ri primùm emergentis, caput, faciem &  
 pectus, paulò ante mortem quanta potuit diligen-  
 tia quàm acuratissimè pinxisse dicitur, qui cùm  
 paulò pòst mortem obiisset opere adhuc imper-  
 fecto, non inuentus est post eum in omni posteri-  
 tate Pictor, qui huic operi manum admouere, &  
 reliqui corporis membra pingere auderet. Vide-  
 bor, igitur ego fortasse impudens uel audax nimis,  
 qui mihi à senatu Academiæ hoc onus imponi  
 passus fuerim, ut post optimum & pientissimum  
 Præ-

Præceptorem Dialecticam prælegerem, eo in loco, ubi sæpè uocem ipsius Scholastici cum gemitu requirent, Et post tam excellentem artificem eidem operi manum admouere, perinde est ac si post Homerum Iliada canere, aut post Regem Dauidem Psalmos scribere uellem.

Intelligo & agnosco ipse, optimi auditores, quantum & quàm longè maius uiribus meis onus in me susceperim, nec mea mihi imbecillitas ignota est, commouet & perturbat me etiam locus ipse, ubi dulciss: Præceptor docuit, ubi κύνειον & σμῶα ultimam & Cygneam uocem edidit, cuius mihi memoria, triste desiderium, & quasi imago occurret, quoties huc ascensurus sum. Denique plurima sunt, quæ me reuocare & quasi retrahere poterant. Sed quid faciam? Primum auctoritas Præcepti diuini me onus hoc ut subirem mouit, quo iubemur uoluntati diuinæ parere, suo quisq; in loco & statione, Cùm igitur Deus Reuerendum Patrem & præceptorem nostrum ex hac mortali Schola in illam suam æternam Scholam euocauerit, nostrum est, id quod à Domino factum est obedienter ferre, iuxta dictum, Humiliamini sub potenti manu Dei. Deinde sicut in acie fieri solet, ubi in cadentium loca & ordines succedunt qui superstites sunt, ne tota acies intereat, eodem modo & nostrum officium est, ut cunque sustinere ac fulcire rem inclinatam, ne tanti uiri & Ducis nostri interitus nobis totius Scholæ

Schole atque Ecclesiarum ruinam trahat. Etsi intelligimus quàm ipsi longè impares simus, succedimus tamen, sicut sæpè milites gregarij in ducum occumbentium locum, & quod possumus facimus, Et oramus Deum per Christum, ut labor noster non sit irritus in Christo, Et speramus uos quoque pro humanitate uestra mediocritatem uel tenuitatem nostram boni consulturos esse.

Hac inquam fiducia hoc onus mihi à senatu Academie imponi passus sum, quod ut sustinere possim, uos unà mecum Deum comprecabimini, ut ille Spiritu sancto suo mihi clementer adsit, & huic senili corpori uires sufficiat, ut utiliter Schole & uobis inseruire ualeam, Quod ut fiat faciat Dominus & Redemptor noster Iesus Christus, Amen.

Et quia, ut instituti nostri memores simus, de hoc libro quem explicandum in manus sumimus, & de Dialectica nobis hoc in loco dicendum est, primum de multiplici utilitate huius compendij pauca quedam, ut potero dicam, quamuis dolore & recenti luctu multum impediatur, sed tamen hoc silentio prætereundum non erat, ut adolescentes agnoscant quantum memoriæ huius Viri debent.

Extant ab Aristotele scripti in Dialectica libri multi, qui communi nomine & Titulo inscribuntur Organum logicum, quorum alij de alijs artis partibus agunt, sed cum in his tantum sit caliguis &



nis & tenebrarum, ut superior etas, quæ Aristotelicæ doctrinæ penè plus quàm uerbo Dei dedita fuit, se inde euoluere non posset, accidit, ut multi huic malo mederi, & his tenebris lucem aliquant afferre conarentur. Hi uerò cùm linguarum & dicendi artium adminiculo destituerentur, & in Barbarico cœno sepulti, ac infantes essent, nec scribendi aut dicendi usum ullum haberent, non modò hoc nõ potuerunt efficere aut consequi, Aristotelicas tenebras ut illustrarent, sed & has ipsas tenebras ipsi maioribus tenebris & ambagibus inuoluerunt atque obscurarunt, Ita accidit ut riuus fontibus magis turbidi & limosi essent.

Hoc in numero cùm alij multi, (fuit enim hæc præcipua Scholarum doctrina eius ætatis) tùm & Tartareus recensetur, eum ut præsentem Deum hæc Schola ante aduentum Philippi coluit, De quo ut uenustè ita uerè lusit quidam.

Tartara quòd uincis & cæca nubila mentis,  
Nomen conueniens ergo libelle tenes.

Reuera enim densa caligine & tenebris plus quàm tartareis inuoluti sunt illi commentarij.

Accidit igitur in Scholis tunc uersantibus, quod accidere necesse fuit, ut cùm totam uitam in hac penè sola arte consumerent, ad eius cognitionem tamen nunquam peruenirent. Sed in puerilibus & spinosis altercationibus Scholasticis tempus sine fructu terebant. Cumq; proprium sit huius artis officium, has duas uirtutes ut instruat,  
nempe

nempe ut iudicium formet, & fontes inuentionis ostendat, ipsi utraq; hac uirtute penitus destituebantur: Ad iudicandum enim magis inepti erant, quàm uel ulli idiotæ, inuentionis autem ne nomen quidem norant. Inanibus tantùm rixis inter se certabant. Socrates ne an Plato curreret, ita miserè tota illis uita labore inani sine fructu consumebatur. Ut taceam, quòd ex ore reuerendæ memoriæ Doctoris Martini Lutheri ( qui in doctrina Aristotelica, ut quisquam alius peruolutatus erat, ) audiui, multa esse in Organo quæ parum utilitatis haberent, quòd utrum ita sit, in præsentia non disputo: De argutijs & spinis tam Organi quàm commentariorum loquor.

Iam ex his tenebris & difficultatibus, pro se quisq; perpendat, quàm operosum & difficile fuerit Reuerendo Domino Præceptori artem hanc eruere, atque in hanc lucem, in qua nunc beneficio Dei eminet, proferre, quare nisi ingratißimi sumus, quo crimine nullum grauius est, iuxta Mëmographi dictum: Ingratum dicens crimen omne dixeris, fateri nos oportet. Quòd si nullo alio beneficio nos & doctrinarum omnium studia affecisset Reuerendus Pater & Præceptor, quæ quòd uel unam hanc disciplinam, Dialecticam dico, cæterarum omnium ut administricem, ita & gubernatricem in tam luculentum, discantibus commo- dum, & obuium compendium, atq; in unum quasi corpus nobis contulit, & hanc lucem huic reginæ

ac gubernatrici disciplinae praebuit, quae ante in tenebris, ut dixi, plusquam Tartareis, Deum immortalem, quam alta & obscura sedebat. Si nullo inquam alio beneficio nos praceptor affecisset, tamen uel ob hoc unum beneficium ei non posset pro merito gratiam referre tota in aeternum posteritas. Et quae lux in reliquis doctrinis praecipue in sacra uel secuta sit, uel similiter eluxerit, uidentur & agnouerunt omnes pii ac boni. Haec igitur beneficia diuina agnoscere, hisque gratis animis reuerenter frui debemus, ita tamen, ut etiam (quod proprium est Gratitude officium) autoris tantorum beneficiorum primum Dei opti Max: Patris Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi, Deinde & ab eo fabricati Organi, Praeceptoris nostri memoriam, ea qua pios & gratos discipulos decet reuerentia, pietate, & beneuolentia, colamus.

Agnoscent haec multi alij in locis uiri docti & boni, proque hoc beneficio, quod Aristotelici pelagi fluctibus crepti sunt, Deo gratias agunt & fruuntur hoc beneficio diuino ea, qua bonos ac pios decet, pietate atque gratitudine.

Sed sunt & alij, qui ne quidem, si rumpantur, ista negare possunt, fruuntur & ipsi his donis ac beneficijs, sed armis iisdem, quibus ab eo instructi sunt, contra autorem hostiliter utuntur, sicut ipse uiuus, subinde dicere solebat, quod olim misera dicebat

cebat Aquila, cum sagitta confixa esset, Agnosco  
pennas meas in uulnere meo.

His quid nos precemur aliud, quam quod ho-  
mines Christianos, si modò ij esse, qui dicimur, uo-  
lumus, decet, & oportet, Nempe, ut Deus eos cle-  
menter conuertat, dona Dei ut agnoscant, & ut  
ijs unà nobiscum animo grato, piè ac reuerenter  
utantur, & horum donorum fontem atque auto-  
rem, Deum unà nobiscum in sancto & pio con-  
sensu doctrinæ colant ac cōfiteantur in æternum,  
in Christo & per Christum æternum æterni Dei  
filium. Hoc & ego illis opto & precor à Deo per  
Christum, Amen.

Absolui iam, optimi auditores, primam partem  
propositionis meæ quantum in hac animi mei per-  
turbatione, & temporis huius angustia fieri po-  
tuit, promisi enim me dicturum de libri huius,  
quem prælegere debeo, utilitate, & autoris erga  
nos beneficijs. Nunc restat, ut & de materia libri,  
hoc est, de eo quod agimus, nempe de Dialectica  
aliquid, dicamus.

Dialectica non tantum commune ceterarum  
disciplinarum omnium Organon est, Quæq; cæ-  
teras artes suis Methodis includit, & ut artes sint  
facit, sicut de ea Cicero dicit, sed est omnino illa  
communis nature & mentis humanæ uis, de ser-  
mone & rebus rectum uerumq; iudicium institu-  
ens, & inter se conuenientia iungens, ac pugnan-  
tia separans, qua mens humana, si sana est & sa-

pit, ceu duce & Magistra ac gubernatrice utitur in dimoscenda de rebus omnibus ueritate, & refutanda falsitate.

Hæc iudicium informat, & ordinem instituit, quo iudicio & ordine omnes sana mente præditi homines, cogitationes, consilia & actiones omnes gubernant, Hæc illis in cogitando Dux, in delibendo norma est, quam in decernendo & statuendo sequantur.

Hæc duce qui destituuntur, non mirum est, si monstrosas, & ab humano sensu longè abhorrentes cogitationes habent, si  $\pi\acute{\epsilon}\nu\alpha\lambda\omicron\gamma\alpha$ , hoc est, à ratione & sensu humano deerrantia suscipiunt, mouent, & moliantur. His aliud, quæ cerebrum sanum, quod precemur, non habemus.

Causas effectrices Dialecticas, ut & cæterarum disciplinarum fecerunt tres: Nempe, ingenium uel naturam, id est, donum Dei. Deinde doctrinam seu institutionem, ea ut dux ita & imitatrix est naturæ. Ex iudicio enim optimorum & præstantissimorum ingeniorum, omnes artes nate sunt, ut uerè dixerit Plato: Artes domi nostræ nate esse, In ingenijs uerò Deus hanc lucem accendit & ea excitat, etsi ut uerbi sui, ita & multarum artium humano generi Deum ipsum doctorem ac monstratorem fuisse credo, Quod & Aratus confessus est, cuius uersus subijcio.

Plurima mortales fugiunt incognita mentes,  
Quæ Deus æternus nondum patefecit in arte.

Hoc

Hoc duce mox eadem manifesta in luce patebunt,  
 Quæ nunc sub densa caliginemersa premuntur.  
 Hic genus humanum, magno complexus amore,  
 Vndiq; conspicuum sese dedit, atq; per omnes  
 Naturæ partes ostendit plurima signa.

Sed hunc ordinem tamen Deus instituit & conseruatum uult, nempe ut ingenia institutione ac doctrina excolantur & excitentur, hoc cum fit, tunc ipse dat incrementum. Accedit deinde quæ inter causas effectrices tertio loco recensetur, usus & exercitatio, ea si non ἀλογος τριβὴ est, sed à doctrina regitur, in agendo recludit efficit. Ingenium itaq; à Deo petendum est, & id quod contigit, doctrina, cultu, studio ac meditatione excolendum, & exercitatione confirmandum. Ad communem uitæ institutionem ista pertinent. Nos qui in schola uersamur, & discipulorum studijs inseruimus, ad ea quæ artis & doctrinæ sunt in præsentia nos conferemus.

Ars ipsa autem, meo iudicio propius aut melius describi non potest, quàm apud Ciceronem in Bruto descripta est. Quem totum locum, quia ualdè illustris est, ponere hic libuit. Sunt autem hæc uerba. Sic enim Brute existimo iuris Ciuilis magnum usum & apud Scaeuolam & apud multos fuisse, Artem in hoc uno, quòd nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artē, quæ doceret rem uniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram

explanare interpretando. Ambigua primum uidere, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera & falsa iudicarentur, & quibus propositis quæ essent, quæ non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confuse ab alijs aut respondebantur aut agebantur, Dialecticam mihi uideris dicere, inquit, Rectè inquam intelligis. Hactenus Cicero, qui quantum huic arti tribuat uidetis, erunt autem nobis ista inter prælegendum sepè iteranda ac inculcanda, quare his nunc non immorabor, ad illud tempus ea reserua-  
bimus. De ordine quo hæc ars traditur, pauca quædam adiiciam, ut facilius discentes eideòp, & formam quandam illius animo atque cogitatione concipere possint.

In parte aliqua huius artis discenda puero mihi Dauentrie obtigit Præceptor uir Doctiss: & opt: Senex Bartolemeus Coloniensis. Ille hoc unice studebat, ut ad similitudinem Grammatices, quæ nobis iam notior erat, Dialecticæ tractationem conformaret. Et ex duabus his artibus, quantum fieri posset, quasi unam efficere. Quòd utrum rectè fieri debeat, aut possit, in presentia non disputabo, nos tunc, ut pueri, cum quasi ad nota deduceremur, adplaudebamus. Sed utar tamen exemplo et similitudine petita ex Grammatica. Ut enim primæ ætati, quæ ad Grammaticam discendam adhibetur, proponuntur primum Elementa prima  
singulæ

singula ac simplices literæ, earum figuræ & potestates prius, mox & ordo & cognationes pueris inculcantur. Ex literis deinde docentur necesse Syllabas, Ex Syllabis dictiones, & porro ex his orationem. Quæ si pura, perspicua & certa est, ambiguitate omni exclusa, & sensum mentis quàm proximè atque exactissimè exprimit, tunc ea, quòd ad Grammaticam rationem attinet, optima esse iudicatur, & huc usque procedit Grammatica. Vtrum mens in iudicando uel pronunciando de re ipsa à ueritate aut ratione recta deerauerit, non curat, sed tradit sermonem à se iam fabrefactum sorori suæ Dialecticæ examinandum, retexendū & reformandum. illa eodem modo sermonem à Grammatica acceptum, ut censuræ suæ ceu Lydio lapidi rectè subijcere possit, rursus in minutas partes, hoc est, in simplices uoces resoluit, Ab his exemplo sororis Grammaticæ incipiens, earum naturam, uim, potestatem, cognationes, discrimina, atque dissidia quàm exactissimè inquirit atque excutit, id fit per prædicabilia & prædicamenta, quæ ostendunt ordinem & potestatem simplicium uocum. Prædicamenta diuersos omnium rerum & uocum ordines tradunt, Prædicabilia eiusdem ordinis seu familiæ uoces rursus distribuunt, & ostendunt quæ latius, quæ minus latè patent, hoc est, quæ plura quæ pauciora significant, quæq; inter se necessario, quæ non necessaria lege coherent. iam uoces simplices atq;



adeo res per illas significatas, ita certo ordine distributas & examinatas, rursus alteri censurae subijcit Dialectica. Eius censura gubernatrix est definitio. Illa nouam lucem his addit, & si opus est, ad sororem suam diuisionem eas transmittit, ubi si quae latius patent distribuuntur, atque haec quasi  $\pi\rho\omicron\pi\delta\alpha\sigma\kappa\upsilon\alpha\sigma\iota\kappa\eta$  preparatas uoces, deducit Dialectica ad Methodum, priusquam ex his sermonem connectat. Methodus autem campus & quasi palestra est, in qua definitiones & diuisiones exercentur. Per metas & spacia huius campi ordine certo ducuntur uoces, ut num quid adhuc in his inexcussum sit adpareat. Et haec nobis primi libri materies ac quasi farrago erit. Ab hac simplicium uocum censura & explicatione progressa Dialectica, tunc primum inter se connectere uocabula docet, & extruit propositiones, in quibus partium connexio & genus praedicationis, ut dicitur, accuratè obseruandum est. Nam partes in affirmatiuis cognatas esse oportet, neque satis est scire, sed & quo gradu cogitationis inter se contingant, excutiendum est: In negatiuis contra inter se disidere aut pugnare. Non enim idem est si dicam, Asinus non est equus, & uis contra leges non est iusticia. Haec pugnant, illa disident: Ita singulae orationes seu propositiones per se primum excutiuntur, mox inter se & conferuntur, finguntur ac refinguntur, quae nostrae operae erunt in secunda parte huius libri,

sed

sed nondum integræ orationis corpus habemus, uerùm exquisitam tantum partium censuram atq; explicationem, ex quibus ut in  $\sigma\omega\theta\epsilon\sigma$  ei fit, primum maiora membra, tandem integrum corpus extruitur. Progreditur igitur Dialectica ab his membris minoribus ordine ad maiora, & quasi ab exiguis fontibus aperit & diffundit sese in amplissimum flumen, Congregat inter se, & quasi ad colloquium conuocat plures propositiones, sed non ita ut illæ temerè concurrant, is enim ebriorum aut mente deerrantium sermo est, uerùm certo loco, numero, ordine & lege eas conuenire oportet, ut inde extruatur legitima argumentatio, cuius quæ species, quæ uis, quæq; leges sint, suo loco, nempe in tertia parte huius libri explicandum ueniet. Et tunc nobis altera pars Dialectices, nempe ea quæ  $\kappa\rho\iota\lambda\acute{\iota}\kappa\eta$  uocatur absoluta erit.

Sed restat adhuc illa pars, quæ argumentorum materiam, uim & neruos suppeditat, nempe  $\epsilon\upsilon\pi\epsilon\alpha\lambda\acute{\iota}\alpha$  siue inuentrix, ea fontes ostendit, ex quibus materia argumentorum hauritur, atque hæc iucundissima est consideratio, uidere ex qua parte propositionum sumta sit probatio, & qua lege, gradu, & ordine cum ea parte cognata sit in affirmatiuis, & contra quomodo dissideat uel pugnet in negatiuis. Hic nobis sæpè respectandum erit ad fontes, hoc est, ad  $\alpha\nu\acute{\alpha}\lambda\upsilon\sigma\iota\pi$ , & ea quæ libro primo, secundo & tertio tradita sunt. Est

uerò inueniendi ratio & locorum doctrina exactè explicata in quarto libro, cum ea tractatione tamen non pigebit conferre Topica Ciceronis, & eruditissimum librum Rodolphi Agricolæ de inuentione Dialectica. In fine autem huius operis falsorum argumentorum refutatio docetur, ea est quasi exercitatio quædam, qua ostenditur, qui sit præcedentium Præceptorum usus, in iudicando pariter & inueniendo.

Habetis iam, optimi auditores, hac breui commemoratione expressam, & quasi oculis subiectam totius huius utilissimæ artis atque omnium ceterarum artium parentis, exiguam quandam formam, εἰδὲξαι siue eidyllion, quales formæ parua edificiorum proponi solent, ex quibus tamen ut eunq; iudicari potest, qualis ipsa futura sit structura. Iam uestrum erit officium, si studijs uestris, imò si saluti consultum cupitis, hanc artem primùm ut ametis, eius præcepta & leges seriò atque exactè discatis, & eam ducem ac gubernatricem uobis non tantùm in studijs uestris & in omni genere doctrinæ deligatis, commune enim hæc omnium disciplinarum ὄργανον est, sed ut & in cogitationibus, consilijs & actionibus omnibus, per totam uitam sit hæc uobis regula & canon iudicandi, pronunciandi, statuendi & decernendi de rebus omnibus. Nulla enim magistra & gubernatrix melior est ut studiorum doctrinæ, ita sensuum & cogitationum omnium. Deinde Deum  
unà

unà mecum toto pectore orate, ut ille clementer  
 mihi docenti & uobis discentibus adsit, ut labor  
 meus & uester sit honori Deo, & Christo Re-  
 demptori nostro, salutaris Ecclesiæ, Reipublicæ,  
 quàm plurimis hominibus & nobis ipsis.

Quòd ut fiat, faciat Dominus noster  
 Iesus Christus. Amen.

DIXI.

PRAEFATIO IN LE-  
 CTIONEM CHRONICORVM  
 pronunciata à Casparo Peucero Artis  
 Medicæ Doctore.

SÆpe audiuiſtis optimi auditores, in ſcriptore  
 ſiſtorico quocunq; requiri *σώεσις πολι-  
 κῶν & δώαμις ἐπιλωτικῶν*, quæ duo multa  
 complectuntur, ut iudicio ſit præditus exacto, ut  
 prudenti ac ſolerti obſervatione conſideret, ac  
 diſcernat momenta, occaſiones, cauſas, & uniuer-  
 ſim *περιείσοει* omnes rerum & negociorum, ut  
 loca perueſtigarit rerum geſtarum, atque explo-  
 rata habeat tempora, ut perſonarum naturas, in-  
 genia, & mores æſtimare, & ex ijs alia, quæ ex-  
 preſſa non ſunt, argute ac dextre coniectari no-  
 rit, regaturq; non affectuum impetu, ſed recti,  
 conſtantisq; iudicij norma, ac deligat inſignia &  
 neceſſaria, prætereat obſcura, quæ ut aliqua no-

tatione celebrentur, digna non sunt. Deinde ut cognitas res atq; animo conceptas exponere possit significanter, perspicue, disertè, orationes rebus accommodata. Polybius his addit ut totam omnium temporum historiam animo comprehensam & uelut ante oculos, & in conspectu habeat, ut fiat historia *συναρτοειδής*, integro perfectoque corpori similis. Eos, qui partes tantum ex historijs decerpunt, ait similes esse *ὄνειδος*, id est, somniantibus, nec magis statuere & pronunciarè de rebus posse, quàm de elegantia & pulchritudine, uel perfectione corporis alicuius pronunciant, qui discretas ac dispersas partes seorsim contemplantur, fabrica integri corporis, & compositione nunquam uisa.

His omnibus scitis excelluisse patrem & præceptorem nostrum carissimum Philippum Melanthonem piæ & sanctæ memoriæ, cui uitam eo usque Deus uitam prorogasset, donec incoactam à mundi exordio Chronicorum seriem, & ad Caroli Magni res gestas perductam feliciter, per texuisset. Res loquitur scriptorum idem testimonio conuincente, qui conferatur ei copia & uarietate doctrinæ, cognitione propè exacta historiæ omnium temporum, exquisiti iudicij rectitudine & grauitate, orationis disertæ atque explicatæ facilitate, uix repiriri, ut taceam de cæteris uirtutibus, quibus eminuit, & nobis præluxit.

De Platone Aristotelem dixisse memorant.

Nulla ferent talem secula futura uirum.

Hoc uertus de nostro dicere Præceptore possumus, cuius utinam cogitationes & scripta, quæ ardentis pietatis diuinæ, lucis ac sapientiæ, solidæ eruditionis, moderationis eximie, summæ perspicuitatis, & consolationum efficacissimarum plena esse, tot annis nostra cdocti experientia didicimus: Utinam illa inquam, legere nobis plura diutius & frui uerè cygneæ uocis uiuo ac gratissimo concentu licuisset. Platoni sunt: μακάριοι δι' ξωητικοί τῶν ἐκ τοῦ σωφρονουῦντος σώματα ἰόντων λόγων. Quantò nos fuimus beatiores, dum compellantem nos & docentem uoce præceptoris nostri Filium Dei, audire concessum fuit. Sed emigravit ex hac fragili & caduca uita ille in æternam, postquam certamen decertauit bonum, cursum suum percgit, fidem seruauit, ornandus corona iusticiæ, quæ illi in cælo reposita est. Et singulari consilio, ac misericordia Deus hunc ministrum & σωτηριον in terris suum crudelium odiorum impetitionibus, & iniustarum calumniarum iniquissimis insectationibus, & commotarum turbarum quasi fluctibus, deniq; ingrauescentium in dies singulos operarum, laborum, ærumnarum ac sollicitudinum onerari, quæ omnia incredibili, ac inimitabili tolerantia sustinuit, his ergo subtractum DEVS transtulit in cælestem sedem, ubi in sinu Abrahe, in  
letistæ

letissimo complexu Filij DEI Domini nostri Ie-  
 su Christi, quem in hac uita ardentem coluit, con-  
 stanter confessus est, cuius nomen, gloriam, me-  
 rita, ac beneficia studio omni ac contentione il-  
 lustrauit, ad quem, hoc ipso duce preces ipsius  
 & uota prestante, spe, fiducia, ac leticia ple-  
 nus, hoc carcere corporis solutus, commigravit.  
 In huius (inquam) ubi complexu sine omni dubio,  
 à curarum omnium impeditioe liber, pro per-  
 pessus ærumnis æterna fruitur leticia, pro exhau-  
 stis odijs perfunditur flagrantissimo sensu amoris  
 diuini: pro Sophistarum intricatis prestigijs,  
 quibus extricandis & refutandis occupatus fuit,  
 colloquitur cum FILIO DEI, & beatis, de  
 admirando consilio diuinitatis patefacto in mis-  
 sione FILII, & de admirando opificio nature,  
 quæ colloquia toties & tanto cum desiderio expe-  
 tiuit, denique ubi pro conuiciorum, & calum-  
 niarum debacchationibus, quæ nobis obstrepunt,  
 audit dulcissimum ἀκρόαμα decantante illud  
 choro Ecclesie celestis, de quo prædixit Daniel  
 Propheta. Qui docti fuerint fulgebunt quasi  
 splendor firmamenti, & qui ad iusticiam erudiunt  
 multos quasi stellæ in perpetua æternitate: quan-  
 quam & inter nos bonos omnes improbitatem  
 & uirulentiam calumniarum, quibus hætenus  
 immeritò laceratum uidimus, nunc magis detesta-  
 tuos, etsi quæ ex harum aspersioe nomini eius  
 adhererunt maculæ, eas gratam memoriam illu-  
 strum

strium meritorum protritutam atq; obruituram confido, ἤμεσός γε καὶ πονηροῖς οὐ τῆ ἐώσμεται λόγοις. Neque ipsos credo hostes tam immanes futuros, ut quem patientissimè omnia tolerantem ferre in uiuis non potuerunt, ei beatam quietem post mortem inuideant. Sed ad nostra redeo. Amisit ergo Academia Rectorem suum, de quo sapientum iudicia fuerunt, ibi futuram fuisse scholam, ubicunque is substitisset, sicut de Scipione iudicatum scribitur, Imperium ibi fuisse futurum, ubi Scipio aut natus esset, aut rerum suarum collocasset sedem. Et amisit eum tali tempore, quo exposita iniurijs plurimis, uelut nauis in medijs tempestatum fluctibus, calumniarum procellis exagitur & concutitur.

Etsi autem nos remiges reliqui nec proiectis remis stationem deseremus nostram, nec deposita gubernationis cura Academiam, quantum ad nos, conuelli sinemus, ac disijci illorum inuasionibus, à quibus petitur, tamen nostræ nobis imbecillitatis conscijs, quàm simus huic nostro Rectori dissimiles, quàm impares tantæ moli gubernationis, intelligimus. Distribuimus operas morte interruptas, ut quod humeris ipsius incubuit onus, quodq; Atlanteo robore sustinuit solus, subeamus ac præstemus multi, collatis ac coniunctis operis & consilij ad fulciendam scholam, ne quæ ipsi innixa, suffultu ipsius constitit, ac floruit, ipso amoto fathiscat ac corruat, Sed uix magno con-

natu,



natu, & non nisi DEO iuuante assequemur, quod solus ipse nauit atque effecit. Non deerimus tamen fide, diligentia atque imploratione auxilij diuini, uel gloriæ Dei ac ueritati, uel communi utilitati, uel officio nostro, uel saluti ac studijs uestris. Idcirco ne in hac perturbatione publica desponderetis animos, & de studijs desperaretis, maturè operas ab ipso relictas persequi atque uergerè decreuimus, daturi operam, ut fide, diligentia, atque assiduitate sarciamus, quæ ingenijs usû rerum, copia & uarietate doctrinæ consequi nequimus. Confidimus DEVM uel uotis ipsius ac precibus postremis ac perpetuis, quibus scholam & Ecclesiam hanc Deo commendauit, tributurum, ut labores nostri ipso benedicente ac dirigente ornent gloriam Christi, utiliter seruiant Ecclesie, & profint plurimis.

Cessit autem ex ea partitione decreto & mandato senatus Academiæ mihi pars operarum penè difficilima, cura scilicet pertexendi seriem historiarum in Chronicis, quæ reliqua est, cuius rei cum magnitudinem mecum perpendo, & meo meo pede metiens ad illa uires meas comparo atq; ex animo, à quibus uel annalium notatorem instructum esse oportere supra ostendi, & uos omnes præceptorem & patrem meum carissimum paratissimum fuisse scitis, uideo me onus multò maius uiribus meis subiisse. Accedunt ad difficultatem pericula, quæ tantò obijcientur maiora, quanto  
tracta-

tractatio nostra tempora propius attigerit, ut nihil dicam de rerum obscuritate, & scriptorum negligentia, qua factum, ut de precipuis & maximis rebus penè nihil nisi coniecturis explicari possit. Etsi igitur maluissem non suscipere operam hanc, quam coeptam postea cum meo dedecore & damno scholæ publico de manibus deponere: Tamen ne uiderer defugiendo aut recusando partem publicorum laborum meæ uoluisse consulere tranquillitati & ignauia, experiri decreui, quid in hoc genere possim præstare, & confido, uos omnes quibus fidem meam & studium probare cupio, hoc inseruiendi uestris commodis qualescunq; studium meum in optimam partem candidè interpretaturos esse.

Incoatam esse meministis tertiam partem Chronicorum à mentione translatis à Græcis imperij ad Reges Francorum, cui mutationi occasionem præbuit, seu ignauia Græcorum Principum, seu Exarchorum Tyrannis, seu uiciorum regum imperij sedem appetentium machinationes, seu ut potius reor, ambitio & auaricia Romanorum Pontificum, inhiantium ijs, quæ de Imperio Romano post eiectos Gothos nondum à Longobardis occupata erant. Superbiam fuisse, & antecelendi, ac dominandi cupiditatem infinitam in Pontificibus Romanis, inde usque ab ijs temporibus, quibus eorum autoritas aliqua esse coepit, Imperatoribus ad fidem Christi conuersis, & horum  
ambia

ambitione & astu ex lacerationibus ac ruinis partim Ecclesiarum Orientalium, partim Imperij Romani raptam potentiam, paulatim creuisse magis magisque, ipsis primo Principatum inter Episcopos, & in uniuersas orbis Christiani Ecclesias dominium sibi arrogantibus, mox & Imperia ac regna suae potentiae subijcientibus, & sese ex ruderibus lacerati ac distracti Imperij instruentibus atque armantibus, historiae docent. Cum enim in Nicena Synodo decretum esset, ut Alexandrinus Ecclesiarum in Aphrica, Antiochenus Asiaticarum, Romanus Occidentalium inspectores esset atque gubernator, & adiunctis his esset Hierosolymitanus, qui Palestinae praesideret, Tandem uero Constantini decreto accessisset ad hos & Byzantinus: His ergo ita constitutis mox Romanus turbata equalitate remedium deduxit, ut nihil, quod à ceteris deliberatum esset & sanctum, ratum habere uellet, nisi ab ipso esset praecipue approbatum, & paulò post motis ab Arrio certaminibus de Filio DEI, & orientalibus Ecclesijs hac contentione conuulsis, ac distractis, hanc autoritatem ex illis disidijs auxit atque confirmauit, donec tandem Mahometico furore Orientalibus oppressis, ac penè extinctis, Bizantino soli de principatu litem mouere coepit, quam assensiente & suffragante imperatore Phoca obtinuit. Ita incitati Romani Episcopi ruentium in Asia atque Aphrica Ecclesiarum interitu, & fiducia

ducia elati autoritatis acquisita, speq; huius con-  
 firmandæ & potentie amplificandæ, de transfe-  
 rendo ad sese dominio in omnes orbis Christiani  
 Ecclesias, & hoc in suos usus conuertendo, exem-  
 plo ueteris formæ Romani Imperij cogitare, idq;  
 ut consequerentur, nihil non moliri atq; experiri  
 cœperunt. Adeptum tandem dominium & raptam  
 cum hoc potestatem imperandi cæteris, & que-  
 uis pro arbitrio statuendi sancienti q; contulerunt  
 eò, ut ministerium Euangelij in Monarchiam po-  
 liticam distinctam ab Imperatoris potentia com-  
 mutarent, & sapienter ac piè constitutum, distri-  
 butumq; conuenienter, & ad conseruationem pu-  
 ritatis doctrinæ & gubernationem disciplina se-  
 uerioris directum pulcherrimum ordinem primæ  
 Ecclesiæ, huic sue Monarchiæ stabiliendæ, tuen-  
 dæq; accommodarent. Constituerunt ergo quasi  
 Monarcham orbis Christiani Romanum pontifi-  
 cem, frustra reclamantibus, & refragantibus cæ-  
 teris Episcopis, & Romanum iniuste hoc ius, &  
 hanc potestatem usurpare contendentibus. Subie-  
 cerunt autem huic Ecclesias aliarum gentium or-  
 bis Christiani, distributas uelut in ἑπαρχίας seu  
 prouincias, & religione Iurisiurandi eidem obli-  
 garunt ad fidem & obedientiam. Proximi fue-  
 runt pontifici uocati Patriarchæ, qui ut hodie  
 apud Turcos Bellerbeij, uices gesserunt absentis  
 pontificis extra Europam in reliquis orbis terra-  
 rum partibus, Asia atq; Europa.

Aphricanus Alexandriae, Lybicas & Ægyptias procurauit, uocatus διοικητικὸς κριτής. Antiochenus Asiaticas, quantum scilicet de his reliquum fuit sub Mahometici regni iugo. Bizantinus Ionicas, & reliquas Asiæ littoralis. Hierosolymitanus Phœnicias & Palestineas: eodem modo, quo Europeas is, qui se supremum pontificem constituebat, sicut ad Turcas prouincias in Europa administrat Bellerbeus Europeanus, in Asia Asiaticus, in Africa Ægyptius, quem post destructum Sultanorum regnum Selymus collocauit in urbe Memphi. In harum partium prouincias collocarunt μητροπολίτας, quos Archiepiscopos uocarunt, ut Romani olim proconsules, aut prouinciarum duces, uel comites, Persæ Satrapas, Turcæ Bassas. Quorum si plures requireret prouincie amplitudo, unum eorum ἑξάρχου esse & primatem, alium quempiam legati munere fungi uoluerunt, qui ceu quæstor adesset proconsuli in prouincia. Metropolitibus suberant Episcopi, ut hodie in regno Turcico Bassis parent Sansachi. Horum διοικήσεις ad certas prouinciarum regiones astrictæ & particularium distincta tractuum limitibus, comprehendebat impositos his χωρεπισκόπους, Presbyteros, Archidiaconos, Diaconos, ὑποδιακόνους, ἀναγνώσας, ψαλτάς, ἐπορκισάς, θυρώρους, ὑπερέτας & totam reliquam ἰδραὺκλὴν τάξιν, constitutam ad hoc, ut administraret, τὰς παροικίας. Sed has ex primæ Ecclesie

Ecclesie constitutione appellationes solas retinuerunt, officijs ipsis & ministerijs in abusum conuersis.

Omnibus his addiderunt tandem numerosa agmina Monachorum & sacrificulorum, quasi exercitus quosdam comparatos ad custodiendas, inq; officio continendas prouincias, & ad eas leges in singulos exequendas, quæ autoritate Pontificum late erant. Summo Pontifici senatum Cardinalium certa officiorum distinctione, Episcopis collegia Canoniorum adiunxerunt, ex quibus legerentur successores. Et hanc ut tuerentur maiestatem, terruerunt Principes fulmine anathematis, & munerunt sese opibus ac potentia, pertractis ad se, aut fraude uel prætextu quocunq; occupatis prouincijs. Deniq; eò progressi sunt audacia & impudentia, ut fingere non sint ueriti, concessionibus imperatorum sese usurpare potestatem, quam exercent, contra omnium historiarum annotata, & diuina constitutione pontificum maiestatem complecti regna mundi & potestatem habere eripiendi imperia Monarchis, & tradendi eadem alijs pro arbitrio, contra expressas & euidentes prohibitiones diuinas.

Hinc natae disputationes & de potestate pontificum, non solum in Ecclesias, sed & imperia mundi, & de iure dominij politici, quod prætextu fictarum donationum iactitant, quæ & totum commouerunt orbem Christianum, & toties tur-

batam Germaniam concusserunt atque afflixerunt, commissis inter se Principibus, ut frangi potentiam, & labefactari tandem auctoritatem necesse fuerit. Testantur id historiae belli Henricorum, tristis seruitus Imperatorum Sueuicorum, Ludouici Bauarici certamina. Contentiones de primatu pepererunt stultæ & ambitiosæ κακοζυγία potentie politicæ, quod uel errore & ignorantia discriminis inter ministerium Euangelicum & potestatem politicam, uel ambitiosa malicia finxerunt oportere talem in Ecclesia Monarcham esse, qualis esset in imperio, & eundem oportere esse instructum potentia atque auctoritate tali, qualis illius esset, & eodem consistere hunc loco oportere, quo ille, & quocumque is transulisset imperij sedem, eodem alterius sedem hac ipsa translatione trahi atque collocari. Victor Papa primus circa annum nati Saluatoris ducentimum Ecclesijs Orientalibus nouas ferre leges, & has si recusarent, mimitari anathemata ausus fuit. Huic acriter restitit Irenæus Episcopus Lugdunensis auditor Polycarpi, qui Iohannis Euangelistæ discipulus fuerat. Postea Synodus Nicena auctoritate & dignitatibus exæquauit Alexandrinum, Antiochenum & Romanum, & singulis certarum Ecclesiarum inspectionem commendauit.

Hæc æqualitas conseruata est usq; ad tempora Mauricij & Phocæ Imperatorum, quibus quidam

dam Iohannes Patriarcha Constantinopolitanus ex uita monastica simulatae humilitatis commendatione euectus ad Episcopatum, non contentus suo loco & munere, se  $\text{ὁμολογητὴς}$  dici, & ceteris superior esse uoluit. Huic cum se opposerent Pelagius & Gregorius Magnus, assensit tamen Mauricius Imperator, prestigijs eius persuasus, &  $\text{ὁμολογητὴς}$  eum declarauit. Cui renunciationi cum reclamarent Pelagius II. & Gregorius Magnus, Phocas, qui Mauricium interfecit, metuens defectionem Italiae ab Imperatoribus Graecis, titulum hunc Gregorio detulit, etsi is eum non agnouit. Eundem titulum eodem tempore simili iuris praetextu sibi uendicauit Episcopus Rauennas, eo quod grassantibus in Italia Gotthis, & Roma à Gotthis capta ac uastata, Valentinianus Iunior Imperij sedem fecerat Rauennam, quam & misit à Graecis Imperatoribus Exarchi ad Italiae defensionem contra Gotthos & Longobardos munerunt. Sed hoc oppresso mox idem certamen post Gregorij mortem sub Bonifacio III. circa annum Christi 607. recruidit & uehementius exarsit, inter Romanum & Constantinopolitanum, cum quidem causam cognoscen- te & disceptante Phoca decretum factum est, ut titulum  $\text{ὁμολογητὴς}$  usurparet Romanus Episcopus.

Hoc freti decreto Pontifices Romani, paulatim augere magis magisque potentiam suam coe-



perunt, usi occasionibus, quas irruptiones Gothicae ac Longobardicae, ac Italiae dilacerationes pepererunt. Nam cum missus in Italiam ab Imperatore Constantinopolitano Theodoricus Gothorum Rex ad expellendum Odoacrum non auderet invadere Romam, quam Odoacer tenebat, sed subsisteret Ravennae, & Roma subinde dominos mutaret, alij alios excutientibus, Romani pontifices hac occasione paulatim sibi adiunxerunt & devinxerunt civium animos, pertæsos tam crebrarum & periculosarum mutationum, quos fractos calamitatibus respicere ad ipsos, & ex ipsorum consilijs pendere animadvertentibus. Ita factum, ut cum autoritas Pontificum inualuisset, post devictos, domitos & oppressos ope Longobardorum Gothos, Romani consilio & hortatu adductu Pontificum neque Exarchis parerent, neque Longobardos admitterent, sed utrisque uterentur ut socijs. Sed cum vexarentur ab utrisque, & Longobardi exarchis tandem ejectis occuparent quae ipsi possederant, & appeterent regnum Italiae ac dominium urbis Romae, tandem Pontifices metuentes potentiam et nimias ac machinationes Longobardorum, & cupientes, quae his occasionibus sua fecissent, non munire tantum, sed pluribus adiectis augere, attraxerunt Francos contra Longobardos. Primò ergo Pipinus rogatu pontificis Hadriani & Romanorum ingressus in Italiam, pacem fecit inter Pontificem & Astulphum Regem

Longo-

Longobardorum, quem coëgit Romanis cedere de  
ijs, quæ Exarchis eripuerat, quod hoc potissimum  
consilio factum existimo, ut essent munitiores atq;  
confirmatiores aduersus imminentem & infestam  
ipsis Longobardorum potentiam.

Postea cum Desiderius ultimus Longobardo-  
rum Rex non desineret bello laceffere & preme-  
re Romanos, Carolus Magnus idem primò fecit  
quod pater, & Urbem Romam ingressus, patrici-  
orum numero à Pontifice Stephano ascriptus est,  
sed cum uiolatis fœderibus repararet bellum De-  
siderius nec quiesceret, reuersus Carolus secundo,  
hunc acie uictum & captum abduxit. Eoq; Leo-  
dium relegato in exilium, in quo mortuus est, ex-  
archatum Pontifici restituit. Tum primùm Ponti-  
fices, qui res Ecclesiasticas antè procurarunt so-  
las cœperunt cum Ecclesie administratione ali-  
quam politicæ gubernationis partem coniungere.  
Sed iuris in urbem Romam & Imperium Roma-  
num nec habuerunt quidquam, nec sibi uendicau-  
erunt, nec uel transtulerunt, uel transferre in Ca-  
rolum potuerunt, cum Græcorum Imperatorum  
legati molitionibus pontificum aduersarentur, &  
conarentur prohibere, ne in Italiam Francica au-  
xilia pertraherentur.

Verùm cum Græcus Imperator Constantinus  
agente id matre Irena, ex transactione Carolo  
cessisset Imperium Occidentis, & Nicephorus  
Imperator post Irenen sublatam eadem pacta atq;

conuenta renouasset, tum demum Carolus diadema ornatu à Pontifice factus est dominus, & Urbis Romæ, & Italiae, & titulum Imperatoris usurpauit, non ex Pontificis seu renunciatione, seu diadematis impositione, sed iure belli & transactionis. Quos bello defenderat ac seruauit rogatu Pontificis, ab ijs spontanea deditioe ac subiectione susceptus, dominium eorum obtinuit iure belli, idq; confirmauit concessio ac consensus Imperatoris Græci, qui cum antea uerè dominus fuisset, iuri suo renunciauit, idq; liberè in Carolum transtulit, cum quidem retrahere ad sese amissa et recuperare desperaret, quòd se imparem potentiae Francicae esse intelligeret. Hæc cum ex historijs manifesta sint, commentitia esse, & falsa quæ Pontificiae potestati excusandæ uel pingendæ potius prætexuntur, non est dubium.

Quæ de Constantini donatione finguntur, impudentiora sunt, quàm ut refutationem mereantur, cum multos post Constantinum Imperatores, & horum duces atque exarchos Romam tenuisse constet, nec dominiij Pontificum ulla uspiam fiat mentio.

Primatum inter Episcopos tuentur sola Phœciae Imperatoris concessione, quem & Nicæna Synodus expresso decreto prohibuit, & multi ex Episcopis Romanis ante Bonifacium recusarunt, quod fas non esse faterentur, ut se quisquam Ecclesiarum caput & principem constitueret. Nec

Græcæ

Græcæ Ecclesiæ unquam agnouerunt Episcopum Romanum tanquam *ὁικουμενικόν*, nisi illis 58. annis, quo Galli occupato Byzantio Græcum imperium gubernarunt, à Comnenis sublatis usq; ad Michaëlem Paleologum.

Commenta de donationibus Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, deq; collato in Pontifices imperio urbis Romæ & Italiæ, similiter historiarum consensu redarguuntur. Constat enim Lotharium Ludouici Pij filium novos in urbe Magistratus creasse, cum immunitatibus à patre & auo concessis ciues abuterentur, & rexerunt ac constituerunt Italiam successores Lotharij ex eadem familia, & post eos Ottones & alij. Imò cum Pontifices noui crearentur, constat electionem non fuisse ratam, nisi eam Imperator approbasset.

Quod uerò ex constitutione Ottonis tertij obijcitur, non fieri Imperatores, nisi consecratos & diademate Imperatorio ornatos à Pontifice, nihil patrocinator commenticiæ potestati Pontificum. Nam Ottonis constitutio ius & potestatem eligendi omnem designatis ab ipso electoribus attribuit, qui non tantum Regem Germaniæ, ut Pontificij assentatores falso fingunt, sed Imperatorem Romanorum eligunt. Pontificis consecratio nihil aliud est, nisi electi renunciatio, & testificatio, quòd legitime & secundum leges electus sit.

Non tradit Pontifex Imperium electo Imperatori,

tori, sed hoc ei legitime traditum esse testatur ab  
 ijs, penes quos est electio, Sicut Episcopus Re-  
 mensis non tradit regnum regi Gallie, quod acci-  
 pit nunc iure successionis, sed iusta & legitima  
 eum successionem regnum capessere sua consecra-  
 tione proficitur. Neque electio est Pontificis, sed  
 ut dixi, renunciatio, qua electio publice declara-  
 tur orbi terrarum, & eam quidem habent nullo  
 iure diuino, sed humano prorsus, id est, primorum  
 in Occidente Imperatorum beneficio et concessio-  
 ne, qui uel religiosa moti de primatu, quem iacta-  
 runt Pontifices, opinione, uel reuerentia urbis,  
 que sedes fuisset Imperij tot annos, uel eò moti,  
 quòd ad defensionem urbis, & Italie assertionem  
 contra Longobardos optima spe & opinione de  
 ipsis inuitati essent, à Romano Episcopo potius  
 quam alio hanc fieri renunciationem uoluerunt.  
 Hac monui paucis, ut in historijs talia conside-  
 rentur contra Pontificum figmenta, inter que  
 grauissimum est, & in Deum contumeliosissimum,  
 quòd Clementina Pastoralis & constitutio Boni-  
 facij expresse affirmat, Pontificem mandato diui-  
 no, armatum esse ea potestate, qua possit trans-  
 ferre imperium pro arbitrio ad quoscunque, quo  
 figmento Pontifex Rodolphum Sueuie ducem,  
 cuius cadauer Mersburgi sepultum est, impulit  
 ad bellum mouendum Henrico IIII. Ex cuius  
 sorore natus erat, misso ei diademate cum tali in-  
 scriptione.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Sed hæc prolixius persequi desinam, & inter prælegendum de singulis dicendum erit accuratius.

Oro autem Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut in hac orbitate clementer respiciat nos, & tueatur ac foueat hos cœtus Scholasticos, & adiuuet ac dirigat conatus nostros in explicatione necessariae doctrinæ, ut opera nostra seruiat utiliter gloriæ ipsius, Ecclesiæ & Reipublicæ, per & propter Iesum Christum filium eius Dominum nostrum, crucifixum pro nobis ac resuscitatum.

Amen.

## ORATIO DE VITA

ET FAMILIA HIPPOCRATIS,

recitata à Doctore Iohanne Hermanno, cum con-

ferret titulum Doctoris in arte Medica, Ma-

gistro Iohanni Schutlero Crossensi,

die 25. Iunij.

**D**icere me quædam in hoc confessu uestro conantem, Reuerendi & clarissimi uiri, more Scholæ ueteri, & aliorum ac meo ipsius exemplo, tot nunc causæ turbant & impediunt, ut neq; unde ordiar, neque quid dicam sciam, & pene uox ipsa faucibus adhærescit, cum dolore absorpta interno, tum ijs quæ foris obijciuntur repressa. Re-

quirunt

quirunt oculi lumen Scholæ nostræ, & ornamentum ac decus huius pulcherrimi & honestissimi coetus atque confessus unicum, & si dicere fas est, Animam corporis scholastici Philippum Melanthonem. Vox formatorem requirit suum, & eruditaram cogitationum atque elaboratæ & politæ orationis magistrum mens. Requirit aures vestræ uerè κῆρυκεῖος ἄστυα, cui præcimente Philippo Melanthonem, succipientibus nobis ex præscriptione, tot iam annis ille ita assueuerunt, ut huic dissimilia non sine offensione sint admissura.

Conflictatur uerò animus ante adhuc cum priore ac penitus insito ipsi atque infixo dolore, quem nunc conspectus uicini tumuli refricat atq; exasperat. Tum ad insolitam huius loci atq; confessus mœsticiam obstupescit.

Cum enim uiuo illo et præsentem ceu uixisse meminim omnia ac uiguisse incredibili quadam hilaritate atque alacritate, ut non commouear uehementer sensu publici luctus, in quo ita mœrere uidentur omnia, ut torpeant ceu attonita, fieri non potest. Perturbor & conscientia meæ imbecillitatis, quòd ea, quæ dicturum tali theatro, & apud tales auditores asserre oportet præsidia & adiumenta, deesse mihi intelligo uniuersa, & me antea facundum, sapientem, alacrem ad dicendum, & huic theatro gratum fuisse recordor, non mea commendatione aliqua, sed excellentibus, ac uerè diuinis dotibus huius, quem toties cum gemitu & lacry-

lacrymis desidero, optimi & pientissimi patris ac Præceptoris nostri. Tot ergo cum concurrant causæ, quæ priorem mihi dolorem tum renouant atq; adaugent, tum nouis perturbationibus accumulunt, quibus ita percellitur animus meus, ut colligere sese nequeat, spero ueniam uos mihi daturos esse, si neque orationem uestris dignam auribus, nec ad dicendum alacritatem pristinam attulero, quod quidem ut faciatis uos pro eximio candore uestro & meo erga uos studio atq; obseruantia uehementer oro.

Dicam autem pauca de origine, familia, & scriptis Hippocratis, quem Principem in arte nostra sequimur & ueneramur merito, cui uni & soli debemus & acceptum referimus meritò eum, qui ad nos peruenit gustum artis Medicæ, cuius sententijs denique addicti sumus tanquam de cælo prolatis oraculis ad eum modum, ut contra eas statuere aut experiri aliquid nefas ducamus. Hunc paterna origine ab Æsculapio, materna ab Hercule propagatum esse longa maiorum serie, sunt qui constanter affirmant, qua in re præcipuè & consideratione & admiratione dignum, hoc est, quòd artis Medicæ studium, culturam, professionem & usum una Asclepiadum familia annis amplius mille conseruauit, liberis in uestigia parentum succedentibus & artis uitæ possessionem ac propagationem tuentibus, quod singulari Dei consilio factum esse non dubito, ut posteris maiorum  
inuenta



inuenta religiosa fide custodientibus, si his addeant, quae ipsi experiundo duce & magistratatione didicissent, ars aucta, illustrata, & absoluta cresceret, & transmitteretur incorrupta ad posteros.

De Æsculapio omitto fabellas Græcorum, neque de parentibus eius rixor. Artem eum apud Ægyptios didicisse, & inde in Græciam inuexisse, monstratis uiribus herbarum, & medendi ratione, prorsus non est dubium. Est & nomen peregrinum, quod si ad Græcorum signum alludit, quae commemorat Pausanias, uel ab EZ & Keleph factum est, quorum capram illud, hoc canem significat, uel ab Esch & Keleph, quorum ignem illud, hoc canem significat. Nam quae de Æsculapio exposito, & à capra lactato, à cane custodito, deq; circumfusa huic flamma, quando repperitus est, Græci fabulantur, nota sunt. Sed quodcumque, sit nominis Etymon, aut ratio quaecumque, haustam in Ægypto artis doctrinam professus est & excreuit Æsculapius in Græcia, successu tanto, ut Hyppolytum Thesei filium in uitam reuocasse persuasione uulgi creditus, & diuinis sit cultus honoribus. A Chirone centauro educatum eum scribunt in eadem cum præstantissimis Græciæ Principibus Schola, in qua fuerunt Peleus, Iason, Achilles, & plurimi alij, quod argumento est neque obscuro neque humili cum loco natum fuisse, præsertim cum posteris eius parti. Messeniace in Pe  
lopon

Ioponneso imperasse constat ex Homero & Pausa-  
 sia. Et illo graui ac sapienti seculo antiquo, ut  
 uirtutum, sic optimarum artium et sapientie stu-  
 dia pene propria fuerunt illustrium familiarum,  
 que nunc ex iisdem reiecta ac procul pulsa, post  
 longa & deploranda exilia, uix tandem in miser-  
 rimis pauperum tuguriolis receptus inuenerunt  
 & hospitia, à quibus ipsis etiam tractantur pro  
 uirium ac facultatum tenuitate, satis tenuiter, id  
 est, negligenter, penè fame extabescentibus utris-  
 que, & Musis ipsis, & harum cultoribus.

Sed ad Æsculapium redeo, Ex hoc nati filij  
 Podalyrius & Machaon, duxerunt una cum reli-  
 quis Græciæ Principibus, suas ad oppugnationem  
 Troiæ copias, in qua obsidione, & Medicorum  
 & bellatorum præstiterunt operam. Machaone  
 ad Troiam ab Eurypilo Telephi filio interfecto,  
 posteri eius tenuerunt paterna & auita regna, in  
 Messeniaca usque ad reditum Heraclidarum in  
 Peloponnesum, qui recuperata Peloponneso, pe-  
 pulerunt inde Pelopidas, Nelidas, & Asclepiadeos  
 uniuersos, quorum cum sese alij alio ex fuga con-  
 ferrent, & Tisamenes Orestis filius relictis Argis  
 ad Achiuos, Nelidæ, quorum erat à Nestore ori-  
 go, Athenas sese reciperent: Machaonis nepotes  
 ad Podalyrij posteros profugisse existimo. Capta  
 enim Troia Podalyrius tempestate delatus ad Sy-  
 ron urbem in continenti Carie, ibi quod pertur-  
 bata Græcia partim bellis arderet intestinis, par-  
 tim

tim latrocinij uexaretur, deposita cura & cupiditate Imperij ac gubernationis, scholam aperuit, in qua artem patriam docere cœpit ac facere.

Ex ea Schola, quasi Coloniae deducta sunt postea tres insignes alie Scholæ, quæ floruerunt & claruerunt doctrinæ Medicæ cultu & tractatione multis annis, totiq; Græciæ & Asiæ ad Persiam usque Medicos suppeditarunt, Rhodia nimirum, Cnidia & Coa.

Sunt qui in Rhodo Podalyrium substitisse, & rerum suarum collocasse sedem, exposito comitatu prodiderunt.

Certarunt autem hæ Scholæ inter se emulo studio extollendæ & amplificandæ artis, unaquælibet ambitiosa iactatione eorundem maiorum, sua, aliorum uel inuentis uel traditis anteferente, ut ferè fit, cum memoria aut claritatis aut præstantiæ maiorum, in ea re, in qua illi excelluerunt, magnam auctoritatem nobis, & magnos sumimus Spiritus, haberiq; ipsi & censerî præstantiores uolumus alijs, eo nomine, quòd ex ijs nati simus ac propagati, quibus autoribus peruestigatæ artes ac prolatae celebrantur.

Sic ergo contendentibus his tribus Scholis de artis Asclepiadæ possessione, reliquas tandem obsecurauit Coa, & celebritate auctoritatis ac fame, & præstantium artificum numero, & præclarissimis scriptorum plurimorum monumentis, et si & sua fuit Cnidijs sententijs dignitas atq; auctori-

tas, quas diu in manibus Medicorum uersatas esse, atq; usurpatas legimus.

Quae ergo in Coe extitit Schola, ea genuit, ac luit, instruxit & absoluit Hippocratem decimum nonum ab Aesculapio, in qua tota serie maiorum nullus non auctoris primi sequutus uestigia proprijs suis inclaruit atq; eminuit dotibus & commendationibus, absolutissima scilicet artis auitae cognitione, & tractatione dexterrima, successuq; in usu artis, ac remediorum administratione admiranda.

Quam singulos praestantiam consequutos esse, eo minus mirum est, quod nacti naturas idoneas, principia artis mox uelut cum nutricum lacte sugerent, & intra domesticos parietes, statim à teneris quam primum literas nosse didicissent, imò cum balbutire inciperent, ad corporum sectorum contemplationes & considerationes remediorum simplicium adhiberentur, ordineq; ducerentur per omnes doctrinae partes, & hac exculti protinus ad opera artis experiunda assuescerent.

Maiores Hippocratis hoc recensentur ordine. Aesculapius, Podalyrius, Hippolochus, Sostratus, Dardaus, Cleamitides, Crisamis, Theodorus, Sostratus alter, Crisamis alter, Theodorus alter, Sostratus tertius. Nebrus, Gnosfidicus. Hippocrates, Heraclides, Hippocrates magnus.

Nebri Tritaui Hippocratis meminit in oratione ad Athenienses Thessalus Hippocratis filius.

Amphictyones enim bellum gerentes aduersus  
Cryseos Locrorum uicinos, repetituri direptas ab  
illis Templi Delphici opes, hunc oraculi monitus  
accerfuerunt ad depellendam ab exercitu pestem,  
quæ magnam eius partem peremerat.

Huius ex Gnosidico filio nepos fuit Hippocra-  
tes primus, cui tribuuntur libri de fracturis & ar-  
ticulis, qui inter Hippocraticos extant, & abne-  
pos eiusdem Heraclides nostri Hippocratis pater,  
qui Amyntæ Macedonum Regi familiaris & ca-  
rus fuit.

Ab eo conscripti censentur, Aphorismorum  
& Prognosticorum libri, qui inter Hippocraticos  
soli pene principatum obtinent.

Hoc patre est natus noster Hippocrates &  
Phenareta matre Heraclidea, propter quam se uir-  
cesimum, ab Hercule numerauit. Claruit præci-  
pue temporibus belli Peloponnesiaci, quo toti  
Græciæ profuit plurimum industria, fides, & fe-  
licitas eius in illa celebri pestilentia, quæ ex Pan-  
nonia & Illyride profecta, & fere totam Græci-  
am peruagata, uastitatem effecit ingentem. Fuit  
autem ueneni tanta uis, ut subito extingueret plu-  
rimos, multis rationis & memoriæ usum adime-  
ret, aliquibus robore naturæ excussum ad ex-  
trema, manus pedesq; articulis solutis ceu præci-  
deret.

Illa ergo lue horribiliter grassante, ipse cum à  
Thessalis contagium syluis circumquaq; incensis  
depul-

depulisset, quibus τὰ στυπεδονώδη μάσματα discussit & consumpsit. Postea ad Thermopylas profectus, Doriensibus & Phocensibus medicatus est. Thessalum filium reuocatum ab Archelao Macedonum rege, qui heredibus Perdica fraude sublatis regnum rapuerat, concessit petentibus Atheniensibus secundo belli anno.

Draconem alterum filium ex pagasis accersitum misit in Hellepontum. Polybo genero studiorum & Scholæ curam commendauit. Postea Atheniensibus in Siciliam traiecturis, rursus Thessalum adiunxit, quorum hi beneficiorum memores, Hippocratem uicissim proximum ab Hercule in Eleusinijs sacris collocarunt, donatum iure ciuitatis, & eidem ac posteris eius uniuersis stipendia & uictum in pritanæo de publico decreuerunt, quod fuit apud Athenienses summum.

Habuit eundem in honore & delitijs Perdicas Macedonum Rex, cum propter excellentiam artis, tum propter originis & familiæ Heraclideæ cognationem.

Nam & Macedonici Reges paterna origine ab Hercule descendebant, ut materna Hippocrates.

Sequuti sunt hunc filij duo Thessalus & Draco. Thessalus ἐνδοκιμώτατος τῶν ἡῶν paternis accurate uestigijs inhaesit, & quæ ille imperfecta reliquerat explicuit, quæq; sparsim annotarat, col-

lecta distribuit atq; digessit in ordinem, ut cohererent & inter se consentirent.

Contexti ab hoc iudicantur libri ἐπιδημιῶν, Secundus, quartus, quintus & sextus. Sed procul à Schola & studijs uitam in aula Regum Macedonicorum traduxit, non commentando sed medicando.

Polybus gener, Scholæ & studiorum Medicorum post Socerum gubernationem suscepit. Ab hoc compositos esse libros de natura humana, & de semine erudita uetustas censuit.

Dubitatum etiam fuit, an libri περὶ πνεύμων Hippocrati potius, quam huic Polybo sint ascribendi. Draconem alterum filium libros περὶ ἰσχυρῶν σπέρματος composuisse opinio fuit, quos aliqui tribuerunt Thessalo.

Retinuerunt autem posterii Hippocratis, auitæ artis professionem annos penè ducentos. Thessalus Hippocratem tertium & ex hoc nepotem Hippocratem quartum & abnepotem Draconem tertium: Draco itidem filium auctoris ὁμῶνυμοῦ reliquit.

Hippocratem tertium censuit fuisse autorem scripti de Lienteria Dioscorides is, qui sub Hadriano Imperatore Hippocratica scripta recognouit, & in ordinem redegit. Draconem tertium medicum agentem apud Roxanen Alexandri magni coniugem, Cassander cum Roxane carceri inclusum, tandem occidi iussit.

Commemorant Historia plures alios Magno Hippocrati  $\delta\mu\omega\nu\acute{\upsilon}\mu\omicron\nu\varsigma$ , ex eadem ortos stirpe, Coos omnes, ut quintum & sextum Thymbraei filios, & septimum Praxyanaetis filium, quos praetereo, cum nec constet certo, quo gradu cognationis priores attigerint, nec reperiatur, quid in doctrina & arte Medica nauarint ac praestiterint.

Polybum in Scholae Hippocraticae administratione excepit Diocles Caristius, qui primus Anatomica ex professo peculiaribus scriptis tractauit, & autor putatur commentarij de morbis mulierum.  $\delta\iota\acute{\omicron}\delta\omicron\chi\omicron\upsilon$  habuit Praxagoram Coum Nicearchi filium ex Asclepiadeis ultimum. Apud hunc  $\sigma\upsilon\mu\phi\omicron\iota\tau\omicron\tau\alpha\iota$  fuerunt Philotimus, Eudemus & Herophilus.

Ad Philotimum refertur liber  $\omega\pi\epsilon\iota$   $\xi\omicron\phi\acute{\iota}\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ , qui Hippocraticis connumeratur. Herophilus à doctrina Hippocratica discessit primus, quo & Chrysippe atque Erasistrato autoribus uetus doctrina corrumpi coepit, cum iam familiae Asclepiadae limitibus excidisset. Tùm primum medicorum Scholae in tres discesserunt partes ac factiones, alijs  $\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\omicron\iota\varsigma$ , alijs  $\mu\epsilon\delta\omicron\delta\iota\kappa\omicron\iota\varsigma$ , alijs Empiricis se profitentibus.

Hac occasione factum est, ut inualefcente partium studio & nouarum opinionum foetu uberim augefcente, & cuincente, neglecta sit paulatim doctrinae Hippocraticae cultura, totaq; ars



degenerarit cœno commentitiarum nugarum fœdè aspersa.

Ita enim fieri necesse est cum aut rudes atq; inexercitati, & perpetuæ sententiæ ac uoluntatis eorum ignari, à quibus primo artes conditæ sunt, aut noui, ac alicui & peregrinis infecti opinionibus, cuiuscunq; doctrinæ tractationem susceperint, & accedit ambitio superbè fastidians recepta atque usitata, & extimulans animos ad nouitatis amorem ac studium.

Factionum ergo disidijs & contentionibus doctrina medica conuulsa graue uulnus accepit, & penè proiecta iacuit ad Galeni ætatem usq; qui excitatus diuinitus Hippocratica scripta è tenebris in lucem reducta & à mendis repurgata rursus illustrauit, & ut in manibus omnium essent ac legerentur & excolerentur, totaq; curandi ratio reuocaretur ad ueros rationum fontes perfecit, explosis Empiricorum & Methodicorum delirijs, quæ quidem paulò post destituta sectatorum studijs sua sponte euauerunt, deleta ex animis & memoria hominum doctrinæ Hippocraticæ nitore.

De Hippocraticis scriptis, An γνήσια sint ea omnia, quæ nomen eius præferunt ac profitentur, olim etiam dubitatum legimus, quod inde natum est, Cum Ptolemeus Philadelphus instructurus Bibliothecam Alexandriæ omnis generis optima scripta maximis sumptibus coëmeret, multi tunc, ut fit, lucri spe & cupiditate, autorum titulis detra-

detractis nomen Hippocratis alienis libris præfixerunt.

Nec leuiter eosdem corruerunt ij, qui se emendatos adferre libros iactarunt, eò quòd audacter, quæ uisum fuerat, ipsi mutassent, exemptis, intertextis, transpositis pro arbitrio sententijs, sicut Mnemon Sidites tertium Epidemiorum obtulit præposito suo nomine, cum additione τῶ Διορθώτων.

Postea cum Bibliotheca Alexandrina conflagrasset, & remansissent exempla quedam, in priuatorum manibus, Artemidorus cognomento Capito & cognatus eius Dioscorides, Alexandrini ambo, temporibus Adriani Imperatoris, collecturi dispersa fragmenta plus etiam damni dederunt deprauatione scripture, & in sensum sepe contrarium prorsus detorsione.

Quòd ergo restitutis & emendatis fruimur Hippocratis scriptis, uni debemus Galeno, qui quidem & nota ac subditicia à genuinis discernit, & ἤλαττα σφάλματα corrigit, quæq; doctrinæ Hippocraticæ consona & conformia sunt, quæ aliena ac dissona, & uel fraude corrupta, uel ambitione præter rem insarcta, exacto iudicio demonstrat, & ueram sententiam elicit ac declarat.

Primum is & tertium Epidemiorum Hippocrati, ut secundum, quartum, quintum & sextum Thessalo filio eius attribuit.

Reliquos ut spurios & supposititios reiecit. Προγνώσεωv libros cum aphorismis alibi Magno Hippocrati, quo potius inclinatur & frequentioribus sententijs, alibi huius patri Heraclidæ adiudicat. Nostro etiam assignat libros de aëre aquis & locis, & de ratione uictus in morbis acutis, etsi ex Cnidij sententijs hos decerptos esse, à quibusdam iudicatum significat. De ipso Hippocrate Galeni iudicium est, καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἀνέρα αὐτὸν γεγονέναι, μὴ εἰλοζυμίας ἢ εἰλοδοξίας ἀλλ' ἀληθείας ἐρασῶν & de scriptis eius: ὅτι κακῶς οὐδὲν ἔγραψεν, sed esse quædam obscuriora, quædam mutila, pleraq; concisa, breuia, & in arctum contracta, nihil superfluum, ociosum nihil, & alienum à rei natura continentia, sed arguta breuitate rotunda & significantia, tantaq; reserata bonarum rerum copia, ut ubertas & amplitudo rerum, uerborum numerum longe uincat.

Idcirco requirere ea agricolas bonos, qui incultiora conferant atq; excolant, confusa distinguant, concisa ac minuta augeant, deficientia perficiant.

Quod cum melius nemo Galeno ipso præstiterit, huic eam referamus nos gratiam, quam ipse Hippocrati reddidit, & eius scripta non exemplo Auerrois & multorum recentium carptim et calumniose exagitemus, sed eo animi candore, iudicij rectitudine & ueritatis studio tractemus, quo  
Hippo=

Hippocratica ipse ceu subigit & elaborat. Id fiet si uniuersum complexi corpus doctrinae, ex collatione omnium, quae fuerit & sit uera ac perpetua auctoris de praecipuis partibus sententia, recte dextreque; & sine Sophistica constituerimus, & hunc in scriptorum Hippocratis lectione ducem nobis proposuerimus, atque interpretem unum omnium optimum.

Deprehendemus enim adhibito conuenienti candore in iudicando, nec monstrasse ullum alium fontes ueros doctrinae medicae rectius, neque eosdem explicasse commodius & fufius, nec Methodi artificem inueniri praestantiorem Galeno, & consentire hunc sibi ubique dextre intellectum.

Agamus & Deo gratias, auctori & fonti sapientiae Medicae, & omnis felicitis ac salutaris medicationis, quod talibus artificibus doctrinam describi integram uoluerit, & quod haec monumenta, inter tot temporum iniurias defensa, atque ab interitu uindicata, & fideli opera idoneorum hominum culta ac propagata, nobis communicarit.

Agnoscamus ingens Dei beneficium esse quod una Asclepiadum familia annos amplius mille doctrinam hanc, quae pars est praecipua sapientiae diuinae in creatione rerum expressae, sicut eam & Paulus nominat, quod ergo illa hanc conseruarit sancta fide ac diligentia tam diu.

Nec minus esse beneficium Dei cogitemus, quòd post Galeni tempora orbe terrarum horribiliter dilacerato bellorum motibus, & Imperio Romano peregrinarum ac barbararum gentium irruptionibus ac confusionibus pene euerso, nec præcipua huius doctrinæ monumenta perierint, nec conciderint studia, nec prorsus corrupta sit doctrina, & petamus ut hoc nos quoq; & posteros nostros dono frui sinat.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut inter nos æternam sibi Ecclesiam colligat, & tueatur ac seruet hanc scholam nostram, quæ est & fuit multos annos inde usque ab initio repurgatæ Ecclesiæ, domicilium doctrinæ cœlestis, & omnium aliarum honestarum ac necessariarum artium, & leniat nobis dolores nostros, quos ob ereptum nobis ducem nostrum sustinemus, ac prohibeat ne fiant aut nouæ

uastationes terrarum aut maiores

Ecclesiæ dilacerationes.

D I X I.



ORAE

## ORATIO RECITA

TA A CASPARO CRVCIGERO L.

Professore Theologiae, Decano Collegij Philosophici 6. Iduum Sextilis in promotione Magistrorum.

CVM hoc solenni die, & in tali confesso uaria laude & dignitate praestantissimorum hominum dicendum mihi esse scirem, uehementer perturbari sensi animum meum, cum difficultate rei per se, tum recordatione eorum, quae ex hoc loco & in talibus festiuitatibus Scholasticis à multis iam annis ego & alij audire consueuimus: cum praeset adhuc studijs communibus patronus praceptor, & parens quondam noster, uir clarissimus & nunc Sanctissimus PHILIPPVS MELANTHON. Cuius memoria cum celebrari à nobis debeat omni tempore, non possum facere quin in hac ingressione mea, pro mea erga uiuum & mortuum affectione, & illius erga me ingentibus & paternis beneficijs, quibus me, priuatim etiam, plane obruit, pro his igitur quin ante omnia aliquid huius memoriae dem, non possum facere: Id quod bonos & amantes Reipub: & salutis communis uniuersos animis suis comprobare scio.

Non autem δ'α'ν'ρ'ο'υ' ε'ν'δ'ο'υ', Id est, dormiens lacrima, (Vt Callimachus appellat) à me excitatur, neque sita res commouetur. Neque desinet luctuosa esse Academiae nostrae, & fauentibus huic, atque Ecclesiae Christi uniuersae, ea dies, qua ex  
 hac

hac decessit is, qui Academiam hanc esse fecit, id quod græcum uerbum, quo appellatur, significat, cum ipse esset ἀκαδημία, qui remedium, & medicinam, quietem, atque tranquillitatem (rebus laborantibus & perturbatis) præstaret Ecclesiæ ac Reipublicæ: Neque sensus eorum perpetuus, quæ morte huius amiserunt res publicæ & priuatæ nostræ, deponi memoriam illius sinunt, cum monitores & monumenta habeamus nimis multa & tristia omnibus à partibus, quæ dolori nostro quietem nullam concedunt. Fuit ille uerè parens nostrer: Neq; enim ullus pater maiore affectione est, magis'ue beneficus erga sobolem suam, quam ipse fuit erga res publicas & priuatas nostras: Cumq; esset is, qui instructus ingenio summo & doctrina eccellente res bonas & salutare sapienter prudenterq; excogitare, & easdem disertè pronunciare posset: Eam omnem facultatem suam ad salutem communem Ecclesiæ Christi, bonorum studiorum, & publicam Academiæ, atque omnium qui hanc ab ipso expetebant, contulit. Vnde, ut alijs uiueret, ipse uitam laboriosissimam uixit, cum, si sibi uiuere uoluisset, omnino esse potuisset beatissimus.

Quantus autem ille murus fuerit oppositus, sophisticæ, mendacijs, & tumultuanti ad uulgus leuitati, res docet, & (ut periculum est) magis docebit deinceps. Nondum sex menses sunt, ex quo terras reliquit sanctissima anima ipsius, &  
que

quæ moueantur ab inquietis, uel hostibus potius salutis & quietis publicæ, ante oculos est: qui cum nunquam fuerint σὺπφορες, nunc tamen mortuo illo audent omnia, οὐ γὰρ κόρυθ' & λείσθησιν πρὸς ὄψον, cum uiuentem non minus metuerint, quam oderint, mortuum odisse pergant, metuere desinant. Ego uero, etsi (ut unus ex gratis) publico & priuato nomine delector commemoratio-  
ne beneficiorum eius, quem colui & dilexi in præsentia, tamen nihil uolo commemoratis addere etiam propterea, ne seindam dolorem publicum: Et sunt in manibus alia.

Restat igitur ut in hac orbitate nostra, & desiderio talis parentis, nobis uideamus & rebus communibus. Nihil autem possumus & per se facere rectius, & quod pijs manibus parentis præceptoris & patroni nostri gratius & iucundius sit, quam si, sequentes præclarissimum exemplum & impressa uestigia ipsius, coniunctis animis & operis (pro nostra mediocritate, suo quisq; loco) propagemus ueritatem, & ea studia quæ Ecclesiæ & Reipub: utiliter inseruiunt. In quo noster conatus ante oculos est, neque prorsus obscurus, neque infelix in Domino. Nam, Dei beneficio, contra ominationes & uota multorum non pessimè sedant initia administrationis nostræ, & conseruantur adhuc, Christo gratia, ea quæ sanctissimus præceptor noster nobis reliquit. Etsi quod tali tempore nostro, talis est status scholæ nostræ hoc etiam  
mor=



mortuo acceptum referimus, qui precibus illius uiuentis hoc nobis partum statuimus, quas fudit pro Ecclesia & scholis, & peculiariter pro Academia hac nostra, ardentissimas, eaq; sine dubio, in sanctissima anima ipsius erga salutem publicam perpetuò durat impressa affectio: ut precibus ipsius stare uideantur res nostræ uiui & mortui, cum quibus nostras coniungamus, permittentes Deo cætera.

Quia uerò optimè fundata doctrina scholarū & Ecclesiarum nostrarum, & imprimis Sanctissimè mortui præceptoris nostri scripta inuaduntur, noua impudentia, ab ingratis illis alumnis nostris: Ideo ueritati inprimis, sed & mortuo præceptoris nostro hoc debere uideor, ut de ijs, quæ ex Platonis & Aristotelis controuersijs, iam in Ecclesia temere & nouo exemplo mouentur, De illis igitur, ut ad discipulos Academiæ nostræ in præsentia quædam disse-ram. Extitit autem nuper in hac uicinia genus hominum, quod negat se de Deo noticias habere aut sentire naturales aliquas. Docet enim non esse innatas ullas homini de Deo notions, neque de unitate huius, neque de Creatione rerum, & prouidentia. De huius igitur rationibus queram, quantum in præsentia tempus feret, ex fundamentis humanæ sapientiæ, & doctrina Ecclesiæ

Est autem uetus hæc inter Platonem & Aristotelem controuersia, an aliqua sint insita nobis ullis de rebus notiones, quæ νοῖαι ἐννοιαὶ & νοῦν λέγει sunt Græcis, Ciceroni notiones & noticia. PLATO in Menone & Phædone docet esse quædam iudicia & quasi pronuntiata mentis, quæ non comparentur discendo, sed à natura insint, quòd anima in corpus illa secum intulerit, neque in caduco corpore illæ noticiæ existere, neque has inuenire in hoc anima potuerit: Ideoq; concludit μὴ θνήσκειν esse ἀνάμνησιν, id est, nostrum discere recordationem esse. Atq; (ut Platonis dogma Ciceronis uerbis exponam) in eo libro qui inscribitur Menon, pusionem quendam Socrates interrogat quædam Geometrica de dimensione quadrati, Ad sic ea ille respondet ut puer, & tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eo perueniat, quasi Geometrica didicisset: Ex quo effici uult Socrates, ut discere nihil sit aliud, quam recordari. In Phædone autem disertè pronunciat, quemuis, qui omnium rerum rudis esse uideatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere: Nec uero fieri ullo modo posse, ut, à pueris, tot rerum atq; tantarum insitas, & quasi consignatas in animis, notiones (quas ἐννοιαὶ uocant) haberemus, nisi animus, antequam corpus intrasset, in rerum cognitione uiguisset, &c.

Contra

Contra hæc disputauit ARISTOTELE S  
 qui intellectum similem haberi uult tabula rase, ut  
 in quo, per se & ab origine sua, nihil insit neque  
 noticiarum neque scientiæ, sed inferatur in hunc  
 extrinsecus quicquid habet huius generis: inferri  
 autem per sensus, quos propterea in animantibus  
 δῶξαμιρ σύμφυτον κριτικῶν appellat in Ana-  
 lyticis, ubi, πρὶ ἀρχῶν γνώσεως, ex professo di-  
 sputat. Ita igitur Aristoteli nihil est in intellectu,  
 quod non prius in sensu fuerit: Cumq; negare  
 non possit, oportere esse πρὸς ἀρχῶν γνώσει  
 aliquam, absq; qua nihil disci possit, in hoc quidem  
 ei cum Platone conuenit, sed unde sit, in eo discre-  
 pat, Ab illa enim sensuum facultate hanc deducit.  
 In Nicomachicis autem aliquanto planius, τῶν  
 ἀρχῶν, dicit, αἱ μὲν ἐπαγωγῆ δεωροῦνται,  
 αἱ δὲ αἰδησίαι, αἱ δὲ ἐπισμῶ ἕνι, καὶ ἄλλαι  
 ἄλλῶς.

Hæc est illa uetus (ut diximus) inter Plato-  
 nem & Aristotelem controuersia, quæ non potest  
 breuiter decidi, posset autem, Si de Aristotelis sen-  
 tentia constaret, An anima sit, ut in scholis lo-  
 quuntur, ex traduce, & cum semine propagetur:  
 Quod non sensit Plato. Aristoteles quid senserit  
 non reperio, & fieri potest, ut ipse quid sentiret  
 non inuenerit. Nam etsi animam formam facit,  
 corpus materiam, atque hoc modo non potest ani-  
 mam à corpore separare, cum forma non sit reipsa  
 separabilis à materia, & ut ipse docet his uerbis,

τὸ εἶδος ἐν ἡ ὕλκῃ οὐ χωρίζεται τῷ πράγματι,  
 ut hac consideratione ei ex traduce & in semine  
 esse oporteat: vδρ tamen alicubi χωριστῶρ facit,  
 alicubi Δυράδερ ἐπισιένου, Ἐθεῖορ εἶνορ μόνου,  
 neq; actiones huius quicq̄ habere cum corporis  
 actionibus commune. Etsi autem me non fugit,  
 cuiusmodi interpretationibus utantur qui consta-  
 re sibi Aristotelem credi uolunt, haud scio tamen  
 an non ex his locis, & pluribus alijs, conuinci du-  
 bitationis possit, quam de ea re, cuius explicatio-  
 nem sibi sumpsit, habuerit.

Quod si aliunde in corpus uenit uel vovε̄ uel  
 anima, fuit priusquam intraret, atque ita aliunde  
 secum ea quæ habet in corpus intulit, neque à cor-  
 poris mole comparare sibi aut discere potuit, quæ  
 corpus neque scit neque habet, cum ne sensus qui-  
 dem sit corporis proprius. Nam (ut rectè Plato in-  
 quit) neq; auris audit, neq; oculus cernit, sed ani-  
 mus per aures audit, & cernit per oculos: quippe  
 cum animo occupato fieri possit, ut patentibus au-  
 ribus & oculis, nihil tamē neq; cernatur neq; audi-  
 taur. Et sensus etiam exteriores, qui uocantur, esse  
 communes animi & corporis actiones, non corpo-  
 ris solius, Aristoteles docet. Origo autem animi si  
 diuina est, quid de noticijs queritur unde sint?  
 Ita igitur peruenitur iam ad ea, quæ Religionis  
 nostre ueritas tantum nouit & explicat, esse ani-  
 mam imaginis diuinæ, quam in corpus ex limo ter-  
 ræ formatū una cum uita Deus inbalauerit talem,  
 Cc id est,

id est, à corporis natura diuersissimam, Et hominem postea conditum ( qui ex anima & corpore constat ) generando hanc propagare in sobolem, ut totus homo gignat totum hominem.

Itaq; uterq; impegit, et PLATO, qui semper & omnes omnium animas aliunde in corpora immitteri sensit, & ARISTOTELES, qui omnes ex semine & materia educit. Nam in materia ei forma inest δυνάμει, & sunt eidem, ut mundus, ita generationes etiam perpetuæ & originis expertes. A ueritate tamen Religionis minus aberrant Platonica, ut & Philosophia huius uniuersa: Quibus etiamsi se opposuit Aristoteles, uictus tamen ueritatis robore quod est ἰσχυρόν, ea dixit quæ à Platoniceis non sunt dissentanea, ut retulimus. Si igitur homo est conditus ad imaginem Dei ( quod Platoni & Aristoteli puto esse diuinum illud, quod in homine agnoscunt ) Sequitur inesse noticias in eo à prima origine. Quæ etsi in natura corrupta, ut cæteræ uirtutes hominis, affluctæ sunt, non tamen perierunt prorsus. STOICI in natura αἰσθητικῆν, προληπτικῆν, & γνώστικῆν nominant, qui cum αἰσθητικῆν separent, ab ea, quæ est γνώστικῆν & προληπτικῆν, non uidentur à sensibus hæc deducere. De SCEPTICIS queri nihil attinet, quippe qui nihil dicant.

Solus Epicurus, sine ulla & dubitatione & cautione, animam prorsus alligauit ad sensus, tanquam ad præsepe ( Quicquid, inquit, animo cerni

cernimus, id omne oritur à sensibus) atque ita animam quasi interemit, cui omnem uirtutem & scientiam, quam in se & per se habeat, detrahit: Cùm Aristoteles & timidius pronunciet, & in sententia de anima & intellectu sibi non constet, qui, si intelligentiam diuinitatem habere concedit, non tantum noticias insitas, sed aliquid multo maius & amplius ei tribuit. Solus igitur Epicurus & animam interimit (Vt diximus) & omni uirtute & scientia, quam ex se habeat, intellectum spoliat. Huius dogma tale in scholas & Ecclesiam reuocant n̄, qui negant se de Deo ullas habere noticias insitas, sed à sensibus habere omnia. Atque, ne callidè agere uideamur, edita uerba quæ Epicurismum illum profitentur, bona fide recitabo, quæ sic habent:

Si aliquis homo in Sylua esset educatus, neque unquam aut ab alijs hominibus audisset, aut terriculamenta spectrorum perpessus esset, non etiam tonitrua, aut eiusmodi alia, Quid tandem plus de Deo sciret quam brutum? Quod etiam nunc ipsa experientia testatur in pueris negligentius in syluestribus locis educatis &c.

Tales doctores cum Epicureos appellamus, non contumeliose dicimus, sed propagatores dogmatis Epicurei esse significamus: Etsi Epicurus fortior est, quem non minitanti murmure

cælum compressit, Et Pythagorici. (Vt Aristoteles refert) ad terrendos eos tantùm qui sunt in Tartaro tonitru existere autumant.

Aristoteles demonstratione Logica probat esse unum primum motorem, non plures, in Physicis: In Metaphysicis autem (ut appellant) etiam uersum Homericum de hoc usurpat.

οὐκ ἀγαθὸν πλῆθοσι κείνῳ εἰς κοίρωτος ἔξω.

Pythagoras, Socrates & Plato Deum faciunt, τὸ ἔρ, τὸ μονοφυές, καὶ τὸ αὐτοφυές, τὸ μοναδικόν, τὸ ἄντως ἀγαθόν. Vnde & illa definitio extitit, Deus est mens eterna, causa boni in natura: siue Plato autor est huius, siue alius. Mundum cœpisse Plato scribit, cuius Philosophia primum hominem constituit: Et notus est de creatione rerum Lini uersus Poëtæ illius antiquissimi:

ἢ ποτέ τοι γόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντα ἐπεφύκει.

Nam quid sit illud ἅμα in presentia non queritur, ortus tamen rerum indicatur. De Providentia autem quam sollicitè disputarunt ueteres illi sapientes τῶν ἔξω qui extra Ecclesiam fuerunt, cum quærerent etiam quomodo argumenta refutarent quæ obijcerentur. Et sententiam de Deo, quòd sit Deus, sequitur etiam de Providentia decretum, Nam esse Deum confiteri, & nihil hunc curare, nihil agere, totamq; machinam mundi, & quæ hac continentur neque respicere,  
neq;

neque gubernare, uel hanc etiam nescire, id est, uerbo Deum facere, re ipsa tollere: Quod Epicurum fecisse legimus, ut contra hunc Possidonius disputauit. Qui igitur Deum esse sentiunt, eos necesse est hoc etiam unà statuere, ut opificem uniuersitatis rerum, ita & gubernatorem eorundem esse Deum, cuius de præstantissima mente omnia constituentur.

Sed dicunt non conuenire de his inter Philosophos, cum alij aliorum dogmatibus obtrectent, & hereses sint, & familiæ horum multiplices: In ijs autem quæ naturæ sunt, consensus est omnium, sicut Cicero definit legem naturæ esse in quo omnes populi consentiant. Præclarè. Cur non eadem opera argumentantur? Non esse σοφίας in natura, neque parentes colendos esse, cum sit genus hominum quoddam quod mactet parentes: Aut nihil esse certum quia Pirrhoneijs aliter uideatur. Item, turpitudinem esse opinionis commentum, pudorem non esse in natura, cum Stoici quidam, penè Cynici, obscœnitatem in uerbis aut rebus esse aliquam negent. Argumenta tamen, Præcipua Epicuræ sobolis illius nouæ, quam breuissimè proponamus. Paulus scribit (inquiunt) Homo ἄχρηστος non percipit ea quæ Dei sunt: Item, Quod mundus per sapientiam non cognouerit Deum: Et scriptum est, Dabo legem meam in cordibus eorum. Ergo natura non inest. Et Gentes fuere idolatræ: Ergo noticiam de Deo in-



sciam nullam habuere. Et, pueri de Deo nihil sciunt: Ergo in adultis etiam nulla est de hoc noticia. Hec qualia sint omnes intelligunt. Confunditur enim sapientia legis cum sapientia Euangelij, atq; hæc causa est illis erroris talis.

De sapientia Euangelij uerum est, credi eam, non sciri, cum non tantum ignota sit nature, sed contraria etiam principijs huius, quale hoc est, Niti aliena iusticia & sanctitate, & non propria: cum rationi hic sit murus aheneus. Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa. (Sit enim hoc unum pro multis.) Hanc igitur quod in natura non inesset, ideo attulit nobis filius Dei ex sinu Patris, ut saluos nos faceret per stultam prædicationem crucis, cum uideret nobis salutem per sapientiam non posse conferri. De hac sapientia quærit EVSEBIUS, an demonstrationes habeat, & habere negat: in quo tamen sensisse eum melius existimabimus, quam loquitur. Neque enim simpliciter καὶ ἀπλῶς nullas Demonstrationes habet, cum uerbum Dei sit ueritas, & scientia sit sanctorum, quæ habet γνῶσις & ἀλήθεια, sed λογικὰς nullas habet. De legis autem sapientia Paulus scribit disertè, legem scriptam esse in cordibus hominum. Hæc igitur alia lex est, quam illa quæ in corda renatorum immittitur, qui non nascuntur tales, sed sunt κοινὴ κτίσις & ἀναγεννητοῦ ἀνωθεν. Quod si lex inest in natura, & habet aliquas noticias reliquas, erunt ille  
non

non tantum de secunda sed etiam de prima tabula. Et reperit natura ex principijs insitis esse unum Deum, & esse colendum, neque profanas uoces usurpandas de rebus sacris, quod est propriè  $\text{Βλασφημῆς}$ : ad cultus etiam numinis externos certis & statis temporibus opus esse intelligit, quæ uiolari temerè non liceat. Cumq; Decalogus sit imago & quasi pictura Dei, intelligit hoc etiam ratio, eas omnes uirtutes in Deo inesse, ut sit  $\text{Ὠλοῦνθρωπος}$  &  $\text{καὶ Ὠλόζω}$  iustus, beneficus, castus, uerax. Secundæ autem tabule præcepta ita in natura habent euidentes notitias, ut, quamdiu sanitas mentis manet, suo iudicio se damnent facinorosi illi qui contra hæc delinquant: De quo latinus Poëta in satyra fecit. Vna est hæc ultio quod se iudice nemo nocens absoluitur & c. Et sunt hinc Poëtarum furie: Intelligit & cognitione sceleris fieri reos homines, & conceptum animo facinus etiamsi non perpetretur, turpitudinem habere: ut uideamur ex secunda tabula ad primam argumentari posse, Si natura intelligit esse Deum ueracem, iustum, castum, agnoscere eam etiam quòd sit Deus.

Summa igitur hæc est: Superesse etiam in natura corrupta, ex principijs insitis, & imagine Dei, has notitias, Esse Deum, & quòd sit colendus, etiam qualis sit, uerax, castus, beneficus, qui puniat scelera & uirtutem diligit: sed neq; qui sit Deus (id est, quæ  $\text{ὄνομα}$ , seu natura huius) & quòd sint

tria in quibus unum, neque quomodo colendus sit, reperire aut statuere naturam ullo modo posse: Inde factum est, ut quaelibet gens peculiarem cultum Dei sibi comminisceretur, cum Deum esse & colendum esse intelligeret: & hinc idolatriæ omnes extiterunt: Quibus non tantum de Deo noticia non evertitur, sed hæc contra illos Epicureos noticiarum euersores argumenta suppeditant. Neque enim nos sic argumentamur: Idolatriæ sunt multiplices gentium. Ergo naturalis in his de Deo noticia non est. Sed contra potius ratiocinamur: Quia gentes & numina multiplicia sibi finxerunt, & cultus certos excogitauerunt, quibus illa delectari crederent, ergo in natura est hæc notio insita, & Deum esse, & colendum esse: cum nulla gens tam barbara unquam fuerit, quæ non religionis alicuius formulam sibi constituerit, Atq; ita qui de uero Deo ueroq; cultu huius nihil cognouissent, non tamen carere religionis certæ formula (ut dixi) uellent aut possent. Sicut autem in circulo unum tantum punctum est, à quo omnes lineæ ductæ ad ambitus lineam æquales sunt, quod & per  $\Sigma\chi\lambda\omega$  punctum seu  $\kappa\acute{\epsilon}\nu\ \tau\omicron\omicron\pi$  appellatur, cum infinita in hoc concipi possint alia: Ita unum tantum est uerum, cum in cæteris, tum in religione imprimis, à quo quæcunq; recedunt error sunt & impietas. Ita religio uera una est, Idolatriæ multiplices.

Quod autem in pueris, ut cæterarum uirtutum  
*natura*

naturalium, ita intelligentiæ etiam facultas minus evidens est, atque ita noticiæ etiam insitæ minus in his animadvertuntur: eius rei causam Plato exposuit, neque deesse possunt cogitantibus aliæ, quas afferant. Non enim si non statim ingrediuntur pueri, ideo nulla est in his cerebri & nervorum uirtus. Atque ut intelligentiæ etiam, obstat laxum nimis & humidum cerebrum: animorum tamen & intelligentiæ motus, tam organici quàm inorganici illi, etiam in pueris sese exerunt, & ratiocinationum conatus in his audiuntur, tenues quidem illi, plerunque etiam ridiculi, rationis tamen & noticiarum indices. Quas si interrogator aliquis Socraticus interrogationibus scitis quasi eruere laborauerit, tùm prorsus etiam manifestæ fient aliquæ. Ad illam, igitur ultimo loco commemoratam obiectionem satis sit in præsentia, respondere nos Ex Aristotele, specimen naturæ uniuscuiusq; ex perfectâ & integrâ, nõ ex inchoata aut corrupta, capiendum esse: Ut cum de hominis natura queritur, neq; puer neque senex decrepitus producendus sit.

Sed hæc ipsa quæ modo collegi, tempus non finit nos neque explicare, neque productis argumentis confirmare. Neque quæram etiam, quomodo numeri, proportiones, & ea in summa omnia, quæ sensu nullo dijudicari, neque ab his deferri ad animum ullo modo possunt. Hæc inquam, non quæram quomodo discantur aut percipiantur?

Hoc tantum queram, si Aristotelici esse uolunt, & θεωρίαν omnem de Deo, & primam tabulam legis diuinæ ex natura tollunt, cur practica principia & secundam tabulam in natura relinquunt? Nam has ἀρχὰς more θεωρητικῆς significat Aristoteles. Quid enim est aliud ἐπιθετικὸς ille? de quo supra ex Nicomacheis retulimus. Sed paulo post hæc etiam moralia oppugnantur. Videntur enim paulatim procedere uelle, & ad eam rem aditum querere, ut sublata ex natura prima tabula, inuadant deinceps secundam. Qua & ipsa sublata, queri nimirum & disputari poterit, An bona opera sint παρὰ φύσιν, aut κατὰ φύσιν? Neque difficile erit probare, esse hæc contra naturam, quæ neque sint in naturam insita, & naturam insuper affligant: nam lex tyrannus est, & uirtutis studium corpus debilitat, & nullo officio aut disciplina contineri, nihilque contra uoluntatem facere, uires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit, ut de Suenis Cæsar scribit. Suppeditabit & alios usus ad turbandum multiplices, de quibus in præsentia non uidetur dicendum.

Quòd si Aristotelem sequi uolunt, disputantem contra Platonem de insitis naturæ notionibus, cur si Aristotelici omnino esse uolunt, non audiunt eum docentem, quòd homo sit ἀρχὴν ἡγεμονίαν? Sed Epicurei illi sunt, non Aristotelici, ut diximus. Horribile est profectò legem Dei  
 tanto pe-

topere oppugnari à petulantia, & profanitate  
 inquietorum hominum: Sunt qui ex Ecclesie do-  
 ctrina hanc sublatam uolunt, Alij ex uita sancto-  
 rum tollunt, iam etiam accedunt, qui ne in natura  
 quidem ei locum relinquendum contendunt. Sed  
 erit ei locus firmus, & sedes perpetua in cordibus  
 & uita fidelium, & Ecclesia Christi: quem  
 oramus, ut animos omnium ad uerita-  
 tem & pacem conuertat.

DIXI.

## QVAESTIO.

VAlde optarim, has dicendi partes magis ido-  
 neo, in cœtu nostro, commendatas esse. Ego  
 enim & nature imbecillitatem & infantiam me-  
 am agnosco ac deploro, quæ nequaquam asserre  
 aliquid dignum isto eruditissimorum uirorum con-  
 fessu potest. Sed quia me uobis excusat scholæ hu-  
 ius consuetudo, & præceptorum autoritas, quàm  
 detrectare sine flagitio non potui, nihil mei pur-  
 gandi causa addam amplius: sed cum aliquid hic  
 loco omnium meorum συμφοιτητῶν iussus sim  
 dicere, commonefecit me historia Diui Laurentij,  
 cuius memoriam Ecclesia post biduum celebrabit,  
 ut de insigni fortitudine ipsius pauca differam.  
 Quam puerilem meam balbutiem, ut, pro humani-  
 tate uestra, patienter audiat, reuerenter à uobis  
 etiam atq; etiam peto.

Fuit

Fuit hic Laurentius, sub Xisto Episcopo Romanae Ecclesiae, praecipuus ex collegio Diaconorum, quibus etiam erat commissa cura & custodia Eleemosynarum & aliorum reddituum, quibus tunc ministri uerbi & egentes in illa Ecclesia alebantur. Hic Episcopum suum ductum ad supplicium comitans, ab eodem mandata accipit, ut interea, dum ipse quoque Martyrij coronam consequatur, (quod post paucos dies futurum ei praedicit) diligenter custodiat thesauros Ecclesiae sibi concreditos. Hoc dictum cum Satellites exceptum ad praefectum urbis detulissent, accersitus Laurentius, iussus est Imperatori Decio indigentibus pecunijs ad militiam, pro communi defensione imperij, Thesauros Ecclesiae suae tradere. Id initio sibi non licere causatur Laurentius, sed, instante, & extrema minitante praefecto, tandem, quasi territus comminationibus illius cederet, petit tridui sibi spacium dari, donec Thesauros illos, non uno in loco reconditos, conquirat, & ex latebris erutos in unum locum comportet: Hoc tempore impetrato, conuocat omnes, quotquot in illa urbe doctrinam de filio Dei agnouerant, mendicos, caecos, claudos, mutilos, leprosos, aetate & morbis confectos senes & anus, quibus ipse singulis dominicis diebus alimenta ex arario Ecclesiae distribuere consueuerat. Eos ante templi fores ordine collocatos, ad constitutum tempus, praefecto urbis cupidè expectanti ingentes auri  
facti

facti & argenti signati cumulos, ostendit: addens, Hos esse illos Ecclesie suae thesauros, *ἡκε κεμύλια*, quorum cura tanto studio sibi ab Episcopo Xisto ante mortem esset commendata, ne quid inde sineret perire, cum Deus illis ceu preciosissimis uasis, imò ceu stellis, aliquando caelestem aulam suam esset exornaturus.

Sed frustratus spe sua & insuper (ut putabat) etiam superbè derisus praefectus, rapi ad supplicium illico iubet Laurentium, & alacri uultu ostendentem, se ad quaeuis supplicia ferenda paratum, imponi craticulae, cui prunae substrate erant, ut lento igne excruciatum, auari praesidis crudelium animum atrocitate & diuturnitate supplicij exaturaret. Ibi non eiulatus edere, non queritari, nō conuiciari, aut mala imprecari suis tormentibus Laurentius, sed celebrare filium Dei leti gratiarum actione & ardenti inuocatione: tandem conuersus facie ad praefectum, unum, inquit, latus iam satis assatum est (ut opinor) appone igitur de illo quod uis, & comede, & reliquum latus inuersum, assa similiter. Atque in hac constantia confessionis & alacritate ac aequabilitate animi perseuerans, & subinde preces pro incolumitate Ecclesiae repetens, tandem in craticula expirauit.

Hanc historiam, propter iuniores, breuiter commemorare uolui, quod eam notam esse utile arbitror, cum multa ibi sint de quibus eruditè disputari



putari possit. Nam quæri solet, Rectene fecerit Laurentius, quòd præfecto Imperatoris nomine petenti thesauros Ecclesiæ ad usus publicos, contumaciter se opposuit, cum potuerit, amissione pecunie, & suam uitam redimere, & placare crudelitatem Tyranni, ob hanc exacerbationem grassaturi atrocius in Ecclesiam, atque ita toti coetui credentium tranquillitatem hoc obsequio comparare: Sed quia hæc quæstio aliàs hoc in loco eruditè agitata est, omissa ea, pauca dicam de magna dissimilitudine inter Laurentium patientem horribile hoc supplicij genus, & Christum filium Dei, leuiore, ut uidetur, supplicij genere necatum.

Laurentius hanc horrendam affationem & ustulationem durabilem corporis ita patienter perfert, ut non modo uocem fracti dolore animi testem aut gestum deformem, per impatientiam non edat, uerum etiam in ipso supplicio accerbissimo, tranquillo animo, quasi iocans, tyrannum derideat. Christus uero (ut constat ex historia) etiam antequam caperetur ab hostibus, in horto, quam miserè torquetur & angitur animo? quàm flebiliter discipulis aperit suam moesticiam? inquitens, Tristis est anima mea usq; ad mortem: Item, spiritus quidem promptus est, caro uerò infirma: Quam anxie orat patrem? ut calix ille à se transferatur, quàm humiliter surgens à precibus, accedit ad discipulos suos? affatur eos, exuscitat dormientes,

mientes, petit ut secum in hoc agone uigilent, & quasi opem, aut saltem consolationem ab eis requirens, subinde ad ipsos reuertitur: denique quam significantibus uerbis Marcus expressit hanc in in ipso doloris magnitudinem? cum inquit, ἡγοῦμαι ἐκστασεῖσθαι ὑμῶν ἀδελφῶν, hoc est, quasi cum stupore consternari, & uehementer angri animo. Quid? quod anxietatis impetus exprimit ipsi δρόμους sanguineos loco sudoris, eaq; omnia ei eueniunt, antequam corpus ab hoste excrucietur. In ipsa uero cruce quam tristis & stupenda uox illa fuit de Messia prolata? cum exclamat se à Deo esse desertum, et sitim sibi potu restringi postulat. Quid horum simile in Laurentio cernitur: Imò, quæ non signa eminent in Laurentio animi celsioris & firmiteris?

Iam igitur sic argui potest:

Maior leticia, aut saltem minor trepidatio, in supplicio, est signum maioris constantiæ & roboris animi. In Laurentio non modo trepidatio deformis nulla conspicitur, uerum etiam leticia quasi exultans in ipso cruciatu: in Christo uero, etiam ante tormenta corporis, uox & omnes corporis gestus summam trepidationem & nullam letitiam ostendunt. Ergo Laurentius excelluisse uideri potest fortitudine animi & constantia Christum, cum tamen personæ sint in infinitum inæquales. Ad huius argumenti solutionem  
necessæ

necessaria mihi esse uidetur consideratio eorum  
 malorum, quæ à pluribus tolerantur. Nam maior  
 Propositio tum demum uera est, cum equalia sunt  
 mala, quæ à pluribus ferenda sunt, ubi si quis præ  
 cæteris deformiter trepidat, uerisimile est illum  
 mollicie animi refugere passionem, Sed infinitum  
 discrimen est inter ea, quæ Christus sustinet,  
 & inter illa, quæ Laurentius patitur. Hic enim  
 animo nihil mali sentit: sed letatur in Deo, scit se  
 propter mediatorem, quem fide apprehendit, ha-  
 bere placatum Deum, scit se in causa confessionis,  
 pro gloria Dei ex uoluntate ipsius, hoc supplicium  
 nullo suo delicto meritum ferre, scit suam mortem  
 futuram testimonium doctrinæ, & confirmatu-  
 ram in multis fidem & constantiam in confessio-  
 ne simili: scit sibi promissa esse in cælo sempiter-  
 na præmia, infinitis modis superatura hanc breuis  
 temporis passionem, letatur tempus adesse, quo li-  
 beratus ex hoc tristi carcere scædati peccato cor-  
 poris & inquinatissimi mundi, possit transire ad  
 æternam consuetudinem & uitam cum Deo, &  
 coràm frui luce, sapientia iusticia, & cæteris, quæ  
 in Deo summa sunt, æternis bonis, & uniuersa  
 gloria. Horum bonorum conspectus & desiderium  
 in Laurentio absorbet, & hebetat sensum ex-  
 ternorum cruciatuum in corpore quod solum pa-  
 titur, & erigit animum auxilio spiritus sancti ad  
 illam animi tranquillitatem & letitiam, quæ foris  
 etiam euidentibus signis conspicitur.

Sed

Sed Christi passio infinitis modis est maior, Ipse enim non tantum corporis lacerationem reformidat aut refugit, sed laborat sustinens & integre sentiens horrendam iram Dei aduersus peccatum totius generis humani, effusam in ipsum, unà cum sensu eternæ mortis & abiectionis à Deo, quam nullus hominum aut angelorum sustinere potuisset. Hoc singulare est in filio Dei, qui ideo massæ carnis nostræ uniri uoluit, ut sustinere sua omnipotentia illam immensitatem pœnæ, pro Laurentio & nobis omnibus posset, ut persoluto lytro Deus nobis placaretur, & remissio peccatorum ac eternarum impetraretur. Cum igitur infinita sit inæqualitas inter mala, quæ patiuntur Christus & Laurentius, non est mirum, etiam gestus & significationes externas doloris esse dissimiles.

Sed hic obijcitur aliud argumentum.

Maximus amor absorbet sensum & metum mortis: ut parentes cernimus in periculis liberorū ruere in præsentem mortem, præ magnitudine & ardore innati amoris erga sobolem. In Christo fuit ardentissimus amor erga Deum & hominum genus. Ergo illius amoris immensitas debebat tollere omnem trepidationem & fugam mortis: sicut uidemus Agatham, Laurentium & alios quosdam Martyres alacriter adijisse ac pertulisse atrocias supplicia. Hic etiam ad Maiorem respondendum

Dd      censeo:

censeo : Metum & sensum mortis absorberi amoris magnitudine, si præter mortem corporis aliud malum non sit adiunctum. Sed Christo minimus cruciatuum erat perferre lacerationem & mortem corporis : Alius ex prius dictis causis eum intus excruciat dolor, cuius signa foris conspici non fuit mirandum.

Sed cum fatear me, per infantiam, magnitudinem istarum rerum explicare non posse: officiosè rogo Reuerendum Dominum Doctorem Paulum Eberum huius Ecclesiæ Pastorem, ut ad erudiendos iuniores accuratius & uberius de horum argumentorum solutione differat.

D I X I.

## R E S P O N S I O.

**E**Go uerò Doctissime Magister existimo fontes solutionum ueros à te monstratos esse, quantum in ista breuitate fieri potuit, Nam harum rerum amplitudinem exhaurire, nullius creaturæ sapientia potest. Verum est, minorem in passione trepidationem esse argumentum magnitudinis animorum : cæteris paribus, si æqualia sint mala, quæ à diuersis sustinentur.

Patitur quidem Laurentius horrendos cruciatibus in illa membrorum ustulatione, sed tantum corpore sentit dolores, animus integer est, & le-  
tatur

tatur in Deo, & roboratur à Spiritu Sancto, qui est, ut in templo canimus, in labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium, seu, ut in Zacharia nominatur Spiritus gratiæ & precum, accendens in Laurentio fiduciam certam misericordiæ, qua statuit se esse acceptum Deo propter Filium mediatorem, propter quem scit se habere certam spem hereditatis uitæ & consuetudinis æternæ cum Deo, quorum bonorum infinita magnitudo, monstrata Laurentio, per uerbum & spiritum sanctum, gignit in corde letitiam tantam, que uelit hanc obedientiam in cruce, & leniat sensum externorum cruciatuum, adeo ut nullus foris conspiciatur gestus indecorus, molliciem animi aut impatientiam arguens.

Sic de puellis quoque sanctis legimus, accessisse eas, cum tripudio quasi, ad supplicia exquisitæ crudelitatis plena.

Et meministis uos aliquando audire similem narrationem, de Anglico quodam Ludimagistro, à reuerendo præceptore nostro Domino Philippo sanctæ memoriæ, quam historiam propter eos, qui recens huc accesserunt, repeti utile esse arbitror.

Ille Anglicus Ludimagister, uir pius & eruditus, ob admonitum per literas de impia concione sacrificulum, delatus apud Regem, Henricum VIII. & calumnijs oppressus, damnatur, ut hæreticus ad rogam. Pridie autem eius diei, qui sup-

plicio destinatus erat, inuisit eum quidam ex amicis in carcere, afferens aliquid delicatioris cibi assati & obducti panca crusta, quod genus conditurae pastetas Angli uocant. Ibi cum ultimum simul cœnarent, & captiuus cupidius attingens carnem feruentiorem, lesum illo nimio calore digitum retraheret, ridens suam ipse molliciem reprehendit inquires: Ecce nunc unius digituli uisionem ferre non possum, contrectata carne feruentiore, quid cras faciam, cum totus cremabor.

Deinde conuersus ad serios sermones, multa pijsimè disputauerat cum amico de necessitate confessionis, de miseria huius erumnose uitæ, de beneficijs partis nobis passione & morte filij Dei, de immensitate gloriæ promissæ filijs Dei in altera uita. Sequente die cum ad audiendam sententiam capitalem in aulam esset adductus, & Rex ipse alloquens reum, proiecto ante ipsum fasciculo samentorum, quem gestare coguntur ad locum supplicij illi, qui igne cremantur in Anglia, liberum fecisset optare utrum uellet, uel uitam, quam seruaturus esset, si confessus errores suos publicè recantaret, ut loquuntur, uel cum fasciculo rogam eligere, si persistere in heresi decreuisset, Ibi Ludimagister procumbens in genua Regi gratias egit pro hac clementia, & palàm testatus est, secundum Deum nullius autoritatem in terra se plus ris facere, quàm Regis sui, neminem etiam plus reue-

reuereri & amare, quam Regiam maiestatem, sed non posse se Deum contumelia adficere, abiecta ipsius ueritate, de qua certus esset, & pro cuius patefactione Filio Dei in tota æternitate gratias acturus esset, inde positum ante se fascem uirgultorum arripiens, & cum complexo exosculans, O mihi dulcissime fascicule, inquit, tu me potius crematum huic miseræ uitæ exime, quàm ut contra Deum clementissimum meum prudens, & sciens aliquid faciam, & Filij ipsius sanguinem pro me misero peccatore effusum, scelerata abnegatione ueritatis ab ipso patefactæ conculcem. Atque ita fasciculum pro more gentis illius gestans, ad rogam perductus est, ubi multum adhortatus turbam circumstantium ad uenerationem Regiæ Maiestatis, & ad studium & amorem pietatis ac ueritatis, animosissimè perferens supplicium, inter inuocationem claram Filij Dei, & cantiones Psalmorum, tandem flamma suffocatus est.

Hæc memorabilia sunt, & admiratione dignissima, sed fieri ita experientia huius nostræ ætatis docuit, quæ plurima tristissimorum suppliciorum exempla passim habuit, quæ pij homines etiam ex foemineo sexu magna animorum alacritate & constantia pertulerunt, ut conspici possit uerissimum esse id quod Christus ad Paulum inquit: Virtus mea in imbecillitate perficitur.

Sed longè tristiora mala sustinuit Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui cum uniuersam



molem peccatorum totius generis humani in se deuoluisset, habuit non tantum totam rerum naturam sibi aduersantem factus piaculum & ὄνειδος & maledictum pro nobis, sed etiam Deum ipsum, natura insensissimum peccato, sensit inimicum sibi, ita ut quoquo uersus animi & corporis oculos circumferret, nihil nisi iram, pœnas, mortem, inferos, abiectionem & damnationem cerneret. Hoc diluuium iræ diuinæ & pœnarum in unum hunc hominem effusum, absorpsisset eum, nisi diuinæ naturæ massam quam assumpserat mortalem, sua omnipotentia sustentasset. Hunc oceanum iræ Dei cernens in se unum irruere Christus, sicut Esaias inquit: Fecit in eum incurrere peccata omnium nostrum: & in horto clamat, Pater, si fieri potest, transcat à me calix iste, Et in cruce, Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti.

Et ideo tam diligenter illa ὄνειδος & ὄνειδος ab Euangelistis descripta est, ut sciremus, infinitis modis maiora esse illa, quæ filius Dei pro nobis pertulit, quàm quæ uel Laurentius uel Anglicus ille Martyr tulerunt, uel ulla rationalis creatura cogitando assequi, nedum sustinere & perferre ipsa potest.

Ex quibus æstimari utrumq; debet, primum, quàm fœda & Deo inuisa res sit peccatum, cui tanto

tantopere irascitur Deus, ut ne quidem filio suo dilectissimo parcat, quin in illo quod mortale est, & passibile, horrendis modis conterat & destruat, quia se alienorum peccatorum reum fecerat, & ad satisfactionem pro peccatis generis humani se ipse obligauerat & abiecerat.

Hæc sepe cogitanda erant, ad excutiendam detestabilem securitatem nostram, quæ extenuans peccata & iram Dei aduersus peccatum, cum contemptu Dei ruit temere in tetra flagitia, quasi res leuis sit & facilimè expiabilis uiolatio mandatorum Dei.

Deinde etiam considerari debet immensitas amoris Dei patris erga genus humanum, qui ne periret funditus opus à se ad imaginem suam factum, cum aliud nullum æquiualens precium in uniuersitate rerum creatarum inueniri posset, Filium suum coeternum uoluit fieri uictimam pro liberatione generis humani. Cogitetur etiam immensitas amoris Filij Dei ultrò se offerentis ad hanc tristissimam legationem & cum desiderio accedentis ad hoc opus redemptionis nostræ, sicut inquit ipse: Desiderio desiderauit hoc postremum pascha manducare uobiscum.

Harum tantarum rerum cogitatio exuscitet in nobis timorem Dei, fiduciam, dilectionem Dei

coniunctam cum studio gratitudinis & seriae obedientiae etiam in cruce & afflictionibus, quae nobis diuina uoluntate imponuntur, ut hac tristi Passione Filij Dei liberati à sensu irae Dei et aeternae damnationis, leti in Deo acquiescamus, exemplo Laurentij sensum externi cruciatus uincētes cogitatione, & certa spe, & desiderio aeternorum bonorum, ad quorum possessionem & fruitionem, ut nos clementer perducatur benignissimus Deus, & interea in hac uita nos uerbo & spiritu sancto suo doceat, regat, roboret, sustentet ac conseruet in sanctificatione sanctissimi nominis sui, in partitione regni sui, in aliqua obedientia mandatorum suorum, coniunctis eum uotis per Iesum Christum dilectum ipsius Filium unicum saluatorem nostrum ardentem & indefinenter orabimus.

D I X I.

ORATIO DE INITIIS  
PROGRESSIONIBVS ET INCREMENTIS  
Doctrinae eruditae in Academia  
Lipsensi & Vuitebergenfi.

DE Plauto scimus uersus quosdam commemorari, ipsumque hos composuisse à Varrone esse traditum: In quibus est, postquam ille sit morte captus.

te captus, lugere comœdiam, & scenam esse desertam, & nescio quid nugarum collacrimasse. Nos autem multò uerius atque rectius perhibere possumus, sublato è terris Magistro, præceptore, parente communi, summo uiro Philippo Melan-  
thone, & nostram Academiã in orbitate atque solitudine relictam, & plurimis publicè priuatiq; tristitiam, mœrorem, luctum oblatum, damnaq; & incommoda data esse: Sed de alijs dici necesse non est: Nostra autem & propria detrimenta ante oculos & in manibus sunt. Quæ enim doctrinæ pars non desiderat ingenij studiijq; ipsius facultatem & adiumenta? Ipsa loca, non magis resonantia uoce eius, squalidiora sunt. Quis autem nostrum omnium non indies cum maxima molestia & anxietate ( ut detrimentum taceam ) requirit Religiosæ pietatis huius integritatem, & curam ueritatis, & sapientiæ copiam, & prudentiæ consilium, & eruditionis usum?

Nam quid ego commemorarem benignitatem & liberalitatem ipsius in uniuersos? In quo enim unquam clausa fuit, uel non effusa potius Philippi Melanthonis munifica & proluxa largitas? Quis, non impetrato quod petiuisset, ab hoc dimissus? Cui non profuit ille? aut, de quo non est bene meritus, impertiendo necessaria, aut nauando operam? Qui ex animo & sincerè communicauit cum omnibus cuncta, quibus augeri ornariq; ali-

qui possent: Neque auxilium neque fauor ipsius ulli defuit, siue admonitione, seu commendatione, seu etiam defensione opus esset: Neque parsimoniam adhibuit ille unquam in subleuando egentes, uel dando etiam quibuscunq;. De quo nunc plura non dicam.

Quæ autem exposui, ea cum ad omnes ordines, conditiones, ætates, res, tempora pertineant: Istos tamen coetus, & celebritatem scholasticorum conuentuum imprimis acerbissimi doloris sensum hac morte percipere necesse est, in quibus non magis audiuntur, neque recitantur composita à Philippo Melanthono, silente iam uoce eximia in solennibus congregationibus, neque hac facultate nos amplius instruente. Etsi autem tali uiro è medio sublato, plus damni acceptum est, quam ab aliquibus fortè creditur, & deteriora ( nisi propitius Deus, piorum precibus motus, auertat ) euenient, quam metuuntur, & nostrorum studiorum cursus undiq; impeditus adherescit ac retardatur: Non tamen, tanquam in mari nauis spoliata gubernatore, & fluctuans, omni ope destituenda est administratio Academiæ. Esset hoc crimen illius, quem ereptum nobis deploramus, non se tam diuturno labore & fideli assiduitate efficere potuisse, ut relinqueret decedens idoneos aliquos ad sustinenda ea onera communiter, & coniunctis studijs, quæ ipse suscepisset & pertulisset solus.

Confitemur & prædicamus Philippi Melanthonis

thonis in omni genere excellentem industriam, cum qua nostra non comparanda sit: sed ut Poëta Lyricus, non ideo, quòd priores teneat Mæonius sedes Homerus, latere, ait posteriorum Poëtarum Camenas: sic eminentibus quidem Philippi Melanthonis speciosissimis operibus, nostri tamen etiam studij conatus & operæ diligentia conspici poterit. Sæpe in prælijs, Imperatore aut Duce cæso, afflictam rem & turbatam aciem, alicuius tribuni centurionis'ue uirtus, aut militum etiam consentientes animi, coniunctæq; manus restituerunt. Et ita se res habet, ut in terris omnia, non permanendo, sed succedendo, durare possint. Equidem timidè hæc dico, & sentio ualde isto loco perturbari animum meum, & quid amiserimus intelligo: de ijs autem quæ secutura sint, ut non debeo neq; fas est desperare, sic, cum esse animi mei nonnullam hæsitationem fateor, tum orationem uerecundam atq; modestam esse decet.

Meminimus superiore anno, cum optimus præstantissimusq; & uir & Medicus Doctor Iacobus Milichius ex hac uita migrasset, quanta Philippi Melanthonis mœsticia fuerit, cum gemitu & lacrimis prosequeretur mortem illius, non modò desiderio ueteris amici, quo longo tempore familiarissimè usus esset, sed cogitatione etiam accepti damni: quando copioso sermone, qualis & quantus uir ille ereptus publicæ utilitati esset, demonstrauit, predicando ipsius religionem, pietatem;

fidem,

fidem, uirtutem, sapientiam, humilitatem, & in-  
credibile studium in legendo non modo antiquo-  
rum utriusq; linguae autorum libros, sed euoluen-  
do etiam huius seculi scripta, si qua esse lectione  
non indigna iudicasset. Cum enim ille antiquita-  
tem ( ut decet ) ueneraretur, & præcipuam exi-  
miamq; curam in hanc conferret, non deerat ta-  
men recentibus quoque operibus fauor illius, ac  
potius hæc etiam admiratum esse eum, & magni  
fecisse candidissimo iudicio, scimus. Non com-  
morabor nunc in alijs quàm plurimis nominan-  
dis, quibus amissis magnæ iacturæ factæ sunt, quæ  
recitatio incideret etiam in domesticam mentio-  
nem.

Sed omnino nostræ miseriæ hic quasi colophon  
accessit, ut non multi una, cum Philippo Melan-  
thone, iucundissimæ familiaritatis consuetudine,  
& officiorum firmissima coniunctione, & bene-  
ficiorum semper paratis meritis priuati, sed om-  
nes ut ( rebus dubijs atque difficilibus ) ope auxi-  
lioq; destituti sint, & præsidium defensioq; Aca-  
demie crepta. Non possumus igitur non maiorem  
dolorem capere animis nostris, quam uerbis sig-  
nificare concedatur, neque magnitudo infelicitatis  
consolationem adhuc admittit, & deplorare  
nos grauiterq; ferre cogit hunc casum detrimenti  
acerbitas: quamuis cum ipso quidem quàm opti-  
mè esse actum intelligamus, neque eius, quem ut  
præceptorem, imò parentem, amore maximo pro-  
sequi-

sequimur, prosperam fortunam deslere debeamus. Nam & mediocre curriculum confecit uiuendo, & laboribus perpetuis defatigatus ad quietem translatus est sempiternam. Quis enim nescit? in quantis occupationum infinitarum quasi fluctibus ille iactatus fuerit, cui ignotæ sunt assidue interpellationes ipsius? cui molestissima negotia? quæ ei non indies, sed horis singulis fiebant: cui curæ? quibus distrahebatur huius uiri animus, non ille quidem respiciens ad se aut suos, sed publicam utilitatem circumspiciens, & omnium priuatim commoditates complectens.

Accedit, quòd ea tempora iam existebant, quorum tristitiam, si uita ei suppeteret, deplorare posset, conditionem & statum iuuare, facereq; meliorem haud scio an non posset. Tantam quasi procellarum seuitiam incitari uidimus odij, inuidiæ, maleuolentiæ, cum horribili caligine obtrectationum & calumniarum, & ueluti fulminibus insectationum atque maledicentiæ. Sibi omnino ille feliciter & oportunè decessit, effugiens impetus crudeles aduersantium tranquillitati, & eò se recipiens ubi in pace certa acquiescere liceret. Nihil iam enim in beata uita illi nocere potest, quamuis, aliqui, tanquam feræ bestiæ, umbram & specimen irruendo petant, dum corpus & rem attingere nequeunt. Obscænarum etiam auium clangores foedi non desinent obstrepere famæ & nominis MELANTHONII excellentiæ atque



que claritati: Et nunc adeo quosdam execrandos stridere oscines fertur κακῶς (Secundum Trægædiam) κλάζοντας ὄϊσιν καὶ βεβαρβάρων πλῆθιν. Quæ nefandæ uoces siue musitentur, seu etiam intendantur, & grandiores fiant, nihil retulerit uel illius, qui semper talia contempsit, uel nostra, qui nihil curamus, aut etiam, ueluti Horatiæ parræ recinentis omen, detestamur.

Non igitur quicquam mali morte accidit Philippo Melanthoni, ac plurimum potius boni contigit: Consilij, ingenij, autoritatis, pietatis, humanitatis, doctrinæ usu fructuq; nos sumus spoliati: ita tamen, ut eius, cuius morte moeremus, beneficio, ab ipso constitutæ res nobis relicte saluæ incolumesq; permanere posse uideantur, ijs tuentibus atque conseruantibus, quos ille, cum docendo instituisset officijsq; tribuendis coniunxisset, expertus est semper, & nunc habet memores maximorum benefactorum atque gratos. In quorum numero extremum quoq; me poni, & ultimo loco, facillè patior: modò inter eos censear, qui Philippum Melanthonem admirantur, colunt, celebrant laudando, præceptorem communem agnoscunt, & memoriam illius, tanquam parentis optimi non degeneres filij, ueneratione & honore prosequuntur. Quorum honestissimum agmen sequi malo, quàm aliud, nescio quod, ducere: & honestius mihi esse persuadeo præceptorem hunc

bunc nominare, quam doctoris appellationem contra hunc ambire.

Cum autem alij, non illas quidem labantes res, sed tamen commotas, præclare possit instaurare, atque fulcire: etiam à mea tenuitate, meo loco, aliquid operæ (ut spero) nauabitur, si non ingenio, atque solertia, at diligentia, & sedulitate, cuius subsidio & me esse perfecturum confido, ne claudicet administratio Academiae in ea doctrinae parte, quæ mea est propria, cum cæteris omnibus illa sit laudabilis atque fructuosa. Curatio mihi nuper lata est rei honestissimæ, & in scholasticis conuentibus maximè utilis, uel, si illi consistere debeant, omnino necessariæ, ut præessem iudicio de studijs scholasticorum nostrorum: quibus si digni uiderentur, titulos honorum præcipuos discernendos curarem, ut optimarum disciplinarum atque artium Magistri appellarentur. Negocium hoc gessimus cum ea, qua par fuit, diligentia ac fide. Adhibiti sunt optimi & doctissimi uiri aliquot, qui, & interrogando, quantum quique discendo profecissent cognoscerent, & de uita moribusque singulorum ferrent sententiam. Nihil omissum est attentionis, uel etiam seueritatis in inquirendo: Comperimus omnes hoc ornamentum & decus mereri, & consentientibus suffragijs honoris eximij pulcherrimum nomen tribuendum esse statuimus uniuersis. Renunciatio autem ad me pertinet, eam peragam consuetudine

Acad=

Academice nostræ: Vbi pauca quedam, secutus morem hactenus seruatum, dixero, quæ animos audientium aliqua non futili neque inani cognitione instruere possint. Recordor autem sepe ex hoc loco historiarum prudentes narrationes esse recitatas: quod in præsentia & à me fiet, sed ita ut expositio omnis cum disputatione quadam de studijs commisceatur. Hanc orationem neque iniucundam audientibus, neque utilitatis expertem fore existimo.

Commemorabo autem Progressiones & incrementa doctrinæ eruditæ apud nos, eius temporis, cuius nostra parentumq; nostrorum ætas memoriam complectitur. Quas contemplantes multa animaduertere poterunt quæ non modo delectent, sed prosint etiam. Referam autem pleraq; audita ab alijs, inq; his primis patre meo, de quo omnium bonam esse existimationem certò scio, neque de ipso me splendidius loqui conuenit. Atque ut ad rem ueniamus. Non puto esse quemquam in hoc cœtu, qui dubitet, aut demonstrandum esse arbitretur, doctrinæ eruditionem esse ad Deum & homines rem optimam & præclarissimam: & contra, barbariæ inscitiam turpissimam atque deterrimam. Hoc igitur me nunc probare esset superuacaneum. Reliquum igitur est de initijs doctrinæ sincerioris & rectioris apud nos, deq; studiorum liberalium restitutione, & ijs  
qui

qui in percolendis illis præcipuè elaborarunt, breuiter differere.

Primum autem, scilicet, opus fuit fundamenti, cui sapientiæ & humanitatis quasi extructio imponeretur, quem esse Grammaticæ tractatum meum ignorat, in quo quasi conformando ad aliquem usum sermonis, & scripta ueterum intelligenda, haud scio an nemo nostrorum quidem hominum prius aliquid magnopere adiumenti attulerit literarum studiosis, quam Bebelius & Henrichmannus. Quorum illius ante multos annos mortem, adolescens tum, Philippus Melanthon uersibus græcis celebravit, eiusq; rei nouitas plerorumq; animos admiratione commouit: Hic adhuc placidam uitam ( ut audimus ) degit Augustæ Vindelicorum, uir honoratus & feliciter senescens, neq; enim multo eum ab annis centum abesse oportet, si quidem hos nondum uel attigit, uel etiam superauit. Ante annos LV. edita præcepta ab ipso Grammaticæ in precio fuerunt propterea quod ordine perspicuo tradi omnia cernebantur, & addebatur exemplorum illustris copia. Audiui ex patre meo, optimum uirum & fidelissimum præceptorem ( quo ipse quoq; uteretur ) illis temporibus GEORGIVM HELTVM, nostræ Academiæ non ignotum, suis discipulis eum librum proposuisse, ita ut ediscere cogeret hos uerbosas sanè commentationis accurate expositiones: atq; multis fuisse id per quam molestum ac graue.

REVCHLINI (qui Capnionem græco nomine se appellabat) iisdem serè temporibus studio atque industria tam Hebraicæ quàm Græcæ literæ apparere & conspici in Germania cœperunt, & incredibili cupiditate eruditæ doctrinæ iuuentus exarsit. Quando & Philippi Melanthonis (quod hic facillè cum ingenio atque natura, tum studio ac diligentia præstaret) in prima adolescentia, ac pene pueritia, celebre nomen fuit. Pulcritudo rei insuetæ oblata oculis nostrorum hominum ingenium amorem in animis excitabat, utilitas etiam intellecta plurimos alliciebat: ita tum accidit, ut bonarum literarum studia colerentur, & essent in precio atque in honore doctores illarum, & paulatim obsolescerent priores institutiones scholasticæ. Quod si qui neglectiorem harum iniquè ferrent, hoc modo consequebantur, ut in odio essent, & à quibusdam irriderentur. Sed hæc omittenda sunt hoc loco.

Omnino feruebat opus, & deserebantur; translationes prioris doctrinæ obscuræ atque futilis, & nitor elegantiaq; disciplinæ politioris expetebatur. Tunc Lipsiam Ricardus Crocus Britannus, qui in Gallia auditor fuerat Hieronymi Aleandri, uenit anno Christi M.D.XV. professusq; doctrinam Græcarum literarum, omnium amorem fauoremq; statim est maximum consecutus: quod huius lingue non primordia, ut aliqui ante ipsum, sed integram atque plenam scientiam illius afferere, &

re, & posse hanc totam explicare docereq; uide-  
retur, Negabat meus pater credibile nunc esse, id  
quod ipse tunc cognouit: Tanquam cœlitus de-  
missum Crocum omnes ueneratos esse aiebat, u-  
numquemq; se felicem iudicasse, si in familiarita-  
tem ipsius insinuaretur: Docenti uerò & merce-  
dem, quæ postularetur persoluere, & quocunq;  
locotemporeq; præstò esse, recusauisse neminem: si  
concupia nocte se conueniri, si quamuis longè ex-  
tra oppidum iussisset, omnes libenter (inquit) ob-  
secuti fuissent. Hunc & se instituto præceptoris  
Helti (qui magnos sumtus faceret in Croci do-  
ctrinam) publicè priuatimq; audiuisse meus pater  
dicebat, cum haberet condiscipulum Ioachimum  
Camerarium: quem ipsum quoq; scimus de his sepe  
mentionem facere, non sine iucunda recordatione  
flagrantis tunc studij & incitate cupiditatis di-  
scendi, quam tantopere paulò post cœpisse remit-  
tere, & nunc plane frigere deplorat. Præfuerunt  
doctrinæ latinarum literarum eo tempore Lipsiæ,  
Vitus Verlerus, & Georgius Cœlius Aubanus,  
Francus uterq;.

Georgius autem Heltus, cum diligentia & fide  
institutionis, tum disciplinæ sanctitate, parem al-  
terum non habuit. Delitianus etiam, qui Epistaten  
se nominabat, in opinione fuisse perhibetur sin-  
gularis & eximie doctrinæ: qui tamen quod do-  
mi ferè latitaret negligens cultus & usus humani,  
& intra parietes docendo non adhiberet splendo-

rem orationis, & tota uita horridior esset, magis suspiciebatur quàm colebatur. His Iohannes Langus Lempergius accessit, quem accuratè & exquisitè ueterum autorum monumenta explicantem, multos auditores allicere solitum accepimus: Isq; nunc etiam Medicinæ facultate excellens, eruditissimis scriptis probat, quantum his studijs (de quibus loquimur) operæ laborisq; impenderit. In adolescentibus eminebat Andreas Francus Camitianus qui postea dignitatem Iuris scientia satis amplam est consecutus.

Non possum neque debeo omnia, quæ comperi, nunc recensere, neque omnium, de quibus indicatum est, nominatim meminisse, cum quidem propositum sit, De harum Regionum doctis & politis, uerba facere. In qua mentione necesse fuit, priores tribuere Academiae Lipsiæ, ut antiquiori, & aliquando copiosiori. Sed nunc persequamur reliqua. Cum Croco aduenerat Iohannes Mczeleus, tanquam discipulus sectans Magistrum. Paulò post & Petrus Mossellanus Lipsiam se contulit. Apud nos quidem recentes res, & quasi adolescens Academia indies tum fieri grandior atque firmitior, augente iam famam huius cum aliorum doctrina atque sapientia, tum eruditione Æstiacampiani: quem quòd quidam maleuoli Lipsia eiecissent, existimatio de eo maior fuit, quia, non tam suo commerito aliquo, quàm iniquorum in meliora studia & bonarum artium professionem odio

odio, expulsus esse, illum constaret. Interea sanctitate Religionis nostræ, non modò superstitionis leuitate, sed malicia etiam & fraude improbitatis, obscurata & uiolata, adeo, ut maximarum rerum salutaris ueritas ad errores fœdos & nugatoria commenta detorqueretur: De Theologia quoque quæstiones contentionesq; sunt insolitæ exortæ.

Et cum Lipsia Crocus decessisset reuertens in patriam, cique Petrus Mosellanus successisset, Philippus Melanthon (id quod ignotum nemini est) de sententia cognati sui Capionis, ab Illustrissimo Principe Electore Duce Saxonie Friderico, Ernesti filio inuitatus per quàm honorificè ad doctrinam exercendam in Academia sua, uenit huc anno Christi M. D. XVIII. Huius anni initio Ioachimum Camerarium Lipsia decessisse narrabat pater meus, cum socium illum habuisset studiorum annis ferme quinque, cumque circiter annos ex his tres ambo Croci Mosellaniq; doctrinam frequentassent. Crocus præcepta Grammaticæ in primis calluit, & is fuit qui tradere ea planè & perspicuè sciret: Atque edidit tum elementa huius, tabellis quibusdam explicata, qui libellus nunc etiam, in tanto aceruo scriptorum huius generis, is esse existimatur à peritis linguæ Græcæ, ut, ad institutionis celeritatem et commoditatem discendi, uix alius ullus magis idoneus reperiri posse uideatur. Mosellanus autem, cum uoluntates con-



uertere ad altiora, & spem melioris uberiorisq; doctrinae facere scholasticae congregationi coepisset, naturae infirmitate (quod esset corpore supra modum gracili atq; tenui) studiorum defatigationes diu tolerare non potuit: Quibus oppressus, admodum iuuenis obiit, anno postquam publice docere coeperat, sexto.

Fuit tum nostra Academia admodum frequens, quod, post Philippi Melanthonis aduentum, innumerabiles in illam confluerent: cum iam Reuerendae memoriae Martini Lutheri, praestantissimi Theologi, & diuinitus excitati ad Religionis sanctitatem asserendam, refellendosq; errores superstitionis & fraudes maliciae confutandas, & Iuris Consultorum principum duorum, D. D. Henningi & Hieronimi, fama attraheret undiq; plurimos. Atque haud scio an nullo in hoc loco postea eruditione doctrinae excelluerit quisquam, qui non ex hac Academia prodijisset, cum hic uixisset uel discipuli loco, uel etiam docendi munere functus esset: etsi discipulos esse publicae doctrinae non pudebat eos quoque, qui alios docere ipsi possent & solerent. Quid ego dicam de ijs? qui ad Reipublicae administrationem hinc accesserunt, & amplissimos gesserunt honores: ex quibus nunc etiam aliquos passim ad gubernacula Reipub: sedere non est obscurum. Neque horum nomina, in hac scholastica disputatione inculcanda duxi: in quibus non modò honesta & nobilia, sed illu-

strissima,

strissima, illustria, & generosa plurima reperiuntur.

Fuisse tùm sodalitiùm quoddam celebre præcipuorum genere, dignitate, prudentia, ingenio, eruditione adolescentum, cognoui similiter iudicio patris mei: In quo quamvis interdum hilaritas usurparetur, tamen pudoris & modestiæ obliuionem non irrepsisse, ille affirmabat. Admiseret se aliquis interdum ferocior aut insolentior, ita (inquit) accipiebatur, ut aut congressus ipse eos statim uitaret ultrò, aut animum suum temperando moribus placidis cæterorum accommodaret. Nemo horum in liberali consuetudine ab altero sic offendebatur, ut causa ei iustæ querelæ daretur. Quòd si quis irasci alicui temere auderet, tam negligenter hoc ferebatur, ut sua sponte, & dissimulando, gratia breui tempore reconciliaretur, & expostulationibus nullis relinqueretur locus. Non libet, ne hac quidem in parte, nomina exponere, memorante patre meo mihi nota, adolescentum optimorum, qui postea pleriq; in summos uiros euaserunt: cum et ipse se in illo numero cum maxima uoluptate fuisse diceret. Non ignorant etiam hæc ferè ulli, audita ex alijs. Fuerunt autem hi omnes, qui præ cæteris Philippum Melanthonem obseruarent, & eo familiariter uterentur. Eosdem ipsum quoque Lutherum beneuolentia complexum esse singulari constat.

Neque me fugit reprehendi solere, in nostris

præsertim cœtibus, hilariorem uitam, & haberi  
 pro dissoluta atque leui. Quòd tamen tum merito  
 fieri existimandum, cum ea geruntur atque fiunt,  
 in quibus non modò turpitudine est manifesta, sed  
 non etiam honestas euident. Ebrietatis sceditas ue=  
 sana rixarum, certaminum, pugnaeq; deformitas,  
 obscœnitas uerborum, & quæ alia committi im=  
 probè & petulanter interdum uidemus, ea flagi=  
 tiosa sunt & scelerata: Tristitiam autem uitæq;  
 labores (ut ait Poëta) finire liberali letitia, & (ut  
 alius Poëta fecit) πίνειν καὶ παύσειν καὶ τὰ δ' ἰ=  
 νοῦα φρονεῖν, non est profectò culpandum. De=  
 claratur autem editis opusculis, quid dictum fa=  
 ctumq; fuerit illo tempore. Leguntur uersus, &  
 extant alia scripta, composita ab ijs, qui in soda=  
 litto hoc coniungebantur mutuis uoluntatibus &  
 officijs: Ipso Philippo harum operarum autore  
 & architecto. In quo genere eximium fuisse sci=  
 mus publicè materiam aliquam argumento con=  
 ueniente declamari: quod cum ipse princeps fe=  
 cisset, exemplum istud secuti fuere non pauci stu=  
 diosè & diligenter. Vt autem cupiditas in ado=  
 lescentibus eruditionis literarum maior esset, cum  
 alijs scribendis, tum Græcis in latinum sermonem  
 uertendis, & hortando idem illi ut experiren=  
 tur, emulatione præclara animos ad studiorum  
 bonorum laborem Philippus Melanthon incitare  
 non destitit.

Ita procedentibus rebus apud nos, quemadmo=  
 dum

dum (referentes aliorum sermones) diximus, studia uirtutis & sapientiæ, coniuncta pietati, conlendo effloruerunt, nostræq; Academiæ conciliarunt famam celeberrimam. Et quamuis eo loco hæc sita esset, qui incolas opportunitate sua non magnopere inuitaret, plurimi tamen in hanc urbem sedem collocare non dubitarunt relicta patria, & neglectis honoribus dignitateq; & commodis, quibus, uel apud suos uel alibi, potiri facile potuissent. Quo factum est, ut quasi municipium quoddam hoc Musarum, id est, omnis liberalis & ingenuæ cognitionis ac facultatis existeret: Omnes autem boni, quibus hic consistere non licuisset, hanc tamen Academiam, quasi patriam alteram suam gloriando ostentarent. Admisti sanè, ut fit, fuisse nonnulli improbi & mali, ingratiq; erga eos quibus deberent omnia, & maximorum in se collatorum beneficiorum immemores. Quæ tamen nostræ Academiæ præstantissimo corpori labe & macule serius sunt asperse, neque in hoc diu hæserunt. Hæc est Factio quedam, indoctorum aut semidoctorum & scientiæ opinione inflatorum quorundam, calumniatrix & obtrectando maledica: quæ, tanquam soboles praua & impia, in sectando parentes, aliquod nomen ex crimine illorum aucupatur ab inanis uulgi futili applausu. De quibus melius silere fuerit, ne per contumeliam quidem & probrum mentione dignis, hoc præsertim argumento, cum neque sint illi

eruditi, neque eruditionis decus unquam adama-  
uerint.

Quoniam autem ostendimus, unde progressa  
literarum eruditio, & doctrina bonarum artium,  
quibusq; quasi uentis secundis prouecta, eò apud  
nos peruenerit, ut non longè ab excellentie perfe-  
ctione & ueluti fastigio abesse uideatur, ad præ-  
claram certè speciem perducta sit: Reliquum est,  
ut parta non modò tueri sed etiam augere cone-  
mur, Omnia autem ut acquiruntur diligentia la-  
boreq; & studio sic negligentia desidiaq; et igna-  
uia amittuntur. Frustra etiam commemorabitur  
aliorum pietas, cura, ardor mentis ad rerum lau-  
dem, & quicquid speciosum est ac splendidum: si  
interea scelere flagitijsq; uita contaminetur. Si  
neque Dei metu neque hominum respectu tangan-  
tur animi, si turpitude non modò non fugiatur,  
sed affectetur quoque, si langueat ad laudabilia &  
recta appetitio, si in occulto iacere & foribus  
uolutari pergat propositum. Quo enim futili-  
tatis uita moresq; euadere cœperint, perspicuum  
est: tum quanta socordia conualescat, & quod  
frigus occupet scholas, sentitur. Verùm de his  
neque etatem meam decet, neque congruit per-  
sonæ, quasi censoriæ grauitatis inferre oratio-  
nem.

Breuiorem autem multò narrationem meam,  
quàm cæ res desiderarunt, quæ indicata potius  
sunt quàm enarrata, spero nulli omnium fuisse in-  
iucum =

iucundam: fortasse etiam fructu non penitus ca-  
 ritura sit. Intelligi enim potuit, & concordia at-  
 que suauitate honestæ consuetudinis, & incum-  
 bendo in optimarum disciplinarum atque artium  
 studia totis utribus, multos existimationem bo-  
 nam, dignitatemq; & honores consecutos, & no-  
 stram ita Academiã auctamq; ornatamq; esse: quem  
 admodum ostendimus. Vnde constitui potest, quæ  
 simili in spe, & ad parem euentum cuiq; sequen-  
 da expetendaq;, & uitanda ac fugienda sint.  
 Grauiſſimus autor Xenophon docet, pulcherri-  
 mum & potentissimum regnum Cyri in Asia, ut  
 primum dissidio successorum labefactatum, ita de-  
 inceps deficientibus ciuitatibus ac populis dimi-  
 nutum, & omnia uersa in deterius fuisse: Tunc  
 & Religionem atque pietatem primum, deinde  
 omne ius humanum fidemq; uiolatam: Hæc con-  
 secuta esse auaritiæ & luxuriæ uitia, cum & in-  
 satiabili cupiditate lucra, quærentur, & crapu-  
 la, libidinibus, ocio, delitijs, inertia tam animi quam  
 corpora corrumpèrentur: Vnde & omnem  
 cognitionem liberalis scientiæ, & rei militaris  
 exercitationem apud illos interiisse: tandemq;  
 prolapsos ad extremam impietatem, & officij  
 negligentiam & iniusticiam, penitus esse effocui-  
 natos. Haud scio an alia sit Historiæ utilitas,  
 quam, legendo ea quæ temporibus ac locis diuer-  
 sis diuersa acciderunt, in hoc tanquam speculum  
 inspicere, & sumi exempla faciendorum fugiendõ-  
 rumq;

rumq; quibus à uitijs deterreamur, & impellantur animi ad laudem. Hæc utilitas petatur à ueterum quidem libris potissimum, sed mea etiam (nisi fallor) narratio rerum recentium ea considerare, quæ exposita sunt, uolentes instruere consilio & prudentia poterit: ut conferentes cum temporibus homines, tum etiam actiones & studia meliora, uoluntate recta & sano consilio eligant, & deteriora declinent.

Caput autem est felicitatis & diuturnitatis in quacunq; hominum congregatione, consensio eorum qui illam regere debent. Hoc sapientissimus autor Plato simpliciter uerum esse ait, & quæcunque communitas ea sit, donec concordia duret in præcipuis, quamuis hi sint numero pauci, hanc commoueri posse negat: disidijs autem existentibus, simul statum priorem mutari. Hoc oraculum existimandum, & omnibus uiribus annitendum nobis est, in spe non modo dignitatis sed etiam salutis retinendæ, ut quibus Academiam nostram creuisse magnitudine, & ornatam splendore, & celebrem uera laude, & (ut Græci loquuntur) Ζηλοτιῶν factam esse nouimus atque scimus, ad ea persequenda animos, uoluntatesq; & studia, operas, rationes, sententias affectione sincera ac fidei coniungamus. Hoc cum erit tegumentum rebus nostris, & sic præclare pertegentur illæ, ne perpluant, secundum Plautum: tum uerò inimicis & inuidis dolorem asferet maximum & acerbissimum.

bisimum, ut uideant ingratos intabescantque uideo. Successus nostros, ut ait Poëta, suppliciumq; suum sint ipsi.

De quo reliquum est ut precibus utamur, & uota faciamus religiosa mente & ore pio, implorantes opem præsidiumq; Filij Dei  $\sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  &  $\Theta$  & custodis generis humani: cuius deprecatione æternus pater motus, oblitusq; offensionum omnium, & reconciliata gratia, fauore benignitatis sue, humanum genus complexus est, illudq; conseruat perpetua filij dilecti commendatione  $\kappa\alpha\iota$   $\mu\epsilon\sigma\iota\tau\epsilon\rho\iota\alpha$   $\kappa\alpha\iota$   $\Theta\upsilon\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota$ , & mittit spiritum sanctum dirigentem animi intelligentiam ad omnem ueritatem, & uoluntates obsequentium, neque aduersantium cõuertentem ad recta, honesta, laudabilia, uirtutemq; & decus, ut degatur uita in sanctitate & iusticia, sine reprehensione & culpa ad Deum & homines. Huic soli, uni, eterno, omnipotenti, sancto, forti, immortalis, iusto, casto, liberissimo, clementissimo Deo Patri Domini & libertoris nostri IESV CHRISTI sit laus, honor, gloria, & uictoria sine fine.

ORA



## ORATIO INCLYTI

ET GENEROSI DOMINI D. CHRIS-  
tophori Burggrauij à Dhon Baronis & c. qua  
Senatui Academiae, Professoribus huius Vniuersis,  
& conuiujs omnibus ante discessum ad prandium  
inuitatis gratias egit & ualedixit.  
die 27. Octobris.

**M**agnifice Domine Rector, Illustres & Ge-  
nerosi Domini Comites & Barones, uiri  
pietate, eruditione & uirtute præstantes, Præ-  
ceptores & amici carissimi: Gratias ago toto  
pectore æterno Deo, patri Domini nostri Iesu  
Christi, cum Filio unigenito & Spiritu sancto,  
quòd me in uestra Academia sonante ueram de  
Deo doctrinam per filium mediatorè è sinu æterni  
Patris prolatam, & in hac mundi senecta hoc in  
loco per eximia Dei organa præceptores nostros  
denuò accensam, hætenus, quæ diuina est ipsius  
clementia, benignè conseruauit. Deinde & hoc  
grata mente prædico: quòd uiuere me uoluit in  
hac Academia, in qua non modò in honestarum  
artium studijs operam aliquam ponere: uerum &  
hominum doctissimorum, mihiq;, de quo præcipuè  
gaudeo, amicissimorum, consuetudine dulcissimam  
familiariter uti & frui licuit. Ex quibus non pos-  
sum non grata mente meminisse uiri sanctissimi  
(pie memoriæ) Domini Philippi Melanthonis,  
Præceptoris & Parentis nostri dilectissimi. Cuius  
bene

Beneficia cum partim ex publica institutione,  
 partim priuatis admonitionibus & ijs quidem pa-  
 ternis, tanta in me extiterunt, ut non modò non  
 uerbis illa assequi, sed ne cogitatione quidem  
 ad eorum amplitudinem accedere mihi liceat,  
 nulla unquam illorum in animo meo memoriam  
 obscuratura est dum uiuam, obliuio. Vobis uerò  
 presentibus, quos DEVS adhuc uult esse su-  
 perstites, & acceptæ doctrine puritatem pro-  
 pagare, quibuscunque potero studijs & officijs  
 gratum meum animum, propensamq; uolunta-  
 tem probare conabor. Cum autem ea sit rerum  
 mearum ratio, ut mihi in posterum uobiscum ui-  
 uere non liceat, uolui ante discessum meum Se-  
 natum Academiæ huius, cum reliquis Dominis  
 atque amicis meis ad tenue prandium inuitare,  
 ac primum paucis uerbis gratias agere uniuersis  
 celeberrimæ huius Academiæ Senatui, qui sin-  
 gulari quadam in me pietate, beneuolentia &  
 promptitudine summa me huius Vniuersitatis ad-  
 ministratione fungi uoluit, pro qua uoluntate  
 omnibus uicissim & singulis huic Academiæ addi-  
 ctis, debitam animi mei gratitudinem polliceor,  
 officiaq; & studia mea omni in loco promitto.  
 Deinde & Magnifico Domino Rectori, ac cæ-  
 teris Præceptoribus meis pro fideli studiorum  
 meorum informatione ac constanti erga me uo-  
 luntate, ea qua debeo diligentia gratias ago atque  
 uniuersis & singulis, seorsim uerò Magnifico do-  
 mino

mino Rectori, cum quo singularis mihi dulcisq;  
& grata iam dudum consuetudo, multaq; familia-  
ritatis intercesserunt officia, operam, fidem, & gra-  
tiam meã uniuersam defero. Singulares etiam gra-  
tias easq; quã possum maximas ago dominis Co-  
mitibus & Baronibus, cæterisq; amicis dilectissimis  
pro omnib. officijs amicitie et communibus studijs,  
quorũ dum in uita mansero, memoriam conscrua-  
re studebo. Quanquam autem Magnificẽ domine  
Rector tanta M.T. aliorumq; Præceptorum colla-  
torum in me beneficiorum sit multitudo, ut nullo  
unquam tempore parem me referre gratiam posse  
confidam: tamen cum qualemcunq; grati animi tes-  
tificationem necessariam esse intelligerem, uolui  
ad conuiuium hoc non magnificum quidem &  
splendidum, optimo tamen & amico animo instru-  
ctum uos simul conuocare, quod non neglexisse,  
habeo gratiam, atq; eo quoq; amorem uestrum era-  
ga me agnosco. Oro autem Magnificum dominum  
Rectorem cum dominis Comitibus, Baronibus re-  
liquisq; Præceptoribus & amicis, ut tenuitatem  
hanc boni consulant. Quod restat, omnes eterno  
Deo Patri Domini nostri Iesu Christi unã cum &  
Spiritu suo sancto commendo, & ardentibus uotis  
Deum precor, ut Ecclesias & Scholas harum re-  
gionum clementer conscruet, defendat, & guberna-  
net. Me uerò ut gratiæ & beneuolentiæ uestre,  
qua me hactenus complexi estis, in posterum quoq;  
cõmendatum habeatis, etiam atq; etiam peto. Dixi.  
Respon-

ANNO 1560.

431

RESPONSIO MAG-  
NIFICI D. RECTORIS MAGI-  
stri Petri Vincentij Vratislaviensis ad  
eundem Dominum habita.

Illustri & Generose Domine, cum ratio officij,  
quo in presentia fungor, mihi potissimum re-  
spondendi adferat necessitatem, faciam, quod iu-  
beor cum breuitate. Primum omnium gratias  
agimus eterno, omnipotenti, & uero Deo, eter-  
no Patri Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi,  
quod in tanta temporum uarietate & saepe omi-  
nis mutationibus Ecclesias harum regionum,  
& dulcem communium studiorum & doctrine  
alumniam hanc Academiam nostram clementer  
respexerit & conseruauerit, quem nunc etiam,  
ut alias semper, ita in hoc congressu oramus ue-  
ris gemitibus & toto pectore, ut Academiam, in  
qua primum studia purioris doctrine Euangelij  
diuinitus ministerio Lutheri & Philippi sanctae  
memoriae Praeceptorum nostrorum rursus excitata  
sunt, porro Spiritu sancto suo regat, & nos in  
hac orbitate post amissa summa ornamenta & pra-  
sidia sub umbra alarum suarum contra Pontifi-  
cios furores, & Sycophantarum maledicentiam  
& rabiem protegat, ac deinceps etiam seruet,  
quod eum benigne facturum esse de ipsius immen-  
sa bonitate non dubitamus nobis polliceri, freti  
dulcissima promissione expressa dicto Propheta:

Ff Propter

Propter me faciam, propter me, ne blasphemem. Vestra etiam consuetudine Illustris & generose Domine, mirificè omnes delectati sumus, cui & hunc animum, & iudicij dexteritatem gratulamur, quòd summam & uetustam generis nobilitatem doctrina et eruditione ornandam censueritis. Cumq; uestra Generositas non solum ad studiorum amorem, pietatem, animi moderationem & singularem suauitatem morum exemplo suo alios sui ordinis homines inuitare studuerit, atq; ita hoc toto tempore quo uersata est in Academia nobiscum, uixerit, ut dulcissimo Menandri uersu imaginem morum & ingenij uestri expressam esse existimemus, cum inquit, ὧς ἠδὲ στωέσαι θεοτόμος κερκαμυδῆν, Sed etiã delato à nobis summo in Academia magistratu eadem Generositas uestra cum summa grauitatis & sapientie laude perfuncta sit, nos uicissim & illarum omnium quas dixi præstantissimarum uirtutum præconium merito uobis tribuimus, & ab Academia & nobis omnibus gratiam uobis & beneuolentiam perpetuam deberi profitemur, Ad quam etiam quasi mutuo fœdere facto Generositati uestræ nos in præsentia uolumus alligatos. Optamus etiam ut instituta migratio V. G. prosperè feliciterq; eueniat, & oramus æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut totum curriculum uestræ uitæ uelit esse salutare Ecclesie & Reipublice & animæ uestræ. Postremò petimus ut V. G. nostri

nostri memoriam cum beneuolentia constanter tenere & inter studia communia cum pluribus nostrum, uel potius cum omnibus inchoatam amicitiam benignè tueri uelit, pro quo & animo & officio nos uicissim debitam V. G. gratitudinem & beneuolentiam pollicemur.

DIXI.

## ORATIO DE CEREBRO

RECITATA A CASPARO Peucero Artis Medicæ Doctore, cum gradus Doctorum in arte Medica decerneretur duobus doctis & honestis uiris Magistris, Sigismundo Schorkelio Naumburgensi, & Ioachimo Struppio Gelnhusensi. die 24. Nouembris.

**F**estiuitas Scholæ hæc altera est publica, quæ à beatissima ex hac uita migratione parentis ac præceptoris nostri Philippi Melanthonis cœtum scholasticum ad ipsius tumulum solenni ac frequenti concursu colligit. Taliûm festiuitatum cœlebritatem cum penè unus ille, dum in uiuis esset, & gubernârit præcipuè sapientis eloquentiæ admirabili promptitudine, & exornârit uenerandi conspectus ac nulli non expetita præsentis singulari autoritate, quæ coniunctionis fuit nostræ neruus, & nunquam interituris diuini ingenij monu-

Ff 2 mentis

mentis posteritati commendârit, certus sum, ne-  
minem in hoc esse numero, qui aut non ingens huc  
illius desiderium afferat, aut non ingemiscat, uel  
aspiciens orbitatem huius confessus, uel cogitans  
quantum publicæ doctrinæ lumen, administra-  
tioni scholæ præsidium, toti cœtui nostro decus &  
& ornamentum illo sublato decesserit. Meum ue-  
ro dolorem quanquam consenescere non patiu-  
tur, cùm memoria summorum illius in me benefi-  
ciorum, affectionisq; erga me & de me sollicitudi-  
nis penè plus quàm paternæ, quæ in horas & mo-  
menta recurrens uulnus refricat ac uellicat, tum  
illa etiam oculis assidue obuersantia arctissima  
coniunctionis & dulcissima consuetudinis nostræ  
monumenta domestica & uincula necessitudinis  
nostræ atq; nexus summi, carissima scilicet pigno-  
ra coniugij mei, quæ quàm tenerè dilexerit, quàm  
curârit impensè, & fouerit sollicitè, quoties me-  
cum cogito, penè exanimor.

Hæc ergo etsi ne conquiescere quidem unquam  
dolorem meum sinunt: tamen incitari nunc eum  
uehementius & exasperari sentio conspectu uici-  
ni tumuli & recordatione lachrymarum, quas me  
fundere hoc ipso in loco meministi paulò ante  
mortem, ad inchoatam mentionem beneficiorum,  
quibus me plane obruit. Vix me reprimo, ne in ta-  
les nunc erumpam lachrymas desiderio mortui,  
quales tunc uiuo eo & assidente expressit mihi  
præsensio nec falsa, nec fortuita sequuturæ mox  
disiunt

disiunctionis, cum singultantibus suspirijs resorpta  
intercisaq; uox, inter initia faucibus adheresce-  
ret, & iterum atque iterum redintegrata, tamen  
impingeret ac titubaret, tandemq; cum se frustra  
postremo conatu incitasset, inundantium lacry-  
marum impetu abrupta, prorsus conticesceret.  
Quarum causas ne totum retexens atq; excutiens,  
cum repererim nullas, profecta ea esse ratiocinor  
ex occulta commotione animi, ominantis discessum  
ex hac uita illi, cui nulla essem in posterum publi-  
ca testificatione pietatem debitam coram declara-  
turus, mihi uerò præfagientis propè imminentem  
orbitatem.

Accedit ad luctum ingens perturbatio animi  
ex sensu imbecillitatis meæ. Nam ad præterita me  
reuocans & suppeditatam hætenus alijs, mihi  
nunc denegatam ornatè & sapienter dicendi ex  
hoc loco facultatem desiderans, expauesco ad con-  
spectum ornatissimi confessus uestri, & infelicitate  
meam tacitè accuso, quæ concessam Dei beni-  
gnitate alijs uberrimo cum fructu perennis gloriæ  
ipsorum facultatem, mihi in ijsdem occasionibus  
inuidit.

Quanquam ergo & propter doloris recrudescen-  
tis acerbicatem, & quòd illa, quæ oratori ex  
hoc loco uerba facturo beneuolentiam conciliare  
& attentionem possunt, cuncta decesse mihi intel-  
ligo, unus ex omnibus ad dicendum sum minime  
idoneus: tamen cum autoritate publica distribu-



tus in Collegio nostro ordo onerum & laborum publicorum has mihi partes detulerit, pertrahi me huc passus sum officij atque obedientiæ studio, & beneuolentiæ uestræ certissima fiducia, in qua cum posita uideam omnia, eam ut benignè mihi præstetis propter memoriam atque amorem illius, à quo uos perhumaniter atque officiosè adiutos omnes meministis, & meæ infelicitatis commissæ ratione, uos reuerenter oro.

Scitis autem consuetudinem obtinuisse, ut in his congressibus dicatur aliquid de rebus nõ prorsus alienis à studijs & professione nostra: quæ cum tales sint pleræq;, ut disputationum succinctam perspicuitatem magis, quàm orationis longæ uagas ambages & ambitiosum ornatum ament atq; expetant, delectus argumenti conuenientis, difficultatem mihi aliquam attulit. Hanc auxit uarietas recitatarum antè orationum, quæ & quidquid fuit amœnioris materiæ, id omne præripuerunt dicturis in posterum, & in ipsas Medice artis laudes exhauserunt penè, quod de ea dici potest. Et quanquam amplitudo naturæ suppeditat plurima, quorum uel explicatio uel indicatio sola liberilibus ingenijs iucunda est, eò quòd ualeitudini curandæ conducant, & confirment in animis assensionem de prouidentia: tamen cum obscuritatis aliquid pleraque habeant, præsertim si ad subtiliorem rationem physicam reuocentur, & tractatæ

tractationem exigant à declamatorio genere alienam, huius loci non sunt. Sed re multum diuq; deliberata, cum de cordis partibus ex historia anatomes antea quaedam à collegis meis dicta, à uobis uerò magna cum delectatione audita grauique iudicio probata meminerim, putauit non ingratum etiam nunc fore uobis, si de cerebro quaedam commemorarem, in cuius edificio plura aliquanto quam in ulla parte alia occurrunt, quæ admirari possumus, intelligere penitus & explicare non possumus.

Et si enim nullius quantumuis exiguæ partis natura penitus perspici & comprehendere acie mentis humanæ potest, cerebrum tamen & fabricæ atque conformationis concinnitate, & admirandarum ac planè diuinarum actionum præstantia ceteras superat omnes. Cum non tantum arx sit sensuum omnium & motuum *ἡγεμονία* artifex, magnas membrorum moles, & musculorum prætumida corpora tenuissimis nervorum fibris sæpe ex longo interuallo trahens atque impellens, in quo ipso tamen multum inest admirationis, sed & sapientiæ sit domicilium, & officina cogitationum, iudicij, ratiocinationis, memoriæ, quibus Deo genus humanum simillimum est. Vitam quæ ex corde ceu fonte fluit in reliquum corpus cum brutis habemus communem. Intelligentia quæ non ex materia bruta tracta, sed accepta ex diuinitate, & hac delibata, cognatione

quadam animos humanos cum Deo coniungit, longè supra naturas reliquas genus humanum effert atq; extollit.

Sed quæ est substantia cerebri? ubi? & quomodo fiunt in hac tam squalida massa actiones tam admirandæ? Hæc fateamur non penitus sciri, sed quantum sciri potest & consideremus, & grati celebremus. Nec cum Epicuro ex Democriti Atomis confluisse corpora nostra sentiamus: Sed agnoscamus esse Deum mentem æternam Architectatricem, quæ organa corporis ad actiones diuersas tanta arte & sapientia fabricarit, & eandem esse talem, nimirum ueracem, beneficam, iustam, castam, qualem sese expressit ijs noticijs, quas radijs suæ sapientiæ in mentibus nostris accendit.

Athenienses, quòd humanæ sapientiæ sedes & officina esset cerebrum in homines, huius reuerentia ab omni cerebro abstinerunt, & Palladem sapientiæ Deam ex cerebro Iouis natam esse finxerunt, cui fabellæ, ut præbuisse causam hæc insita cerebro diuinitatis uestigia non repugno: Sic non leuibus coniecturis moueor, ut existimem profectam esse ex reliquijs apud Ethnicos ceu somnijs doctrinæ ueteris sanctorum patrum de Filio Dei, qui est sapientia patris, quem pater mens æterna gignit ab æterno λόγος καὶ εἰκόνα suam. Cognatio est magna græcæ uocis ἄθωα cum Hebrææ Adonai. Et impresit Deus hominibus quædam  
simula

simulachra, quæ nos de ipso commonefacerent, utiturq; uocabulis nostris, cum se patrem & quem ab æterno genuit filium, λόγον & εἰκόνα nominat. Formantur autem in cerebro ut dicitur imagines rerum cogitando. Sic pater æternus sese intuens & cogitans gignit imaginem sui, quæ est ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, in qua ipse fulget. Et hic λόγος postea alloquens Ecclesiam patrem ostendit.

Sed redeo ad cerebrum, cuius etsi substantia penitus nota non est, & obscuriores multo sunt actiones: tamen inspectio docet originem esse ex tenuissima & purissima parte seminum ac spirituum plena, quæ dum natura concepta semina distribuit, horumq; coctionem moderatur ac dirigit ad formationem corporis, caloris feruore & spirituum impetu in illam summam arcem propellitur. Nec coagulatis seminibus absimile est. Forma respondet ossi quo includitur, immobili. Id uero ex octonis est compositum ossibus, futurarum commissuris inter sese artificiosè coagmentatis.

Sed qua ui sustinetur, ut uelut in æquilibrio pendens suoq; sese pondere librans, nec collabatur ac procubat in basin cranei cum sit copiosissimum in homine, nec in sese concidat, tot pertusum, foris obliquorum sinuum ductibus, intus alueis patientioribus, qui ut ardua laquearia maximorum edificiorum, incumbentem molem reliquæ massæ

fulciunt, cum quidem motibus agitetur continuis, & suis, quibus sese diducit atq; contrahit uicissim, & alienis, quibus totum concutitur corpus? Etsi enim geminae membranæ quarum præcinctus quasi uinculo quodam circumdatum colligatur atq; continetur ne diffluat. Illæ ergo etsi id annexu quarundam fibrarum à cranei culmine suspendunt: tamen cum sit moles non parua, cur non ruptis nexibus subsidit, saltibus corporis reuulsum detractumq; aut cur non potius in se confidit. An suo conglobatum nixu ac ueluti conglomeratum anfractuum complicatione, sese continet, formaq; ipsa & figura sua sustentat momenta? qua uel parietes cellularum sese sustinent reprimuntq; ea, quæ foris urgent, ne fracti aut elisi irruentium impetu in caua spacia adigantur? Etsi ergo, ut dixi omnium cause reddi nequeunt, tamen quæ uel ratione, uel coniecturis explicari aliquo modo possunt, considerentur.

Conuoluitur cerebrum toto exteriori ambitu in anfractus multiplices & gyros helicum instar, qui penetrant in profundum. Intus qua sinuosis his ceu plicis coeuntibus, harum coalitu solidari incipit, mox à coalitu in amplos rursus & laxè hiantes sese expandit alueos, quos integunt & muniunt ex anfractuum fissuris solidatæ partes, structura in liquida & penè fluida massa, opere & specie admirabili imitante formas & laquearia ama

via amplissimarum arcium. Quod uero & in his  
 ipsis parietibus, & in anfractuuum interstitijs ac  
 septis solidum cernitur, hoc omne spongiarum  
 instar, tenuissimis & usum effugientibus fora-  
 minibus peruium ac porosum est. Interiorum cel-  
 lularum quarum quatuor sunt, duæ priores &  
 eminentiores situ dextro sinistroq; distinctæ, for-  
 ma & magnitudine pares, utrinque ad *ἄνωθεν*  
 cerebri corpus consistunt, quod à forma calli sic  
 denominatum, distantes supra & crassioris mem-  
 brane infarctu disiunctas cerebri partes rursus  
 coagmentans, producit ex sese septum, quo eæ-  
 dem cellule tantum anteriore parte à fronte  
 quantum posteriore ab occipitio remote, in  
 dextram sinistramq; dirimuntur. Hæ duæ cel-  
 lule intus rotundæ, & supra fornicum instar  
 æquabiliter incuruata, figura lunæ recens à  
 coitu prodeuntis, ab interioribus in posteriora  
 extenduntur, Vbi rursus inflexæ uersus antero-  
 ra, & obliquo ductu sensim cornuum effigie ar-  
 ctata ac uelut fastigiata in acumen, per cerebri  
 feruntur substantiam deorsum, donec eò per-  
 tingunt hiantibus osculis, ubi olfactus organa,  
 & neruos opticos cerebrum ex sese emittit,  
 & qua maximi rami arteriarum soporalium,  
 quæ *καρῶδες* sunt, cerebrum subeunt, de  
 quibus intra meatus illos conditis, & in subli-  
 mē subuectis, ac fissura multiplici discerptis,  
 rursusque implexis inter se & tenuis mem-  
 brane

brane intertextu deuinctis, natura conformet  
 τὸ χοροειδὲς ἔθ' δυνάμοειδὲς uocatum πλέγμα,  
 in quo qui ab arterijs soporalibus aduehitur ex  
 corde spiritus uitalis, uirtute cerebri excoctus, ac  
 uelut illustratus, ex obscuro lucidus, ex igneo ser-  
 uidoq; fit ethereus ἔθ' cœlestis.

Qua uerò sese hæc duæ cellule contingunt  
 proximè, coeunt nullo septi interstitio secluse, ἔθ'  
 in cellulam nouam ac tertiam se explicant utriq;  
 communem, quæ profundæ ἔθ' acutæ ualli duorum  
 contiguorum montium, quorum disiuncta cacu-  
 mina una quedam continua iungat testudo persi-  
 milis, prioribus duabus subiacet. Huic desuper ob-  
 ducta cerebri pars, quæ testudinis figuram imita-  
 tur, Anatomicis Ἰατροειδὲς σῶμα dicitur. In  
 hanc tertiam cauitatem exonerant superflua su-  
 premæ duæ. Per hanc ex iisdem spiritus animalis  
 in postremam ἔθ' quartam cellulam com meat. Ex  
 illa ipsa enim tertia cellula meatus insignis supra  
 dorsalis medullæ principium, huic partim, partim  
 cerebri substantiæ incisus, inter cerebri δυνάμοειδὲς  
 ἔθ' γλῆνα, quibus à testium ἔθ' natium similitu-  
 dine nomina attributa sunt, in postremam cellu-  
 lam ducitur, quæ dorsali medullæ ἔθ' cerebello  
 communis, de excauatis in utroq; dimidij oui am-  
 plitudine sinibus constituitur, qua dorsali medullæ  
 cerebellum adnascitur. Ex eadem tertia cellula  
 alius meatus ad cyathum excipiendæ pituitæ cere-  
 bri destinatum porrigitur, qui ex defluxu à supe-  
 rioribus

rrioribus collectam in ipsa pituitam eo deuehit ac deponit, ut inde per tubulos ac syphones, quorum utrinque gemini sunt ex tenuis membrane propagibus conflat, in os & nares excernatur. Sed totius cerebri structuram persequi nimis foret longum. Idcirco de solis eius cellulis pauca addam, in quarum prioribus excoquitur & absolvitur animalis Spiritus, cum ex vitali exactius elaborato, tum ex attemperato huic aere, qui inspiratione attrahitur.

Non sunt autem hae cellulae ociofi aluci spirituum, nec spiritus sua se ui incitant & agitant, nec sua ui moderantur ictus illos, quibus cogitationum à sensibus informata tela detexitur: sed feriunt et impellunt hos modulati, & uelut ad numeros certos se uibrantes cerebri motus, qui à continuis uel à ἀποσπόμεναις motibus eiusdem discrepant. Nunquam enim quiescit cerebrum. Sunt & spirituum in alueis cerebri assidui uelut in Euripo fluxus atque refluxus, quos distentum atque dehiscens cerebrum ex cellulis concameratis intra poros & sinus obliquiores atque compressos, exorbet, rursusque coarctatum regerit in eosdem atque refundit. His spirituum motibus & perpurgantur cellulae, & implentur atque instantur, ut expedite pateant, ipsumque cerebrum uelut sursum actum ac suspensum citra admicula ac fulcra eminet, spiritibus leuitatis suae impetu tantum id cogentibus sursum, quantum pondere ac grauitate propria trahitur deorsum:



deorsum. His ipsis motibus spiritus traiciuntur in  
neruos externorum sensuum, ut gyrationes ima-  
ginum seu specierum aduehant, quas nerui ab ob-  
iectis externis accipiunt.

Inest & ipsi cerebro uis peculiaris orta ex  
temperie, quæ obscura quædam rudimenta cogita-  
tionum & memoriæ informat in brutis. Sed illos  
in homine cerebri & spirituum uibratus, quibus  
perspicuè conformantur rerum imagines, & lon-  
ga concinnaq; ac recte coherens, imò artis ac sa-  
pientiæ plena cogitationum series ceu depingi-  
tur. Illos ergo ciet & gubernat alia uis præstan-  
tior, cuius non est ex natura bruta origo, hanc uo-  
cant animam rationalem.

Etsi autem de huius sede non disputo, quam  
cum sacris literis cordi includo: tamen præcipuas  
mentis & uoluntatis actiones, cum cerebri præ-  
cipuis uiribus ut coniungamus, res cogit. Vi men-  
tis enim excitatum cerebrum, cum opus est, sua se-  
se temperie cum expeditius commouet, agitans  
non fortuito turbatoue: sed equabili, congruo &  
regulato motu spiritus, tum eosdem sua natura  
informes, sed claros, lucidosq; & cuilibet imagini  
suscipiendæ aptos ceu consignat adumbratione  
quadam obscurarum imaginum, quas effingit illo  
sui spirituumq; uibratu ex antè impressis simula-  
cris, moxq; ex his propagat alias atq; alias, sicut  
lingua uocem ex asperæ arteriæ angustis rimulis  
inconditum quiddam resonantem ac rude, uariatis  
ictibus

ictibus format, moderatur ac temperat. Rursus ut lingua continuato spiritu tractus unoq; modo fluentes sonos casim ceu in κῶλα & κόμματα partiendo, modulatas uoces efficit, ut producantur in longum extento spiritu, & uariantur inflexo, distinguantur conciso, copulentur intorto, promittantur reuocato, & ex inopinato infuscentur, ut murmurent secum: nihil edit tamen articulatam per sese, nihil characteristicis expressum notis rerum quarum imagines cogitationes effingunt, sed quæ homini inest mens intelligens, hæc cerebri impulsus, & agitata lingue uerberatus moderans, horum opera ex Musicis illis & ad melodiam harmonicam concinnatis sonis: sed prius uelut insculptis in resonantem aërem significantibus characteribus, & his suo ordine collocatis, notas conficit, auditui attemperatas, quæ per oculos impressas aut haustas auribus, & adætu spirituum illitas cerebro imagines, ceu resultu quodam ac reuerberatu referunt in aërem uicissim. Sic cerebrum etsi ui sua agitat, interruptis, distributis, & ordine suo collocatis atq; coaptatis spiritibus, qui externorum obiectorum speciebus ceu tincti sunt atque imbuti, etsi his igitur rudimenta quædam adumbrat futurarum cogitationum uelut primis lineis ductis, quod brutorum phantasmata ostendunt, tamen expressum, integrum, firmum, ordine contextum, rectè coherens, & rerum cognitarum ideas complectens nihil efficit,

efficit, nisi totam illam formationem, dirigat, ex-  
 poliat atque absoluat mens ipsa ui præstantiore  
 & diuina, & luce affusa spiritibus perfectiore,  
 quam illa est spirituum ex solo cerebro acquisita.  
 Rursus aberrat hæc cogitationum series, cum ce-  
 rebro corrupto ut fit in melancholicis affectioni-  
 bus, aberrat prima delineatio, & ut ita dicam  
 ἡχογραφή, informatio imaginum, cumq; spiri-  
 tuum ad impressam speciem recipiendam non est  
 conueniens habitudo ex uitio aliquo. Perficit er-  
 go humanæ sapientiæ cogitationes cum cerebro  
 mens intelligens hoc modo. Neque has aut cere-  
 brum sine mente, aut sine cerebro mens molitur,  
 tantisper donec in his corporis carceribus mens  
 hæret.

Ad hos usus præcipue sinus cerebri compara-  
 tos esse res ostendit, quod his non rectè à natura  
 formatis turbari & aberrare uim ratiocinatri-  
 cem, ut in ijs quos ὀξυνεφάλως & φέβως no-  
 minant, aut humore crasso oppletis atque obstu-  
 pefactis, extinguui eandem uel hebetari experimur,  
 ut apoplecticis accidit.

Sed ut in re obscura & difficili plura de cere-  
 bri actionibus & uentriculorū usu explicare non  
 possum, & uulnera nostra deploro, quibus & no-  
 ticiæ de Deo obscuratæ sunt, & hebetata est men-  
 tis acies, ut si ad inspectionem nostri & reliquæ  
 nature se conuertat, cæcutiat uelut noctuæ in-  
 tuentes in lucem meridianam. Si illud retinuissent  
 lumen

lumen mentes humanae, quod ex indita diuinitus luce fulsit in primis parentibus ante lapsum, nec decessisset tantum absolutissimae corporum nostrorum fabricae, acie mentis Deum rectè agnosceremus, & in abditas penitusq; abstrusas rerum penetraremus naturas, & corpora nostra quae condita sunt, ut sint domicilia, & templa Dei, organa essent actionum diuinarum. Sed lapsu attenuatum, & atra circumfusum caligine, id quod de lumine reliquum est, obscure micat, ceu tenuis fauilla inter magnos aceruos cinerum, & cerebri crasis labefactata atque corrupta cum actiones edit mutilas ac deprauatas, tum spiritus gignit impuros, unde tantum prauarum & aberrantium ratiocinationum in genere humano, tantum sophisticas ac perplexitatis, tantum dubitationum et ignorantiae, tantum caliginis ac coecitatis.

Doleamus ergo peccatis nostris & clarissimos lucis diuinae radios, in nobis penè extinctos, & comparatam ad usum mentis intelligentis pulcherriam atque absolutissimam organorum fabricam ita languefactam ac uitiatam esse, ut mens in hac deprauatione ceu ductor coecutiens & rudis atque imperitus artifex, cerebri uelut organi corrupti ope & admiculo instituat & pertexat cogitationum opus artificis conueniens, id est languidum, mutilum, obscurum, deforme, distortum, procul aberrans à rectitudine, & ab ea norma procul disidens, in qua consistit perfectio.

Doleamus etiam plurimos cum alijs sceleribus, tum uero imprimis belluationibus, crapulis, luxu & libidinibus reliquam adhuc luminis diuini scintillulam, & cerebri quantulamcunque uim, conatu uiolento oppugnare atque obtundere, & impedire actiones necessarias, spiritibus uel exhaustis, uel crudorum humorum cæno aspersis atque inquinatis, cellulis autem obrutis atq; obturatis congestarum ex crapulis sordium aceruo, Et cogitantes de serua emendatione, quæramus uerum Medicum uulnerum nostrorum Filium Dei. Hunc petamus, ut cum ipse sit æterna sapientia æterni Patris, & lumen æternum de lumine, quod uenit in hunc mundum ad discutiendam & depellendam caliginem, in quam sese genus humanum excommunicata diuinitus luce, sua uoluntate per præceps demersit, ut ergo horribili labe deformatas, & caligine denigratas tetra mentes nostras, rursus expoliat atque illustret sua luce, & trepidè atque obscurè scintillantes in nobis flammulas ad flatu spiritus sancti exuscitet atque augeat, & instauret labem naturæ.

Cumq; per ministerium Euangelij & non aliter radios lucis suæ spargat, & cum iisdem effundat in corda nostra Spiritum sanctum ut in re nouatis illis exuscitet motus spirituales, simul petamus, ut uoce Euangelij æternam sibi inter nos Ecclesiam colligat, quæ plantet cæcos in hac uita. Te ergo Filij Dei Domine noster Iesu Christe ἀόϋε  
ngj

καὶ ἐνὸς ἁΐδιε τῶ ἁΐδιου πατρὸς, crucifixe  
 pro nobis & resuscitate toto pectore oro, ut ra-  
 dijs sapientie tuæ accendas & illustres mentes  
 nostras & sanctifices nos spiritu sancto tuo, sanes  
 vulnera nostra, nosq; tibi insertos gestes,  
 & hanc Ecclesiam & Academiam  
 protegas atq; gubernes.

AMEN.

## RESPONSIO.

**Q**VO consilio à maioribus introductum sit,  
 ut nostræ etiam ætati in talibus festiuitati-  
 bus aliqua dicendi partes concedantur, de eo ex  
 hoc loco differuere multa multi, quorum rationes  
 extant mandatæ literis. Itaq; hoc tantum agam,  
 ut quæ dicenda in præsentia accepi, eorum recita-  
 tor sim disertus & fidelis interpret, in quo solo  
 laudem mereri possum ut meis & proprijs.

Ex ijs autem quæ in medio sunt, & hoc anno  
 & autumno acciderunt, & constitutione aëris,  
 quam nunc etiam experimur, questionem propo-  
 no renunciato iam Medicinæ Doctori D. Ioachi-  
 mico Struppio, talem.

Cur in nostris regionibus si austri sunt  
 frequentes, & autumno rosaria denuò efflo-  
 rescant, pestilentiaæ secuturae ea signa habentur.

Ex his uerò signis quemadmodum rosarum flores autumnales sæpiuscule fallunt, ita austrorum crebri flatus serme nunquam, utriusq; tamen an cause Physicæ sint aliquæ, ut hoc portendant, & que sint illæ quærimus. Et de austris primum, an consentaneum sit, quod quidam afferunt à uenenis quibus illæ regiones scatent aërem quasi contagione infici, atq; ita malum & pestilentem ex his nobis afflari, sicut ex lacuum & stagnorum aquis putrescentibus & cadauerum uno in loco collectorum & putrescentium copia aërem infici certum est, uel an hoc tenuius sit, & ex fontibus doctrinæ Hippocraticæ proferri aliquid possit reuerentius & melius.

Nulli quidem uenti de remotioribus locis & per uastiora maria ad nos feruntur, qui Septentrionales sumus, quàm Austri, ut horum quasi peregrinitas nocere nostris locis possit, nam Africæ quam propius astant frigidi esse scribuntur, ut nostris Aquilones & nequaquam pestilentes. Esse autem nobis uentos humidos illos & calidos experientia docet, siue longinquitas locorum, ex quibus spirant, siue magnum mare quod transcunt, siue stellarum uirtus tales facit, putantur enim excitari à Venere. Hi igitur cum continenter spirant, sicut hac tota æstate & autumnò toto continuos habuimus, eodem modo aërem ab his affici necesse est. Ita partium anni temperamentum corrumpitur, sicut huius anni æstas

æstas humida fuit, & autumnus similiter humidus  
& calidus.

Quemadmodum autem  $\delta\upsilon\sigma\kappa\rho\alpha\sigma\iota\alpha$  humorum  
in corporibus causa est morborum omnium, ita si  
partes anni temperamenta sua non seruant certo-  
rum morborum cause fiunt, quàm Medicus ex do-  
ctrina Hippocratis prævidere & prædicere po-  
test, cum enim in uere sanguis, æstate bilis, autum-  
no Melancholia, hyeme pituita in corporibus re-  
dundet, quæ cõstitutio aëris quos humores augeat  
quasq;  $\delta\upsilon\sigma\kappa\rho\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$  inducat, qui cogitantes sunt  
& Physici æstimare possunt. Implet autẽ corpora  
calida & humida aëris constitutio, repleta uero et  
humida corpora excrementis scatent, quæ sunt cau-  
se morborũ præsentis, æstatis igitur calore corpo-  
ribus resolutis calor internus exhalãdo attenuatur  
et fit imbecillior, magis autem debilitatur humoris  
copia augete, quo obruitur, & sub finem æsta-  
tis, quod tempus Græci  $\delta\prime\pi\omega\rho\alpha\pi$  appellant, excre-  
menta in corporibus dicta augere homines solent.  
Quòd si iam autumnus succedat eiusmodi, qui neq;  
corpora frigiditate sua constringat, ut calor sese  
recolligat & corroboret, neque siccitate sua hu-  
mores præcidat, malum duplicatur, hyems autem  
natura sua phlegma auget, qualis igitur sanguis  
erit ueris tempore? Putredini enim præparatum  
corpus ita est, ut calore alieno accedente, de exter-  
na aut interna causa, celeriter illa incendatur. In  
aëre autem tali uehitur non aliter quàm in loco



palustri, ipse autem per se  $\delta\upsilon\sigma\upsilon\pi\rho\alpha\sigma\iota\alpha\upsilon$  concipit ex uentorum commotionibus & contagione eam quæ pestem affert, ut sole in hunc agente calore suo affectionem concipiat, putredini simillimam, siquidem putrescere cum negat Aristoteles, Quæ ex propinquis causis pestilentis constitutionis una censeripotest.

Sumuntur autem hæc, ut explicatius dicamus, ex aëris & corporum, quæ ab hoc maxime afficiuntur, constitutione, aëre enim corpus plus utitur eoq; magis afficitur quam cibo & potu, cum sine cibo multis diebus, sine aëre ne momento quidem durare uita possit. Aër autem per se calidus & humidus à quatuor causis potissimum afficitur, primum ijs quæ in solo subiecto certis in locis accidunt, de quo initio diximus. Secundo à stellis: Tertio à uentis, quæ sunt aëris commotio, quarto à Sole & positu huius, unde sunt certa temperamta, quatuor anni temporum, quæ sunt Græcis  $\acute{\omega}\rho\alpha$ , hæc cum conseruantur  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\iota\omega\sigma\tau\alpha\varsigma$  habet aër salutare corporibus & rebus nascentibus uniuersis, ut contra morbiferas & pestilentes si ex causis cœlestibus aut alijs hæc peruertuntur. Calidus igitur aër & humidus per se, si in super & ab æstatis humore & autumnii calore alieno, incalcescit & humectatur, tum illum, ut corpora in morbis solent, quandam  $\pi\rho\alpha\rho\acute{\alpha}$   $\phi\upsilon\sigma\iota\upsilon$   $\eta\epsilon\lambda$   $\lambda\omicron\iota\mu\iota\kappa\lambda\iota\upsilon$   $\nu\alpha\rho\acute{\alpha}\sigma\alpha\sigma\iota\upsilon$  concipere necesse est, cum ad salutare temperamentum caloris huius non nisi duas partes

tes anni calidas esse oporteat, australi igitur aestate & autumnno aer calore & humore alieno, quasi obrutus corrumpitur, & putredini preparatur, qui corpora postea & terram atque hac nascentia similiter afficit, ut calore uerno & aestiuo succedente pestilentiam grassari consentaneum sit.

Rosariorum secunda apud nos efflorescentia observationis est popularis minusque erudite et sapientius fallentis ut diximus, neque etiam haec tantum, sed uiolas quoque & alias ex stirpium genere iterum effloruisse compertum est, & audiuius reperitque aliquid referri de certis locis in ora septentrionali ad mare Sabulosum, ubi quaedam autumnno arbores nostrates omnis generis simul fructus & flores habuerint una cum rosarijs, neque tamen sequentem annum pestilentem fuisse, & huius anni autumnno sunt, qui ad Rhenum idem uiderunt, cum arboribus quibusdam nostratibus fieri. Sed si aestas gelidiuscula est multa in stirpibus reprimuntur, quo minus sese proferant, quae postea autumnus calidus & humidus elicit, ut talis omnino huius anni partis constitutio illam efflorescentiam efficiat, quam si pestis sequitur, res ad illas ipsas causas recidit, quas de austris protulimus. Fallit tamen hoc signum tum potissimum, quando precedentes partes anni δυσπραξίαν nullam habuerunt, neque aestas australis fuit. Est enim hoc quasi σύμπτωμα signi certioris, &

signi quoddam signum secundarium. De quibus omnibus creatum iam Medicinæ Doctorem audire cupimus.

Deum oro, ut auersus à peccatis nostris in faciem dilecti filij sui intueri uelit, & propter crucem & mortem atque intercessionem huius parcere peccatis nostris, & mitigare pœnas uitæ huius, atque ab Ecclesia, & populo suo omnia tantæ animarum quam corporum pericula benignè auertere, propter eundem Dominum nostrum

IESVM CHRISTVM

AMEN.

BREVIS RESPON-  
SIO AD QVÆSTIO-  
NEM.

**C**arissime Affinis & erudita est quæstio, quam produxisti, & patet latissimè, quanquam & abs te de ea disputatum est tantum, quantum explicari ueris rationibus summatim potest. Adde- rem plura, si ratio id temporis & consuetudo Scholæ pateretur. Complectitur enim fontes & causas disputationis de infectionibus pestilentibus, quæ sunt ἐπιδημικὰ ὀλεθριοί, & de multis egritudinibus alijs. Etsi enim infectionum & contagiorum pestilentium cause propinquæ sunt, τὰ σκτεροδονώδη μιάσματα, seu λοιμώδη ἀπέρματα, τὰ, ut

τα, ut Galenus nominat quæ uel à cœlestibus cau-  
 sis de terra expressa, uel de magna putredine in  
 aërem edita, in amplissimos diffunduntur tractus,  
 inspiratuq; attracta & humoribus permixta ac  
 spiritibus, calore uitali fugato elisoq; putredinem  
 corporibus inserunt, tamen austrinæ constitutio-  
 nes præcedunt plerunq; quæ ceu affusa corpo-  
 ribus excrementitij humoris largiore copia, reso-  
 lutoq; ac hebetato natiuo calore, cum Fomenta  
 preparant putredini, tum eandem excitant igneo  
 calore in alieno humido accenso. σὺπεται γὰρ  
 μάλιστα τὰ ὑγρὰ ἐν δόρμα σώματα, ut Ga-  
 lenus inquit. Tanto autem maiorem commouent  
 putredinem, quanto & diutius durant seq; in ho-  
 ras pene & momenta crebrius uariant, & alieno-  
 re anni tempore ingruunt, & magis idonea cor-  
 pora comprehendunt, qualia sunt aut κακοχυμι-  
 καὶ aut πληθωρικά. In cacochymicis crassities  
 ac lentor redundantium humorum ἐμφραξις: In  
 plethoricis copia ac multitudo σφύωσις efficit,  
 quæ fit cum in extremos uasorum ductus humores  
 impetu quodam adacti, & infarcti impactiq; suc-  
 cedentium copia, occludunt atque obturant ori-  
 ficia, ne perspiratio fieri possit iusta & necessa-  
 ria. Hippocrates cum de morbis Epidemijs per-  
 tractat, orditur à constitutione aëris, & inde cau-  
 sas petit. Sic in primo Epidemiorum causas mor-  
 borum, qui grassati sunt in Thaso, refert in Au-  
 strinam κατὰ σφίσις. Inquit enim: In Thaso au-  
 Gg 5 tumnali

tumnali tempore circa æquinoctium & occasum Pleiadum, usque exundationes multæ, continentes, molles ut in Austrino cæli statu.

Vt ergo in rebus terra nascentibus Austrina constitutiones, quod eas suppeditant qualitates, quibus ortus rerum & generatio constat, iteratos flores eliciunt, restituto eo succo, qui prius in flores fructusq; fuerat absumptus atque exhaustus, & eodem calore percocto ac maturato: Reptilium uero quorum ex putredine origo est prouentum fœcundant: Sic in animantium corpora adaucta ea humiditate, quæ uenis continetur, arterijsq; efficiunt ut humores concepto alieno calore ex putredine in febres aut ardentis aut pestilentes exardescant, aut in anthraces & bubones efflorescant, pro corporum, humorum, constitutionis ipsius, & infectionum ratione ac diuersitate. Suntq; uniuersim siccitates imbribus salubriores & minus noxiæ ac periculose. Vim austrorum atque effectionem paucis Hippocrates ostendit, cum inquit in tertia parte Aphorismi. Aphorif. quinto. Austri auditum hebetant, caliginem offundunt, caput grauant, tarditatem & languorem inducunt. Nam uniuersum corpus, aliena & penetrante humiditate implendo, cum emolliunt, laxant, & languescunt organa sensuum omnium, atque arbitrarij motus, horumq; principium & fontem, tum calorem naturalem obtundunt ac penè strangulant.

Sed hæc prolixius persequi desino, neque admittit hic locus uberiores tractationem, quæ aliò pertinet, Parcendum est etiam ornatissimo consessui doctissimorum uirorum, quos ne hac prolixitate offendantur, & ut boni consulant, quæ in hac temporis angustia dici potuerunt, reuerenter oro.

Tibi uero carissimè affinis gratiam habeo, quòd honoris mei causa hanc dicendi ex hoc loco proxi-  
 uinciam suscipere non es grauatus. Renouat mihi conspectus & uox tua memoriam & desiderium patris tui, soceri mei carissimi, quem cum propter uirtutem, doctrinam, prudentiam, integritatem, & fidem bono uiro dignam sciam carum fuisse, & collegis omnibus in hac Academia, & multis præstantibus Principibus, quibus profuit prudentia ipsius usu rerum multiplici, doctrina & ætate penè absoluta, uehementer doleo eam mihi non contigisse felicitatem, ut spectatorem eum cerne-  
 re mihi liceret eorum quæ honoris mei causa instituta iam & peracta sunt. Te tamen hortor ut paternis insistas uestigijs, & uirtutes eius imite-  
 ris, & oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut sancto suo Spiritu & te regat, & me adiuuet atq; gubernet.

ORATIO DE LOTHARIO SAXONE, RECITATA A  
 Clarissimo uiro Iohanne Schneidewein. I. V. Do-  
 ctore ac Professore publico, cum tribueret  
 gradum Doctoris, Victori Ottingo  
 Reualienfi 3. Februarij.

**S**I, ut homines oderunt leges, cupiuntq; deletas,  
 Sita mox omnis earum doctrina e scholis eiicien-  
 da, & autoritas tollenda esset e genere humano,  
 iamdudum euerso toto ordine politico, extinctis  
 iudicijs, disciplina, studijs uirtutum & honesta-  
 rum artium, dissipata totius generis humani socie-  
 tate, pro humanitate & iusticia regnaret plus  
 quam Scythica barbaries, beluina feritate, atq; im-  
 manitate Cyclopica armata. Omnino agreste atq;  
 efferum uulgus, & nature nondum cicurate, ma-  
 gno ardent legum ac disciplinæ odio tanquam du-  
 ri carceris, quod à nature prauitate ortum, magis  
 confirmatur à Diabolo & mala consuetudine:  
 acuitur uerò & efferatur, cum sermonibus eo-  
 rum, qui Legibus & Magistratui conuiciantur  
 atque obtrectant, tum exemplis conculcantium  
 petulanter disciplinam.

Sunt autem tria præcipuè hominum genera le-  
 gibus insensa. Vnum Cyclopicum eorum, qui, ut  
 apud Platonem Hippias, legem accusant tanquam  
 Tyrannum, à cuius præscripto discedere non le-  
 ceat. Nec scripto iure opus esse, & huius inter-  
 pre-

pretatione, quæ doctrina Iurisconsultorum exponitur: Sed tùm in uita ac moribus hominum formandis ac regendis tùm in rebus administrandis ac iudicandis, sequendam esse naturam ducem, & arbitrium uniuscuiusque contendunt, cui tantum tribuunt, ac confidunt, ut non uereantur id auctoritati legum anteferre, scilicet, huius prætextu anhelantes ad illam ipsam tyrannidem, quam in leges falso conferunt. Nam legum auctoritate cæcis ipsorum affectibus uincula iniici, metasq; circumdari potentie aut licentie, quam appetunt, ferunt grauissimè.

Alterum hypocriticum est eorum, qui similem tyrannidem religionis titulo quærent. Nam dum leges Romanas tanquam à Repub: Christiana alienas eleuant, & explodi uolunt atq; exterminari ab eo cœtu, in quo est Ecclesia Dei, hoc moliuntur, ut abolitis legibus & horum interpretibus submotis, ipsi in eorum uestigia succedentes, uel tanquam interpretes Mosaicarum legum, uel ut iudices ἀνοπέδωτοι soli dominantur in aulis Principum & Rebus publicis, & suo arbitrio gubernent uniuersa.

Tertium est promiscuum uulgus, quod ut natura ferum atque indomitum est, ita nec discipline iugum, nec legum frenos libenter admittit, & in gyrum duci, ac concludi repagulis effrenes impetus animorum egrè patitur, cui, ut præsens imperium omne graue est, sicut apud Thucydidem dicitur:



dicitur: ita & querit & cupidissimè amplectitur Anarchiam omnem, quæ quauis est Tyrannide grauior ac perniciosior, & ad occasiones quas cunq; uelut effractis repagulis, erumpit extra mentas, ferturq; ac ruit, quo cæco incitatur impetu.

Contra talium hominum iudicia & furores muniant sese iuniores consideratis legum fontibus, & pensitata totius ordinis politici dignitate, & magna cura se assuefaciant ad amorem & reuerentiam legum: Furores autem eorum execrentur, qui eam sapientiam, quæ in libris Iurisconsultorum continetur, oderunt & contemnunt. Non sunt leges tyrannica uincula, humana uel astutia fabrefacta, uel autoritate sancita, ut cupiditatis bus potentum adulentur, et horum arment ac stabiliant tyrannidem contra imbecilliores. Et scelerata est uox, quam his uersibus expressit Politianus:

Inuentum Attæi dicuntur iura Draconis,

Vera nimis fama est, nil nisi uirus habent.

Neque imperia, aut de fortuito ac temerario concursu hominum extiterunt, aut sola uel sapientia uel uiolentia humana constituta sunt ac sustententur, aut cum ruunt, casu intereunt: sed legum fontes Deus ipse generi humano monstrauit, cum suæ lucis & sapientiæ radios in mentes nostras transfudit. Hi radij de duabus rebus nos docent.

Primum,

Primum, quod sit Deus mens aeterna, intelligens, sapiens, gradus rerum ac personarum distinguens ac distribuens ordine ad consociationem necessario, sanciens discrimina actionum, secernens bona à malis, iustus, beneficus, uerax, castus, qui detestatur horribiliter omnem ordinis sui confusionem, & in facinorosis, ordinis perturbationem poenis atrocissimis seuerissime uendicat.

Secundò hos ipsos radios diuinæ sapientiæ idcirco insitos esse mentibus nostris, ut archetypi imaginem exprimant, in qua Deum contemmur, & ut bona quæ in eo summa sunt, agnoscamus atque æstimemus ex ijs, quæ nobis impertiuit, intelligentia dijudicante uera à falsis, bona à malis, honesta à turpibus, libertate uoluntatis noticia ordinis & numerorum. Deinde ut sint norma, ad quam dirigamus, moderemur atque accomodemus actiones nostras, quas cum hac sua sapientia Deus congruere uult, sicut ad certas stellas nautæ cursus nauium inflectunt, ne incertis ætuum fluctibus impulsæ atque iactatæ uagemur atque erremus sine duce: Non uult enim negligi Deus considerationem reliquiarum imaginis suæ in homine, & expressum in hac consilium ipsius & uoluntatem. Non uult ruere homines extra metas, quas radijs suæ sapientiæ ipse definiuit, Nec de hac DEI uoluntate aliter iudicat mens non prorsus Cyclopica aut fera, sicut Plato elegantius

Et uerius quam ceteri, beatitudinis humana finem statuit  $\delta\mu\omicron\iota\omega\sigma\ \mu\ \tau\omicron\varsigma\ \delta\epsilon\omicron\varsigma\ \kappa\alpha\tau\alpha\ \tau\omicron\ \delta\acute{\alpha}\omega\alpha\tau\omicron\varsigma$ , id est, conformitatem cum Deo, quantam effingere ac præstare uiribus suis ad exemplum impressæ imaginis homo potest.

Ex his reliquijs sapientiæ diuinæ, quanquam attenuatis & obscuratis labe naturæ corruptæ, nõ extinctis tamen, sicut aliqui nouo furore contendunt, sunt extractæ Leges, quas cum nomino, non intelligo leges cum norma diuina pugnant, qualis illa fuit Sybaritarum: Nemo nostrum frugi esto: aut Scytharum, de parentibus senio confectis, mactandis: aut Lycurgi apud Spartanos, quæ concedebat pacisci cum alterius coniuge: Sed cum aliarum gentium honestas leges, tum uerò in primis nostras Romanas intelligo, quas affirmo esse Dei sapientiæ, propositam generi humano, per eos gubernatores, quorum mentes afflatu commouit & rexit singulari Deus, ut iusticiæ fontes inquirere, & ex his perspectis formam & usum iusticiæ generi humano demonstrarent atque explicarent. Nam ex his diuinitus patefactis fontibus, uel firmis demonstrationibus, uel rationibus non alienis à demonstratione, deriuatæ sunt atque detextæ leges Romanæ, & cum Decalogo consentiunt.

Nec legum tantum sapientiæ Deus aperuit generi humano: sed ut in hoc mundi systemate cæli & elementorum positus, totamq; causarum seriem

seriem multiplici earundem distinctione eo distribuit atque contexit ordine, ut sublimioribus inferiores & subiectæ sint certa lege, & nexu admirando cohereant: Sic genus humanum magna ordinum ceu graduum uarietate in certas classes distinctū coniunxit atq; deunxit inter sese legum nexibus, & alijs uinculis multiplicibus, imperijs, in quibus alij præsumunt, alij obediunt suo loco atque ordine, doctrina uirtutum, contractibus, iudicijs, præmijs, pœnis. Huic societati adest perpetuo, & ordinem à se constitutum tuetur ac munit aduersus furores Diabolorum ac turbulentorum hominum, ad eum modum, ut excitet ipse, & autoritatis atque sapientiæ uiribus instruat legum defensores atque interpretes, qui, cum opus est, laxatos discipline neruos, rursus astringant, incisos restituant. Et si uel eludatur autoritas, uel impediatur conatus magistratum, ipse facinorosos mirificis occasionibus ceu in nassam illectos & irretitos, rapit ad supplicia.

Cum ergò de ordine politico dicitur, non tantum intueamur distinctos hominum gradus: sed complectamur & Deum autorem ordinatæ constitutionis ac fontem legum, & leges ipsas atque harum doctrinam, quibus tota ceu Idæa ordinis politici descripta est, & personas ordinis custodes, quæ præstant, ne quid turbetur, neue interrumpatur aut labefiat ac dissoluatur hæc societas humanæ uelut compages. Leges Oeconomicas

& politicas generi humano, ut mirandorum mo-  
 tuum atque effectuum leges, naturæ Deus ipse  
 imposuit: utque in natura seriem & vires causa-  
 rum, sic in societate humana personarum gradus  
 ac munera discreuit. Et ut naturam sustentat: sic  
 humanam cōseruat societatem. Nec minus lucent  
 in his ordinationibus prouidentia, presentia, sa-  
 pientia, bonitatis, & amoris Dei erga nos uesti-  
 gia, q̄ in cæteris naturæ partibus: etsi pro dolor,  
 crebrioribus hæ et tetrioribus confusionibus tur-  
 bantur, quæ excitantur à Diabolis & hominum  
 malorum furoribus. Ordinis autem à se constitu-  
 ti rationes & causas ostendit generi humano in  
 ea sapientia, quam in humanas mentes indidit ac  
 uelut consignauit, ex qua effulsit lumen sapientia  
 legum. Et tuetur hunc ordinem cum per sese, tum  
 per idoneos homines, quorum, qui ad gubernacula  
 sedentes, legum uocem sonant & exequuntur,  
 Magistratus: qui his legum uocem declarant, Iu-  
 ris consulti sunt.

Hæc Dei beneficia agnoscentes, DE O autori  
 gratias agamus, eumq; oremus, ut concinnatam  
 magna sapientia harmoniam pulcherrimi ordinis,  
 depulsis Diabolis & malorum hominum turbu-  
 lentis molitionibus discussis, contineat ac fulciat,  
 ne fatiscat ac dilabatur. Foueât & studia doctri-  
 nae Legum, & idoneos his constituat interpretes,  
 qui sint ueri iustiq; amantes, & alieni à Sophisma-  
 tum prestigijs. Largiatur & tranquilla tempora  
 studijs,

Studijs, nec barbarie Turcica aut Moscouitica disciplinam & leges deleri, & uastitatem in his terris effici sinat.

Hæc præfatus sum prolixius, ut Iuuentus discat Legum doctrinam pertinere ad politici ordinis conseruationem, & à Deo ortam esse, Et ut his commonefactionibus excitata, assuefaciat se ad hæc tanta munera pijs precibus à Deo petenda, ac præstet libenter reuerentiam atque obedientiam Legibus ac legum custodibus, colat doctrinam Legum, & caueat mala exempla ac scandala, quibus aut labefactantur aut dissipantur bonæ constitutiones, ac leges obruuntur. Tales enim commonefactiones præcipuè in his solennitatibus reperere conuenit, & nostri ordinis sunt propria, quibus legum cura atque explicatio commendata est.

Cùm autem usitatum sit in his congressibus aliquid dicere, quo uel ad amorem doctrine legum inuitentur Iuniores, uel de aliqua doctrine parte erudiantur, uel celebretur memoria eorum, qui præclarum aliquid pro Repub. gesserunt, aut ex usu & dignitate Reipublicæ constitucrunt, decreui recitare historiam Lotharij Saxonis, in qua cùm multa sint memoratu digna, tum hoc præcipuè laudabile est, quod legum Romanarum doctrinam, temporum iniurijs intermissam, è tenebris reduxit in lucem, atque ad culturam reuocauit & usum, à situ squallorèq; repurgatam. Inci-

dit etas eius in turbatissimas res patriæ, que Germania horribiliter distracta, Imperij uiribus enar-  
 uatis atque comminutis, Imperatorum autoritate  
 labefactata & potentia accisa, Pontificum Roma-  
 norum & Episcoporum tyrannide confirmata,  
 omnem penè, que reliqua fuit, maiestatem Imperij  
 euerterunt. Pontifices enim sceleratè abusi hac  
 tyrannide, non tantum crudeli superbia, atque au-  
 dacia detestandæ improbitatis plena, conculca-  
 runt Imperatores anathematum fulmine territos,  
 & concitatis in eos subditis, cruentorum edicto-  
 rum promulgationibus, Germaniam bellis intesti-  
 nis inuoluerunt, de quibus ciuili sanguine penè  
 omnes anguli inuandarunt. Sed etiam furore pror-  
 sus Diabolico, cælo bellum intulerunt, decretis  
 sancitis contra filium Dei, & huius institutis aut  
 deletis aut profanatis, aut horribilium Idolorum  
 cultu obrutis.

Sed ad Lotharium uenio. Is est pater Gebhar-  
 do, Comite Suppleburgio, matre filia Friderici  
 Burggrauij Norici castri, paupere regno natus  
 ad Imperium magnum, eo tempore, quo Saxonia  
 bellis arsit, que primùm occulta conspiratione  
 Principum Saxonie, postea aduersationibus &  
 machinationibus apertis & illorum & Episcopo-  
 rum in Germania ac Pontificum Romanorum in-  
 censa, & Pontificibus odia alentibus atque exaspe-  
 rantibus, longè lateq; grassata, non Germaniam  
 tantum cadibus, incendijs ac direptionibus deua-  
 starunt:

starunt: sed & familias totas deleuerunt & Imperij formam mutauerunt. Longa est iniuria, longa ambages, longa malorum, quæ inde extiterunt, series. Sed causas paucis perstringam.

Vetustissima consuetudine inde usque à temporibus Constantini Magni obseruatum fuit, ut nulli munus Episcopi usurpare in orbe Christiano liceret, nisi assensu & autoritate Imperatoris confirmato. De hac consuetudine, cum Carolus Magnus Imperium Occidentis occupasset, ita inter ipsum & Episcopum Romanum conuenit, ut titulum & autoritatem Oecumenici Romanus Episcopus retineret, & procuraret ea, quæ ad res sacras, ministerium scilicet doctrine, & discipline Ecclesiasticæ gubernationem pertinerent. Sed ius constituendi Episcopos ueterum Imperatorum exemplo, Carolo & posteris relinqueretur, Nec ulla ullius, etiam ipsius Romani Episcopi electio haberetur rata, si Imperator non assensisset, Nec electo liceret aut Synodos Episcoporum conuocare, aut in rebus uel in ritibus Ecclesiæ mutare quid uel constituere sine consilio & approbatione Imperatoris. Hæc ut expresso consensu utrimque sancita, ita à Carolo posteris, magno defensa et conseruata sunt studio, ac seueritate magna, contra Pontifices, qui mox à Carolo hæc pacta atque conuenta primò callidè arrodere, mox uiolenter infringere tentârunt. Cumq; ad Saxones dignitas



Imperij translata esset, eadem renouarunt Otton  
 nes primus & tertius. Extat enim insertum iuri  
 Pontificio decretum, ubi Hadriani primi exemplo,  
 conferre se dicit Pontifex Ottoni Cesari potesta-  
 tem eligendi Papam, constituendi sedem Aposto-  
 licam, & Episcopos confirmandi, simulq; pœnam  
 indicit & statuit illis grauissimam, qui non expe-  
 ctato Cesaris suffragio Episcopos consecrarent.  
 Hæc constitutio quantum profuerit ad Ecclesia-  
 rum & Imperij tranquillitatem, ostendunt ambi-  
 tiosa certamina Pontificum, quæ deinceps secuta,  
 Italiam obiecerunt direptioni peregrinarum gen-  
 tium: Germaniam consistere & conuiescere  
 nunquam permiserunt. Certè Gallia quæ in hæc  
 consuetudine nihil immutari passa est, neque Epis-  
 copis potentiam ullam contra ueteres rationes  
 concedi uoluit, hoc nomine, quàm nostra Germa-  
 nia multò fuit beatior & tranquillior. Sed impa-  
 tienter tulerunt Pontifices hanc seruitutem, quæ  
 cum præcludi sibi aditum omnem ad eam potens-  
 tiam cernerent, qua sese oppressuros Imperatores  
 confidebant, nihil mouere & moliri datis occasio-  
 nibus destiterunt, quo ius confirmandi Episcopos  
 in se transferrent. Id enim si per fecissent, non fo-  
 re difficile perspiciebant, quando uellent, aut ele-  
 ctionem impedire Imperatorum, de quibus delibe-  
 raretur, aut electos, quos ferre nollent, repellere,  
 Germania per Episcopos commota. Cum autem  
 hanc rem sæpè tentassent frustra, tandem post  
 Henrici

Henrici III. mortem adepti & ἀφορμὴν rei perficiendæ accommodatissimam, & prophasim speciosissimam, magno demum serioq; conatu in eam incumbere coeperunt. Ardebant odijs mutuis Franci & Saxones ex æmula de Imperio contentione, quæ odia non prius sanari potuerunt, quàm extirpatis radicibus utrisq;, cum utrisq; sepelirentur. Franci excusis posteris Henrici Aucupis occuparant Imperium. Id Saxonibus & graue erat & acerbum, ut qui non obedire, sed imperare longo tempore & didicerant & consueuerant.

Reliquerat autem Henricus III. impuberem filium Henricum quartum. In hunc conspirant Saxones, & ueteribus incitati odijs & irritati nouis iniurijs eorum, qui Imperium tutorio nomine administrabant, ut fit, insolentius, & allecti in spem rei conficiendæ immatura ætate Regis pueri. Horum odia magis magisq; inflammabat Otto Bauriæ Dux, origine Saxo, Comes Northemij & dominus terrarum ad Visurgim, quem Henricus, cum paululum adoleuisset, conspirationis & affectu Imperij criminis conuictum, Ducatu Bauriæ exuerat. Præcipua tunc fuit potentia in Saxonia Magni & Hermanni Ducum Saxoniarum: Ottonis, de quo dictum est: Ecberti Marchionis Saxoniarum, qui per Thuringiam & Misniam latè imperitabat: Vdonis Marchionis Brandeburgensis. Ex hac Saxonum coniuratione aucti animis Epif-

copi, & in spem certam defensionis contra Imperatorem erecti, in eundem etiam cum Romano Pontifice conspirant. Accusatur Imperator hæreseos, ob malè administratas res Ecclesiæ, & distributa non idoneis sacerdotia, qui fuit prætextus maximè plausibilis: Euocatur Romam ad dicendam causam, condemnatur ad pœnas, quibus admissa crimina luat atque expiet ad limina templorum in urbe Roma, deposita dignitate ac maiestate Imperatoris, totius anni spacio, sed ita, ut prius sese nudis pedibus ad Pontificis genua prouoluat. Hæc dum Romæ fiunt, nouis edictis Pontificijs turbatur Germania. Rodolpho Sueuorum Duci, cui Henrici soror nupserat, mittitur corona cum inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Iubentur Saxones Rodolphum sequi.

Imperator re cognita, properat redire in Germaniam, & subito, quantis potest copijs coactis, Rodolpho occurrit. Quinto prælio uictum ad Mersburgum & grauiiter sauciatum profligat ex acie: Vbi cum Rodolpho iam expiraturo, dextra quam in prælio amiserat, allata esset, nimis serò scelera & perfidiam Pontificum detestatus: Hæc (astantium Episcoporum agmen allocutus) inquit, dextra est, qua Imperatori iuramento promissam fidem confirmaui. Hæc uolatæ à me, uobis instigatoribus, fidei argumentum & nefariæ perfidiæ uestræ testis est.

Osten-

Ostendit Deus in hac Tragœdia, illustribus summorum Principum exemplis, adesse se legitimis Magistratibus, hosq; tegere ac tueri, & reprimere iniustas ac seditiosas molitiones, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Deinde non oriri & interire, nec consistere Imperia casu, sed seruari ac mutari diuinitus. Denique ueram esse regulam, quam tradit filius Dei, Vt Reges gentium dominantur: Ministri uerbi non teneant Imperia politica. Dederunt enim pœnas, quotquot consiliorum seditiosorum fuerunt autores & socij ex utroque ordine politico & Ecclesiastico. Nam & in autores Pontifices scelera redierunt sua, & præcipuis Saxonum familijs extinctis, deueniunt principatus ad alienos. Cum enim reparatis uribus à Rodolpho interitu, Hermannum quendam Imperatorem delegissent, quem alij, Lotaringum, alij Saxonem fuisse prodiderunt, & hoc in oppugnatione cuiusdam oppidi, lapidis ictu misere perempto, spem regni fecissent Ecberto Marchioni Saxonie, qui Ecclesiam Naumburgensem condidit, Vincente fortuna Imperatoris, quanquam afflictus, frustra bellum instaurarunt. Cecidit in his bellis Otto Dux ad Visurgim, cum filijs, Conrado & Henrico Crasso. Ducum Saxonie stirpem clausit magnus Dux Saxonie, squalore & sordibus carceris consumptus. Ecardo filio Ecberti Marchionis Saxonie, in molendino, non procul à Brunswiga oppresso & iugulato,

concidit posteritas Henrici Aucupis. Vdone à Przemislao Obotritorum regulo pulso, & posteritate eius extincta, peruenit Marchia Brandeburgensis ad Albertum Vrsu. Interfectus est & Lotharij pater Gebhardus comes.

Nec satis fuerat Pontificibus, alienos ad seditionem sollicitasse, nisi etiam ex Imperatore natos filios, Conradum primum, moxq; eo mortuo & Henricum ad societatem belli, contra patrem perpulissent, qui, ne inultos ferrent parricidij conatus statutas expressis quarti præcepti cominationibus poenas persoluerunt. Nudata ergo ad hunc modum Saxoniam Principibus, cum Marchiam Misnensem Henricus Pater attribuisset Thimoni Bithinie domino, conditori stirpis Marchionum Misnie, Filius, qui se cum Saxonibus contra Patrem coniunxerat, ut partem obsequijs benevolentiam donationibus confirmaret, creat Ducem Saxonie Lotharium, & concedit, ut simul teneret, quæ à coniuge filia Henrici Crassi, quæ item à socru, sorore Echardi Marchionis accesserant. Ita Lotharius beneficio & concessione Imperatoris, totam complexus Saxoniam, ex fortuna tenui ad potentiam amplam & Illustrem euectus est. Sed non longa nec durabilis fuit hæc à non bonis orti principijs, amicitia. Nam cum iisdem postulatis Pontificum Henricus filius aduersaretur, quæ pater detrectarat, nouis incitationibus Pontificum con-

coniunctione dissoluta, bellum recruidit, in quo cum Lotharius Pontificias partes defendens copias Henrici quinti deleuisset, Imperator à fortuna destitutus & fractus ac defatigatus pertinaci improbitate Pontificum, tandem de suo iure cessit. Etsi enim princeps fuit non contemnendus, tamen neque animi magnitudine atque constantia neque industria militari, nec civili prudentia, neque successu in rebus gerendis, patri par fuit, qui, ut maxime in prima aetate liberius uixerit ac dissolutius, ut fuit educatus indulgentius: Tamen non licuit propterea turbare Pontificibus Imperij tranquillitatem, & uetera ac necessaria iura conuellere. De quibus, quod dimicari constanter ac fortiter, non multò clementius tractatur in historijs, ab adulatoribus Pontificum, quàm ab ipsis est Pontificibus exagitatus. Sed cum ambitione & crudelitate Pontificia profectas, causas ne ipse quidem scriptores tegere prorsus ac dissimulare possint, de scriptis eorum respondeo, quòd dixisse Leonem, in fabulis est, uisa statua, in qua Leonem homo strangulabat, Aliter hanc luctam expressuros fuisse Leones, si sculperè didicissent. Fuit omnino Henricus quartus, unus ex summis bellatoribus, qui cum sexagies bis, acie conflixerit, sepius Victor quàm uictus, feliciter & externos hostes repressit, & domesticos motus compressit. Nec cum Pontificibus de lana caprina contendit, sed de re summa, qua concessa, ruituram

Impe-

Imperatorum autoritatem, & maiestatem Imperij collapsuram prospiciebat, sicut res docuit. Has Pontificum artes & machinationes nefarias ac sceleratas, & ab Episcoporum munere alienissimas, parasiti ipsorum alto premunt silentio, tantum Tragice exaggerant, si quid uel Rege puero, à tutoribus, uel ab ipso iuuenilibus annis peccatum est, de quibus, cum cesserit & seuitie & censura Pontificum, cur eum crudeliter persequi, cur omnia seditionibus miscere, ut extorquerent que flagitabant, non destiterunt? Sed redeo ad Lotharium.

Henrico quinto mortuo, Episcoporum consilio, deposcitur atque euehitur ad Imperium hic noster Lotharius, uir acris, industrius, iustus, sapiens, fortunatus; Sed qui Pontificie tyrannidi nimium concessit & indulgit, seu metu seu superstitione, que ab his initijs, eò usque progressa est audacia atque impudentie, ut non contenta principatu Ecclesie, Monarchiam etiam orbis Christiani appetere ac tentare fuerit ausa, & conata sit opprimere. Lotharius ergò plurimorum suffragijs Imperium consecutus, occupata contra amulos Sueuos Germania auxilio generi Henrici Leonis Ducis Bauarie, & hostibus terrore potentie potius, quam praelio deuictis, primum in patria sese confirmat. Mox & Italia potitus, cum uideret utriq; necessariam esse pacem, hoc agit ante omnia, ut utranq; longis ac diuturnis bellis, ceu nauim

uim procellis quassatam ac fatiscentem reficiat atq; instauret, omnibus bellorum causis præcisiss. Id perfecit sublatis in Italia Pontificum disidijs, & ex Apulia pulso Rogerio Siciliae rege: In Germania Boiemorum tumultibus sedatis, & reconciliatis animis, qui mutuis adhuc flagrabant odijs, ex recenti ciuiliu bellorum memoria, sicut Athenas restituit Thrasymbulus sancita amnistia. Sed pacem in Italia non fore diuturnam arbitratus, in tanta & Legum dissimilitudine & iudiciorum diuersitate, quam peregrinarum gentium commixtiones inuexerant, ideo cum secundo uenisset in Italiam, iam senex & antecellens autoritate ac potentia deliberat de constitutione iudiciorum & Legum emendatione. Adhibetur ad eam deliberationem Irnerius, qui in Italia, autoritate, & prudentiae ac iusticiae opinione excellerat inde usq; à temporibus Henrici quinti, quod cum Constantinopoli didicisset Leges Romanas, & in gubernatione esset, sæpè ritus barbaricos, in successione & alijs negocijs, ex Gottorum, Longobardorum & Francorum consuetudinibus reliquos, de præscripto Romani iuris aut corrigeret aut moderaretur. Consultus is ergo, ostendit Lothario, quantum sit allatura boni Imperio & publicæ tranquillitati, eadem uox Legum, congruens rationi, & iusticiae conformis, & hortatur Imperatorem, ut mandet Iudicibus suis, ut de causis decernant ac pronuncient ex iure Romano. Ne



no. Ne uerò desit illius copia, profert ex Bibliothecis libros scriptos, & ut excolatur ac notum fiat, suadet, ut Bononiæ ueteri more, aperiat schola Iurisperitorum. Ibi enim Theodosius Imperator, Legum interpretes collocarat, hoc, ut opinor, consilio, ut qui sequi aulas antea & castra Imperatorum consueuerant, legum Doctores, postea certo in loco & doctrinam profiterentur, & de iure interrogati responderent. Quo consilio in Germania Camera iudicium, sicut apud Græcos Amphictyonium institutum meminimus. Reperit Imperatori longa narratione originem & antiquitatem Iuris Romani, cuius initia populus Romanus, ut natura horridior & asuetus ac deditus bellis, acceperit à cultiore gente Græca, cum studijs humanitatis. Commemorat, quales eodem tempore Respub. alibi floruerint. Ut Carthaginensis Imperij æmula, arma Romana exercuerit, & in ea gente uirtutem atque industriam bellicam auxerit atque acuerit. Attica uerò, Rhodia & Mafiliensis, quæ Phocensium in Ionia, Colonia fuit, ut ingenia Romana emollierint paulatim & flexerint, eloquentiæ & sapientiæ studijs traducta ad humaniorem uiuendi rationem. Ut leges Romani suas per decemuiros colligi ac conscribi curauerint, cum ex Atticis legibus Solonis, tum ex alijs Græcarum Urbium constitutionibus, ut ex legibus Zaleuci apud Locros, Charondæ apud Thurios. Ex his demum, quo modo

modo leges duodecim tabularum, pluribus, quæ ad Rempublicam pertinerent intextis, conflatae, & exemplo Atheniensium harum interpretæ fuerint constituti, qui leges enarrarint, & consulti de iure pronunciarint. Deinde quomodo his initijs creuerit studium Legum, & propagatum sit atque conseruatum Romæ, in Beryto, Constantinopoli, & tandem in Italia Bononiæ usque ad Gothicas & Longobardicas irruptiones, quibus oppressa uox Legum conticuerit, & desierit usus earum atque cultura. Hæc dum recenset, exaggerat & recentes dilacerationes Italiae, quas pepererant bella Henrici III. & quantum publicis disidijs dirimendis ac sopiendis, restitutio iuris Romani profutura sit, demonstrat. Placuit sapienti Imperatori consilium Irnerij, cumq; deesset lector, ipse iam ætate grandis ad scholas redit & docendi laborem suscipit, ut posteritati consulat. His initijs instaurata Legum doctrina paulatim in alias atque alias Italiae urbes, indeq; in Galliam & tandem in Germaniam propagata est, quæ quantum lucis attulerit controuersijs dubijs, quantum opis Rebus exponere nimis foret longum. Constitutis hoc modo rebus in Italia, Lotharius rediturus in Germaniam, per Tridentinã uallem, Veronæ morbo corripitur, quo tandẽ in itinere extinctus est, cum ante iter Italicum amisso filio & mascula prole desperata, Henricũ Leonem Bauarum Saxonie Ducem,

atq;

atque illius partis heredem: Alterum generum Ludouicum, cuius auum Ludouicum Barbatum Conradus Saliquus Comitem in parte quadam Thuringiæ fecerat, totius Thuringiæ & Hassiæ uicinæ Comitem prouincialem instituisset. Deceffit autem anno Imperij 13. Salutis nostræ 1140.

In huius gubernatione duo præcipuè opera Principi conuenientia & laude digna sunt, quòd pacem Germaniæ & Italiæ reddidit, & restituta legum doctrina, formam iudiciorum emendauit. Hæc beneficia ut maxima sunt, sic grata commemoratione ea nos celebrare decet.

Cumq; gratitudo duas complectatur uirtutes: ueritatem, quæ agnoscit unde profecta sint beneficia, & autorem celebrat: & iusticiam, quæ se obligat ad mutua officia, agnoscamus & nos Lotharium fuisse unum inter salutare Principes generis humani, cui Italia quanquam externo & peregrino, tamen eam tribuit laudem, ut post Carolum Magnum à nullo ex Imperatoribus se maioribus beneficijs affectam esse profiteatur. Et DEO agamus gratias, quòd & talem dederit Germaniæ Principem, & per hunc Legum doctrinam, usum & auctoritatem restituerit, precemurq; ardentibus uotis, ut hæc sua dona conseruet.

FINIS.

ORA=

## ORATIO RECITA-

TA IN PROMOTIONE MAGISTE-

rij à M. Iohanne Knor Hochstetense De-  
cano 4. Martij.

SI tam ingenio ualerem & eloquentia, quàm in-  
 telligo, quantum desit mihi in utroque, non or-  
 direr ab excusatione imbecillitatis meæ, sed que-  
 relam instituerem de difficultate deligendi conue-  
 niens argumentum, in tanta rerum uarietate atq;  
 ubertate, & de infelicis seculi nostri moribus, qui  
 difficultatem augent. Argumenta enim sese offe-  
 runt undique. Nam & hic locus, & hoc ipsum  
 anni tempus, de ijs me admonet uiris, quos hæc  
 Schola habuit summos, quorum alterum genuit,  
 alterum eripuit Februarius mensis. Horum, ut  
 cursus, Deo gubernante, salutaris fuit Ecclesiæ:  
 ita merita erga Rempub. Christianam, & decer-  
 tata atque exhausta pro celesti ueritate certami-  
 na, superatq; pericula, & magno studio illustra-  
 te doctrinæ, campos aperiunt eloquentiæ amplis-  
 simos, & magna refertos copia rerum grauissimæ-  
 rum, quarum commemorationem, cum debeat ur  
 memoria & beneficijs horum uirorum ac poste-  
 ritati, sperarem neque ingrati neque inutilem  
 esse futuram pijs & gratis mentibus. Recordatio  
 uerò præmaturi interitus utriusque, & que con-  
 secuta sunt mala publica, tristes dilacerationes Ec-  
 clesiarum, horribilia odia, contentiones maliciose  
 ii magis

magis quam necessariae, acerbæ insectationes & morsus uirulenti sepultorum, causas offerunt nobis iustas, querelarum, in quas, si sese dolor noster effunderet, etsi fortasse implacabilia nonnullorum odia exacerbaturæ essent, bonos tamen, & ueritatis & pacis amantes, non modò non offenderent, sed in societatem etiam luctus nostri, quem consensescere non patitur immatura & infelix precocium scriptorum foetura pertraheret. Nostræ autem artes, quas tractamus & exercemus assidue, & in quibus occupatur omnis cura nostra atque opera, quantum argumentorum superpeditaret? de quibus homo facundus splendide posset dicere citra offensionem cuiusque, etsi uereor, ut hoc etiam sine offensione fieri non possit. Eò enim, proh dolor, res redierunt, ut philosophicarum artium nomen in odio sit, mentio in suspicionem incurrat, usus & cultura toleretur egré: ut præcipuorum Poëtarum, quos uetustas, ut sapientiae magistros, coluit, scripta adolescentibus è manibus excutiantur, & relegentur è scholis.

In cæteris, simplici ueritati, cuius uiguit hæc ætenuis amor & studium, impudens & turpis sophistica: liberaliori eruditioni, audax & iactantunda inscitia: rectè ac propriè loquendi studio, rudis & insulsa barbaries: innocentie, suspiciones, uim afferunt. Neque dictum est quicquam tam explicatè, aut factum tam consideratè, in quod

quod non irruat atque inuadat mordicus inuiden-  
 tia liuor, quod uirulentia acerbitas non con-  
 spureet & inficiat, uel calumniarum uiolentia  
 non conuellat ac deprauet. Et quæ in faucibus  
 adhuc murmurant uoces, herentq; inter dentes,  
 imò quæ uix oculis sese exerunt, occulta animorum  
 sensa, priusquam proferuntur, intentissimè arri-  
 piuntur, sinisterrimè detorquentur, rabiosissimè  
 exagitantur. In nutus etiam omnes ac gestus cen-  
 suræ aguntur, quodq; sapientissimum esse in rebus  
 humanis sepe iudicatum fuit, ac tutissimum, tace-  
 re, id iam impunè non licet,  $\text{Ἡ διαβολὴ τῶν ὑπο-}$   
 $\text{φάσεων, quæ sunt ἄμαχορ κακῶρ, iuxta Pinda-}$   
 rum, occupant animos non tantum promiscuæ  
 multitudinis, cuius est  $\text{τῶν πολλῶν τὸ κῆτος}$ , sed etiam  
 sapientum. Si ergo & ab eloquentia instructus  
 essem, & doctrinæ me atque ingenij nerui non de-  
 ficerent, in has exaggerandas potius, quàm in me  
 extenuandum atque abijciendum ea expromerem.  
 Sed quæ sit tenuitas ingenij mei, quæ in dicendo  
 infantia, & ego mihi conscius sum optimè, & ne-  
 mini uestrum ignotum est. Quare reuerenter uos  
 oro, ut cum elaboratum nihil atq; expolitum, ner-  
 uosum etiam nihil, aut ex fontibus ueræ solidæq;  
 sapientiæ petatum, à me expectari sciam, cuiusmo-  
 di illa sunt, quibus animi uestri imbuti sunt, & as-  
 fuerunt aures, ut ergo quicquid id fuerit, quod  
 à me dicetur pro more & consuetudine scholæ,  
 boni consulatis, & candidè interpretemini.

Ad illa uerò quod attinet, quæ attigi, precemini unâ mecum ardentibus uotis, æternum Dei Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, λόγον καὶ εἰκόνα αἰδίου τοῦ αἰδίου πατρὸς, regnantem ad dexteram æterni Patris, & distribuentem dona hominibus, ut inter nos sibi colligat Ecclesiam perpetuò, & hanc Spiritu sancto suo gubernet, atque in ea conseruet illam, quàm inenarrabili bonitate his postremis mundi delirantis temporibus accendit lucem doctrinæ & caterarum artium, quarum presidium Ecclesiam requirere res docuit, nostri seculi experientia: Auertat etiam certamina & discordiarum semina & occasiones, quibus animi diuelluntur, distrahuntur in contrarias occupationes studia, & ueritas conuulsa ac uelut discerpta fluctuat, donec mersa extinguatur aut dissipata euanescat, sanet uulnera nostra, & flectat animos eorum, qui sedent ad gubernacula, ut querant remedia salutaria disidijs publicis, & caueant, ne crescant, neue Ecclesie maiora conslent pericula: deniq; uniuersos nos coniunctos animis, sensibus ac studijs, uno Spiritu regat ac ducat, ut præeunte luce cœlesti, directam expressè ueritatis normam sequamur perpetuò, & hanc tueamur & propagemus, priuatas iniurias, quanquàm acerbis & indignas commendemus Deo, & patienter feramus propter Ecclesiam λύσωτες ἐκείνας ἀνεὺ ξυῶς ἀνιάς καὶ μηδὲν νεόπερον δὲ αὐτῶν ἀνασῆσωτες κακῶν. Mala enim

enim malis nec tolluntur, nec leniuntur, sed exasperantur & cumulantur, καὶ πύρι δουθέντων τὰ πῦρ

Quærenti mihi autem argumentum huic loco & tempori accommodatum, fateor deliberationem eam fuisse difficilem. Vetera sæpe repetita gratiam non habent. Noua gignere mearum non est uirium. De parte aliqua doctrinæ nostræ differere, tutum non est in hac licentia calumniandi, & rabie ac petulantia ingeniorum mordicus præhendentium ac lacerantium, si quid ex hac Scholâ prodeat, quantumuis piè, moderatè, prudenter, circumspectè & disertè dictum. Virorum bonorum celebrare laudes & merita, piaculum esse censetur. Recitat Pindarus præceptum Nerei, ut inimici etiam laudent eum, qui res iustas & utiles ciuibus gessit. Hoc frustra decantatur ijs, quos odiorum inueterata rabies eò adigit dementiæ, ut non tantum laudes benemeritorum ferre non possint, sed etiam sua autoribus detrahere, & operibus, quæ reliquerunt posteritati, fidem atque auctoritatem derogare non uereantur.

Quamuis itaq;, & institutæ hoc in loco festiuitati conuenientius, & mihi laboriosum minus ac difficile, & de quo non dubito, toti auditorum cœtui fuisset gratius futurum, si narrationem instituissem repetitam ex historia eorum, quos ut meritò colimus ac ueneramur: sic celebrare nullis



unquam laudibus satis possumus: tamen ut cederem tempori, hoc omisso, constitui pauca monere de communium studiorum fine præcipuo, & hortari adolescentes ad considerandam & intelligendam doctrinarum omnium dignitatem, atque in primis ad eas artes magnificiendas, quarum si destituantur adiumento, infeliciter maiora aggredientur. Omne studium nostrum consumitur in duabus rebus præcipue, in ea sapientia discenda, & ad usum conferenda, quæ rebus distincta artiumq; diuersis est generibus pertractata: & eloquentiæ exercitijs, quibus res, cum opus est, explicantur & illustrantur. De utraq; grauissima extant Platonis testimonia. Artibus hoc tribuit, quod in singulas grata de Deo fama sparsa sit. Eloquentiæ finem statuit, ut dicat Deo grata. Quæ sint ergo uestigia diuinitatis in artibus singulis, considerabimus.

Et sacræ literæ docent, & communis id ipsum intelligentia, ratioq; in homine conuincit, hoc mundi pulcherrimum theatrum tanta sapientia à Deo architecto fabrefactum, tantaq; rerum uarietate exornatum esse hominis causa, hominem uerò, cuius & imperio subditum & subiectum intelligentiæ esse mundum uoluit conditor, his diuinæ naturæ proprijs ornamentis, ratione scilicet & libera uoluntate, condecoratum esse atque instructum, non tantum, ut emineret præ cæteris naturis atque excelleret, sed propter  $\delta\eta\mu\iota\omega\upsilon\sigma\gamma\omega\pi$  atq;

atque opificem, ut his ducibus & administris, Deum agnosceret, & uera obedientia coleret ac celebraret. Si ergo tractam haustamq; ex diuinitate lucem homo non amisisset, in mentibus humanis uelut in nitidissimo speculo expressissima refulsisset effigies archetypi unusquisq; in semetipso oculis suæ mentis prælucentibus infuse diuinitus lucis radijs, Deum esset conspicatus: Et ipsdem oculis penetrasset in abditas ac abstrusas rerum naturas, harumq; causis erutis ac discriminibus, conditoris consilium & sapientiam integrè perspexisset. Denique imitando & effingendo impressæ imaginis ceu ideam, ad nutum & uoluntatem auctoris omnem obedientiæ conatum inflexisset ac direxisset. Etsi uerò & hanc sapientiæ diuinæ lucem, labes primorum parentum lapsu nature influcta hebetauit atque obscurauit, & imaginem archetypi fœdè aspersit: tamen nec illam prorsus extinxit, nec hanc penitus expunxit aut obtruit. Nec deletis omnibus noticijs, mens humana nudæ tabulæ similis euasit, quam sensuum perceptiones, nouis consignent notionibus, ut censuit Aristoteles. Sed retinuit mens aliquid insite lucis, ut noticiam principiorum, ordinis, numerorum, discrimen ueri & falsi, quanquàm obscure illa micat ueluti scintillula tenuis in densa caligine. Retinuit & uestigia quedam absolutissimæ imaginis, quæ adhuc, & quòd sit, & qualis sit Deus, utcunque ostendunt, nimirum, quòd sit intelligens, sapiens,

omnipotens, iustus, tribuens equalia equalibus sine acceptatione personarum, bona bonis, mala malis, uerax, beneficus, castus, liberrimus, diligens creaturas, & praesertim illud opus suum, in quo suam effigiem conspici uoluit, & flagitans, ut mens & uoluntas nostra cum ipsius mente & uoluntate congruat. Retinuit autem cum his & σύμφορον δῶμα μὴ κρηνην, unde, quicquid est sapientiae humanae, profectum est, artes inde Dei singulari instinctu, ductuq; & auxilio, extruentibus uiris sapientibus.

At haec labes naturae humanae ut instauraretur, ut restitueretur mutilata imago, nec mens humana aut uersaretur in perpetua Dei ignorantia, ne, aut conflictaretur cum assiduis fluctibus dubitationum, effecit Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, intercessione sua apud Patrem, obedientia & missione Spiritus sancti: Hic prolato arcano decreto diuinitatis, promisit & praestat instauracionem generi humano: Hic ostendit Patrem, & repurgat ac renouat in homine Spiritus sancto imaginem archetypi, illitas maculas & obductam rubiginem extergendo, & nouae lucis communicatione expoliendo.

Inde duo prima diuersa extiterunt doctrinarum genera. Harum unum, Ecclesiae proprium, docet agnoscere Deum, sicut sese patefecit per Filium, qui hanc doctrinam, ex arcano sinu aeterni Patris depromptam, sua uoce promulgauit. Hec doctrina

doctrina non tantum sapientie, prouidentie, & bonitatis diuinæ uestigia proponit, ut cætera, nec obscuram saltem Dei adumbrat imaginem, qualem relique in mente lituræ referunt, uelut primarum linearum ductus, sed Dei essentiam ostendit ac uoluntatem, atque affectionem erga genus humanum declarat & confirmat, & qualis fuerit, atque esse debeat imago Dei in homine, qualisq; futura sit in illa eternitate, enarrat, & quomodo in hac uita restitutio illius incohetur, edocet: Denique, à quo reparata sit salus generis humani, quæ perierat, quoue & quibus auxilijs ac præsijs accipiat, ac retineatur, explicat.

Ab hac toto genere discrepant reliquæ doctrinæ uniuersæ, quæ Deum esse, & qualis sit, demonstrant aliquo modo, uel ex lituris inductæ atq; obfuscatæ imaginis, id est, ex reliquijs illius sapientie, quæ in humana mente de prima effigie archetypi, deq; radijs sapientie diuinæ supersunt, uel ex uestigijs, quæ in cæterarum naturæ partium admirando opificio de architecto testantur, & qualicumq; quod superest, acumine mentium humanarum comprehenduntur. Orditur mens ab inspectione & consideratione sui. Inde ductu sensuum progreditur ad contemplationem domicilij, in quo habitat, & cæterarum naturæ partium, quæ ad usum hominis magna sapientia, destinatis officijs, distinctis effectibus, & locis ac sedibus ceu classibus distributis, comparatæ sunt. Non dubium

est herere adhuc in mentibus humanis de insita  
 prima imagine ceu lineamenta & adumbrationes  
 quasdam notitiarum, quas Deus uoluit esse reli-  
 quas, ut harum iudicio & monitu, homo aliquo  
 modo agnosceret archetypum, & se illi subiectum  
 esse debere sciret. In his cum mens intueretur  
 Deum, qualis sit, & quod actionum externarum,  
 cum his conformitatem requirat, intelligeret, le-  
 ges inde detexuit, quæ consociarunt homines, &  
 quid in societate cõiunctis conueniret, quæ facere  
 oporteret, quæ omittere, quæ ad normam in mente  
 expressam congruerent, quæ ab hac discreparent,  
 monstrarunt. His constituta sunt Imperia, iudi-  
 cia, contractus. His communita & fulta eadem  
 uelut præsidio firmissimo sustentantur atque gu-  
 bernantur.

Hæc sunt uincula & nerui uniuersæ socie-  
 tatis, priuatim ac publicè, quibus ruptis, illa  
 dissiparetur: laxatis hisceret ac funderetur in  
 rimas, neque continere sese diu atque consistere  
 sine his fulcris & repagulis posset. Nec minus in  
 doctrina legum, & ijs, quas leges sanciant, ordi-  
 nationibus, lucent: sapientia, iusticia, ueritas, ca-  
 stitas, & alia bona, quæ in Deo sunt summa, quàm  
 in mente ipsa humana. Nec doctrinæ legum hone-  
 starum, quæ ad imaginis diuinæ uestigia congru-  
 unt, scopus est alius, quàm ut sapientiæ & iusti-  
 ciæ diuinæ Canonem in mentibus humanis, uelut  
 in breues fasciculos conuolutum, euoluendo &  
 expans

expandendo, atque in omnes priuatorum & publicorum officiorum partes, adeoque in coagmationes omnes & nexus ordinis politici tanquam normam rectitudinis gubernatricem dirigendo, accommodent ad usum generis humani, & societatis humanæ gubernationem ac defensionem, ut admoneantur homines, Deum autorem esse ordinis & sapientiæ politicæ, & postulare huius ordinis conseruationem.

Sunt reliquæ in mentibus humanis & noticiæ ordinis ac numerorum atque alia plurima, & intellectus connexionis coherentis, atque consecutionis in argumentando, & ut uniuersa paucis dicam, δὲ ἀναμικροπικῆ. Hac adiuta mens, postquam sese excusit, & ea peperit, quæ totum complectuntur genus humanum, præcuntibus sensibus sese conuertit ad partem naturæ humanæ brutam, rationisq; expertem & intelligentiæ. In fabrica ergo corporis humani, & tota rerum natura, quæ ad huius sustentationem admirabili rerum diuersitate, sed concordî consensu uelut conspirat, in his ergo, cum quanta sapientia in humano corpore ad usus certos partis rationalis: in reliqua natura ad corporis humani usus singula fabrefacta sint atque attemperata, peruestigasset artem Medicam condidit, quæ dum ex antipathia & sympathia naturarum, eruit & explicat rationem tuendi fouendiq; corpora humana multiplici præsidiorum, quibus natura redundat, uarietate,

rursus

rursus & esse Deum, & qualis sit, demonstrat. Sed aliter quàm legum doctrina. Hæc enim animos quasi in rem præsentem deducit, ponens ante oculos quandam ueluti picturam, aliqua ex ijs, quæ sunt in Deo, representantem. Illa non Dei imaginem effingit, sed ex fabrica corporis humani & admirandarum in hoc uirium discrimine ordineq; actionum, & cum humano corpore cæterarum nature partium consensu & repugnantia penè stupenda, eadem ratiocinando colligit. Idcirco dignitate prior est Legum doctrina, posterior ars Medica. Illa enim ex reliquijs imaginis diuine in mente descripta, in hac, Deum cernendum proponit eo fine, ut humana omnia, priuata & publica, in hac externa communis uitæ societate fiant huic imagini conformia: Et componit, fingit, atque ut Platonis uerbo utar, *ὑπομύζει*, partem hominis nobiliorem, qua is ad diuinitatem proximè accedit, animum scilicet: Hunc flectit & assuefacit ad moderationem, nimis feruidos impetus reprimendo ac retundendo, & intra definitas metas concludendo atque coërcendo. In hac, quod distortum est ac deprauatum, corrigit, quantum & reliqua lux, corrigendum esse monet, & imbecillitas humana patitur. Quæ assuefactio & si uix somnium est umbræ de illa obedientia, quam lex Dei flagitat: tamen & necessaria est, & à Deo præcipitur. Et pertinet ad dictum: Lex est *παῖς* *δαδωγος* in Christum.

Doctrina Medica curam corporis agit, & ut  
 menti preesto sit ac seruiat, ad ultimum finem con-  
 sequendum, ad quem homo conditus est, perficit,  
 deq; Deo ex fabricæ & uirium atque actionum  
 præstantia æstimat atque constituit. Sed toto cœ-  
 lo, ut dicitur, superat utramq; doctrina Ecclesiæ,  
 quæ, quid, & quantum desit homini, sola expli-  
 cat, & causas sola monstrat horrendæ labis in  
 utraq; parte, tenebrarum atque caliginis circum-  
 fuse imagini diuinæ in mente, & deprauationis  
 noxi & turbatarum uirium in organis cor-  
 poris. Sola etiam utriq; denunciât, offert ac præ-  
 stat remedia à Filio Dei. Quam, quia non ulla ge-  
 nuit creatura, nec uis & acumen ingenij humani  
 aut ex sese edidit, aut eruit ex natura, sed Filius  
 Dei aperuit, productam ex arcano consilio ac de-  
 creto diuinitatis, de rebus, non ad hanc fragilem  
 atque caducam, & iniuriarum omnium ac mise-  
 riarum procellis expositam uitam pertinentibus,  
 sed ad æternam, luce diuina & leticia plenam, cu-  
 ius, quomodo inchoari initia in hac uita & quasi  
 rudimenta quedam oporteat, ostendit, idcirco  
 omni cultu reuerentiæ sanctissimæ ac perpetuæ  
 dignissima est. Ceteras, uis & acumen ingenij &  
 sedulitas industriæ peperit humana, petitis prin-  
 cipijs ex notionibus nobis insitis, quarum consumi-  
 tur opera & cura in hac externa uita bene recteq;  
 & cum ratione agenda, & in huius uitæ miserijs  
 leniendis, erratis corrigendis, bonis adipiscendis,



Et ubi acquisita sunt, fouendis, augendis Et exor-  
nandis. Tota enim Philosophia nihil est aliud, nisi  
querela de humanis miserijs Et leue frenum.

Venio ad nostras artes Philosophicas, quæ cum  
duabus præcedentibus ex iisdem propagata prin-  
cipijs, ordine nature procedunt, dignitate sequun-  
tur. Nam Et fundamenta, quibus illæ nituntur,  
preparant ac præstruunt, Et iisdem uelut mini-  
stræ assistunt ac seruiunt, quibus, qui sese non ex-  
pediuerit Et confirmauerit, in illas ingressus sepe  
hærebit ac hallucinabitur. Fontes Legum eruit ac  
demonstrat doctrina de moribus, quam Ethicæ  
uocant. Huic uirium in homine discrimina expli-  
cat doctrina Physica, discernens liberè agentes Et  
rationis compotes ab agentibus naturaliter Et  
ratione carentibus. Eadem aditus adornat ac  
præmunit ad Medicas artes, Et prima quasi linca-  
menta format, de quibus reliquum corpus contexi-  
tur. Vtraq; ex doctrina numerorum, proportio-  
num, motuum cælestium, plurima assumit Et mu-  
tuatur. Vtrique, ut tractari ac doceri possint, ar-  
tificia Methodi necessaria sunt, Et proprijs ser-  
monis copia atq; exponendi facultas.

Quanquàm autem peculiaris est doctrina Ec-  
clesiæ, tamen non pauca illa quoque habet, in qui-  
bus harum artium præsidia Et adiumenta non  
aspèrnat. Nam Et sermonis usum atque intelle-  
ctum à Grammatica, Et tractationis rationem ex  
Diale-

Dialecticis, & quandam quasi descriptionem distinctarum uirium in homine, multarumq; naturæ partium declarationem ex Physicis, & annihilationem ex doctrina astrorum petit, ac cæteris partibus, quæ huic cognatæ sunt. Cumq; de ijs materijs differendum est, quæ ad legem Dei proprie pertinent, multa sumit ex Philosophia morali, ut nomina uirtutum, definitiones, doctrinam de lege naturæ. Et ipsa collatio Philosophiæ moralis & doctrinæ Ecclesiæ illustrat utramq;: Nec de discrimine, nisi utraque cognita, rectè dici potest. Sed ea sapientiæ diuinæ testimonia percensere, quibus refertæ sunt singulæ, cum totæ nihil aliud sint, nisi Dei sapientia, nimis foret longum. Intellego autem ueram Philosophiam ex principijs natura notis, aut longa animaduersis experientia, demonstrationibus constitutam: Non deliramenta Stoicorum aut Epicureorum uel aliorum ἀλογα καὶ ἀναλόγητα commenta.

Quis negabit sapientiæ diuinæ particulã esse, aut in doctrina numerorum, horum uim, seriem, interualla, rationem, analogiam, quæq; ex his extracta sunt, infinita uarietate: aut in Geometricis demonstrationibus euidentiã certitudinis: aut in doctrina de motibus cœlestibus, demonstrationum & numerorum, cum perpetuo ordine motuum admirandum consensum.

Meminerint ergo dictum Platonis adolentes: Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse,

Et cogitent, doctrinas ueras res sacras esse, deri-  
 uatas ex riuulis sapientiae diuinae, quae testatur De-  
 um esse, et qualis sit ostendunt. Et referri debere  
 doctrinas omnes, non ad obscurandam uel obruen-  
 dam, sed ad ornandam ac celebrandam gloriam  
 Dei, et confirmandam assensionem de prouiden-  
 tia: Mentis etiam in doctrinarum tractatione  
 semper debere intentas esse, et defixas in Deum  
 autorem, qui his sese expressit. Nunc etiam hoc  
 moneo adolescentes, ut artium Philosophicarum  
 utilitatem intelligere discant, ac magnifacere: Et  
 in his sese prima aetate, dum uigent ingenijs, nec  
 dum laborem discendi, aut grauius ferunt, aut  
 fastidiunt, diligenter exerceant. Omnino enim id  
 sibi persuadeant, infeliciter in caeteris sese doctri-  
 nis operam posituros esse, nisi hausta ex his ar-  
 tibus fundamenta ad eas attulerint, quae sunt uelut  
 alae, quarum remigio sublata ingenia, euolant ad  
 sublimiora. His destituti, humi repunt, et frustra  
 ad illa enituntur, tandemque magno conatu a longe  
 inultum diuque ad illa anhelando, uix gustum earum  
 tandem percipiunt. Nec moucantur adolescentes,  
 aut clamoribus eorum, qui suae ruditati et insci-  
 tia, nescio quos, doctrinae sacrae singulares et En-  
 thusiasticos intellectus praetextentes, Philosophia-  
 cas artes traducunt ad uulgus, tanquam pernicio-  
 sas moribus Christianis, et quae cognitionem do-  
 ctinae sacrae ueram impediunt, aut iudicij sin-  
 stris aliquorum, qui excludunt e scholis eos auto-  
 res, e

res, è quibus solis puritas linguarum, quarum cognitio Ecclesie necessaria est, discitur. Sed contra tales, meliorum & saniorum iudicia atque evidentes utilitates sibi proponant.

Te autem Fili Dei, Domine noster Iesu Christe, qui es custos & umbraculum Ecclesie, toto pe-  
 flore oro, ut his regionibus clementer pacem tribuas, nec Academiam hanc, & hæc doctrinae studia, quæ profitemur, deleri sinas: Sed excites & instruas ingenia doctrinarum capacia, & salutaria Ecclesie tuæ, quæ discendo docendoq; ea conseruent & propagent, ut tu celebreris.

DIXI.

## ORATIVNCVLA,

DE AFFECTIBVS INTER PARENTES & LIBEROS MUTUIS, QUOS ΣΟΡΥΑΞ UOCANT,

Recitata à M. Paulo Ebero  
 filio.

**V**aldè me pudet hoc in loco & consistere & dicere ante alios, qui me ætate, eruditione, & iudicio longè superant, ac optarim & hunc locum & has dicendi partes, alij mandatas fuisse, qui ab ingenio, doctrina & usu, quorum nihil in hanc exiguam ætatem meam cadere potest, instructor, cum laude Scholæ nostræ eas sustinere potuisset, quales multi in hoc cœtu meorum competitorum

Kk

inueni-

inueniuntur. Sed quia hoc ita uisum est ijs, quorum authoritatem defugere nobis iunioribus non licet, spero omnes, quibus huius Academiæ consuetudo nota est, mihi ueniam daturos, aliquid de uoluntate & iussu præceptorum meorum summa reuerentia dignissimorum asserenti, & potius obediendi studium probaturos esse, quàm requisituros facundiæ conatum, qui non modo omnis irritus esset futurus, sed etiam ridiculus in hac meâ ætate uideri meritò posset.

Cum igitur & Scholæ consuetudo, & ornatissimi Domini Decani autoritas, aliquid me in hac ipsa meâ infantia dicere postulet, constitut paucæ querere potius quàm differere de storgis Physicis, quas constat in cordibus parentum erga liberos, præsertim calamitosos, flagrare, admonitus historia Euangelica de muliere Cananæa, quam die Dominico proximo à Reuerendo uiro, pietate, & eruditione & uirtute præstante Domino M. Ioanne Kittelio Pastore Ecclesiæ Brandenburgensis, hospite nostro, luculenter enarrari audiuimus, quo modo Mater acerbissimo dolore ob miseriam filię à Demonio horribiliter uexata, perculsa & impulsæ, ad Christum accurrerit, & suum dolorem ardentibus gemitibus, lachrymis & clamoribus testata, opem illius implorauerit, Ibiq; silentio primùm quasi neglectiōis indicio absterrita, deinde post discipulorum etiam intercessionem exclusæ & reiectæ sit à societate populi Iudaici, quasi eius solius

folius saluandi causa Christus exhibitus esset, tandem etiam post repetitas preces, & mœstissimam supplicationem, cum conuicio immunda & obscœne canis, quasi prorsus repudiata sit, ubi tamen incitata & animata magnitudine amoris & doloris materni, hoc ipsum conuicium detorsit ad suæ petitionis sententiam, atque ita capto suis uerbis & constricto quasi Christo, extorsit operam, quam prius constanter denegare uisus fuerat, cum allegato catellorum iure, quod in domo cum filiis familiâs habent, eruditè interpretata esset, diuinas promissiones de beneficijs Mesie, quod, etsi illa principaliter semini Abrahe deberentur, tanta tamen eorum sit largitas & ubertas, ut etiam alienis à populo Dei indigentibus & petentibus contingere debeant, & abundè suffectura sint. Eorum beneficiorum, quibus filij non indigerent, miculis saltem & buccellis cum se saturari petiisset, non tantum à Christo id impetrat, quod petiuerat, uerum etiam audit suæ fidei constantiam, robur & efficaciam palam prædicari tantis encomijs, quantis nullius tunc Apostoli fides laudata fuit, qui contra sæpius & antea audierant, & deinceps audituri erant, se ὀλιγοπίσους, se tardos corde ad credendum, se ἕνεκα τῆς ἐπιστοπὸς καὶ δὲ ἑσθλαμυδῶν à Christo appellari & obiurgari.

In hac muliere cum admodum insigniter conspiciantur σοφῶν parentum erga liberos, & ea-

rum etiam insignes utilitates cernantur, quas affectum, cum uerbo Dei reguntur, existimari operis precium, de ijs aliquid dicere, non contra Stoicos tantum, qui hos quoque affectus, sicut & alios, opiniones esse iudicabant, & ut suo genere uiciosos cum alijs legi Dei manifestè contrarijs ex natura hominis tollendos esse censebant: Verum etiam contra quosdam Hypocritas recentes, qui illa Stoicorum deliria Theologiæ miscentes, prætextu singularis pietatis hos affectus uniuersos improbant, & homine Christiano indignos esse clamitant, qui mente sua & corde tantum in assiduo contuitu cæli affixus, nulla prorsus re terrena letari aut adfici debeat, nihil nisi cœlestia appetere, cogitare, somniare quoque, nulla re tristi commoueri, nullius proximi calamitate, lapsu, morte, dolere aut lugere, denique ad omnes euentus exterritus, immotus, imperterritus, & ἀκράδην & quasi esse debeat.

Et hos fanaticos suos stupores etiam scripturæ sanctæ testimonijs tueri, & imperito uulgo pro singulari sanctimonia uenditare conantur, allegantes dicta Christi & Apostolorum, quibus illi reprehendunt & damnant intempestiuas curas & sollicitudines de uictu & defensione, cupiditatem uindictæ priuatæ, nimiam trepidationem ob metum futurorum, fiduciam & spem fluxorum bonorum nimiam mœsticiam & indecoros luctus in calamitatibus nostris uel proximorum.

Hæc

Hæc dicta Scripturæ isti fanatici detorquent ad omnium affectuum humanarum prohibitio- nem, & exigunt in regeneratis plus quàm Stoi- cam ἀπάθειαν, quàm postea fingunt esse apti- tudinem & præparationem ad illas, quas iacti- tant, illuminationes & reuelationes arcanas, quarum uana promissione imperitos homines à studio uerbi, à ueneratione & usu ministræ- rij, ab officijs communibus huius ciuili- tatis abducunt, quæ uesania cum in Deum sit contumeliosa, & perniciosa communi uitæ, sæpe illustribus argumentis refutari debet, & contra- rio proponi uera doctrina de affectibus, ut disca- mus, qui & quatenus sint in natura conditi, & quomodo debeant regi, & quòd multarum maxi- marum uirtutum, & laudabilium actionum in- strumenta & incitamenta sint, & de maximarum rerum consideratione nos utiliter admoneant.

Hanc autem doctrinam de Storgis eò libentius tractandam suscepi, quòd immensitatem beneficio- rum quæ à pijs parentibus accipimus, nobis ob o- culos ponit, quorum omnium fons & origo sunt illæ diuinitus insitæ cordibus parentum σοφῶν erga sobolem, & nos uicissim nostri officij, & in primis gratitudinis, quam parentibus debemus, commonefacit.

Primum autem Stoicorum delirium reiicimus, qui sinxerunt, σοφῶς esse tantum opiniones in



mente, ex obiectis per sensum monstratis conceptas, uel propensiones uoluntatum ex diuturniore conuersatione & arctiore consuetudine ortas, ut si canis nobis domesticus blandiatur ob sepius acceptos cibos, uel alioqui ob diuturniorem notitiam, alienos uerò ignotos, & nihil meritos allatret, auersetur & fugiat. Ita infantes nostros & in uniuersum sobolem existimant Stoici abblandiri parentibus, uel propter sepius accepta per illos munuscula, uel propter diuturniorem notitiam & familiaritatem, & uicissim parentes propensiores erga liberos suos, quàm erga alienos esse, uel propter opinionem, quòd ex sese illos ortos putent, sicut alioqui omnia nostra cariora nobis sunt, & pluris estimantur, uel quòd illis ita adsueuerint, ut omnibus eorum gestibus, uocibus & lusibus delectentur magis, quàm aliorum, quibus non adsueuerunt.

Sed falsa hæc esse multis argumentis ostendi posset, si tempus permitteret. Experimur enim sobolem diligere, & quidem ardentius, tunc, cum nihil foris apparet, quod nos delectare possit, cum morbis aut scabie deformati, & alijs de causis sordidati infantes ab alienis atque adeò à domesticis cæteris non modo non contrectari, sed & uix aspici præ nausea possunt, quo tempore matres omnium sollicitissimè & arctissimè fouent, lauant, terunt infantes, & in illis ipsis sordibus amplectuntur & osculantur.

Rursus

Rursus liberos non sola utilitatis cogitatione & acceptorum beneficiorum recordatione moueri, ut parentes diligant, inde certum est, quòd non solas matres aut nutrices suas diligunt infanti, à quibus lac & cætera alimenta & fomenta accipiunt, sed etiam ad patres maximo cordis impetu feruntur, à quibus tamen nihil aut parum nutrimenti accipiunt, aliquando etiam per longa interualla uisuntur & salutantur. Et tamen cernimus infantes sæpe ad primum ingressum patris in conclaue, & ad primum contuitum mox exultare, gestire, risu, uociferatione, iactatione omnium membrorum, ostendere subito accensam in ipsorum pectusculo leticiam, cordis dilatationem & spirituum effusionem, quasi ruentium ultrò ad complexum aliquandiu non uisi patris, quales gestus non edit insans ad conspectum cuiuscunq; non dico alieni, sed domestici etiam, imò sæpe ne matris quidem aut nutricis accessum tanto gaudio excipit insans, quanto se effert, patre ex interuallo & mediocri temporis conspecto.

Vanissima igitur est Stoicorum sententia existimantium eiusmodi σοφῶς esse opiniones ex uarijs occasionibus intra animos conceptas, & confirmatas usu & diuturna cohabitatione.

Teneamus hoc, quòd uerius est, σοφῶς esse naturales motus cordis, quod ita factum est, ut sensu cognati uel sanguinis uel spiritus afficiatur,

Et dilatetur leticia, quasi obuiam ruens in complexum sanguine iuncti hominis, Et rursus contristetur Et contrahatur cernens aliquid molestum accidere cognato sanguini.

Horum motuum causas interiores et propiores cuperemus omnes intelligere. Nec ego is sum, qui mihi earum explicationem sumere debeam. Sed mirabiles esse motus cordis, Et multo aliter erga cognatos sese habentes, quam erga alienos, experientia discimus. Neque enim tam faciles motus, tam celeres, tam acres sentit cor nostrum, si quid boni uel mali de alieno homine per sensus nunciatum accepit, quam si idem uel etiam multo leuius cognouimus, de eo, qui nobis sanguine iunctus est.

Imò quòd magis mirum est, etiam sine sensuum nunciatione, aliquando cor nostrum languore afficitur, comprimitur, Et mœsticia insolita Et repentina grauatur, cuius causam indicare nullam possumus, eo ipso tempore, quo uel liberi nostri uel parentes, etiam cum procul absunt, aliquid mali patiuntur, corde uidelicet presagiente aliquid nostris triste euenisse, aut euenturum, antequàm quidquàm sinistri nunciij ad nos allatum fuit de obitu uel alijs calamitatibus nostrorum, quas postea fama uel nuncio compertas, temporum collatione facta, experimur tunc accidisse cognatis nostris, quando sine euidenti causa cor nostrum mœsticia inusitata languere sensimus.

Ita fieri interdum uidemus, ut mater aut pater filium, frater aut soror fratrem, propter diuturnitatem absentiae, de facie prorsus ignotum, intus agnoscat, priusquam foris oculi formam dijudicent & apprehendant, spiritu nimirum & sanguine cognato intrinsecus commoto, & ebulliente, & fundente sese extra cor, & quasi nitente & ruente ad cognatum sanguinem uel spiritum.

Ita enim natura comparatum est, ut simile ad sui generis aliud magno conatu tendat, sicut flamma ex lychno ardente in id, quod ignis naturae proximum est, ut in pinguem & aëreum fumum, uel aliam materiam similem celerrimè transfilit.

Ita uerisimile est, spiritum animale, ex uno corpore per generationem auulsum, & in alia corpora propagatum, querere coniunctionem, & toties moueri & agitari ad consociationem, quoties uel recordatio cognati sanguinis mentem, uel species externa uisum, uel fama auditum mouet, imò ut dictum est, aliquando sine talibus administris, suo quodam peculiari motu, & planè diuino cietur spiritus animalis, ut cor ad mœsticiam uel leticiam commoueat, tunc, cum cognato homini procul absenti insigniter malè aut benè est. Quae ideo recito, ut appareat id, quod uerissimum est, σοφῶς nequaquam esse imaginationes, aut opinionones, quae pro arbitrio sumi, ac rursus deponi

possint, aut temerè adfluant & recedant, ut flus  
 etus & Euripi ab incertis uentis impulsì, sed esse  
 naturales motus, substantiæ spirituum animalium  
 inditos, ut sicut illi formas aliarum rerum per sin-  
 gula sensuum organa apprehendunt, discernunt,  
 & iudicant, ita etiam spiritum & sanguinem à  
 suo uel cognato corpore ortum, & in aliud cor-  
 pus per generationem propagatum, agnoscant, &  
 ad eum magna celeritate & uehementia ruant,  
 atque ita cor impellant, ut cognati hominis con-  
 spectu, conuersatione, & rebus prosperis letetur,  
 & eiusdem absentia, calamitatibus, & interitu  
 contristetur, & uehementissimo conatu mala ab  
 eo depellere nitatur. Inde exoriuntur amores, le-  
 titie, hilaritates, inter præsentis cognatos: Inde  
 est ardentissimus dolor, & luctus & desiderium,  
 in calamitatibus, separationibus & mortibus co-  
 gnatorum: Inde est feruentissimus zelus, maximo  
 conatu etiam cum suo periculo contendens, ma-  
 lum ledens à cognato corpore depellere, quos af-  
 fectus sopycèg naminamus, & uerè credimus diui-  
 nitus in creatione rationalibus naturis impressos,  
 partem esse imaginis Dei, ad quam homo conditus  
 est, & futuros fuisse in natura integra & tales  
 repurgatos et ardentiores fore in æterna beatitu-  
 dine post hanc uitam. In hac uerò uita scimus eos  
 seuerè à lege Dei requiri, quæ dilectionem proxi-  
 morum seriò præcipit, & in renatis à spiritu san-  
 cto restitui, & puriores accendi ac regi.

Paulus

Paulus quidem certè inter summa scelera, quæ  
 lia in Ethnicis alienis prorsus à Deo, fuisse, & cir-  
 ca finem mundi in maxima nature humane dege-  
 neratione & prauitate præcipuè futura esse scri-  
 bit, enumerat tanquam teterrimum uicium etiam  
 ἀσοργία: cum Rom. I. & in secunda ad Timo-  
 theum capite tertio scribit: Homines fuisse &  
 futuros γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχαρίστες, ἀσοργεῖς.  
 Et in prima ad Timotheum quinto dicit de uiduis:  
 Discant primum τὸν ἴδιον οἶκον ἐυσεβεῖν, καὶ  
 ἀμειβασθῆναι ἀποδοῦναι ταῖς προγόνοις. τούτο ἔ-  
 βρι καλὸν καὶ ἀποδεικτὸν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Et  
 addit paulò post: Si qua suorum, & maxime do-  
 mesticorum, curam non habet, fidem negauit, &  
 est infideli deterior.

Sunt autem maximarum utilitatum causa σοφ-  
 γαὶ conditæ in natura hominis. Primum, ut con-  
 seruari, propagari & augeri genus humanum  
 per nutritionem, educationem & defensionem  
 sobolis possit, quæ quidem utilitas homini cum  
 brutis animalibus est communis, in quibus cernun-  
 tur mirabiles inclinationes, studia, artificia, &  
 impetus in fouenda, nutricanda, tuenda, proue-  
 henda prole tam diu, donec sibi necessariam ad ui-  
 etum comparandum industriam, & ad defensio-  
 nem suæ incolumitatis uires & instrumenta ne-  
 cessaria acquisierit. Vnde postea parentes sobolem  
 deserunt, uel etiam à se prorsus fugant & repel-  
 lunt.

Homini uerò *sopyai* inditæ non ad tempus, sed per totam uitam durant, imò etiam cum etate fiunt ardentiores & acriores, quibus mouentur parentes, ut non tantum uictum primis nutritionis annis soboli quærant, sed etiam instruant eam præceptis uirtutum, regant eam consilijs suis, traducant ad agnitionem & ueros cultos Dei, cuius officij imago cernitur in situ uberum, quæ brutis animalibus, lactantibus foetum, in imò uentre collocata, mulieri ad pectus admota sunt, ut significaretur, parentes debere liberis non uictum tantum, & cætera ad hanc temporalem uitam necessaria, sed sapientiam etiam impertire, quæ instruere & præparare & perducere sobolem possit ad æternam uitam & consuetudinem cum Deo conditore.

Huius *sopyai* illustre exemplum & insignis fructus nobis propositus est in proxima historia mulieris Cananæ, cui maternum pectus ita flagrat amore & dolore ob ingentem talem calamitatem filie, ut & sollicitissimè circumspiciens quærat opitulatorem, & monstratum partim in promissionibus, partim communi fama, animosè & intrepidè conueniat, supplex oret, & nihil reuerita suam indignitatem, nihil morata etiam monstrati opitulatoris duras uoces & conuicia, pergat, urgeat, & pertinacia fidei & inuocationis tandem expugnet Dominum, & cogat quasi, filie suæ opem ferre, quam adeptæ, haud dubiè cum

biē cum filia postea hunc liberatorem pro uero  
Mesiā & Filio Dei agnouit, inuocauit, celebra-  
uit, & eius fiducia statuit se Deum placatum ha-  
bere, & ex hac uita decessit leta ad æternam Dei  
consuetudinem.

Ad hanc tantam bonorum temporalium &  
æternorum copiam petendam à Christo & conse-  
quendam, incitatrix huic afflictæ matri fuit SOP-  
YR, diuinitus ipsius cordi impressa, quæ conques-  
cere ipsam in tanta filie miseria non permisit, do-  
nec liberationem à corporali malo adipisceretur,  
cum qua, crescente simul luce & ardore fidei, æ-  
ternam salutem est consecuta.

Hæc tantorum bonorum instrumenta addita  
hominum naturæ, nos iuniores præsertim agnos-  
camus, magnificiamus, & grati celebremus, &  
toto pectore detestemur illos Enthusiastarum fu-  
rores, qui has storgas non agnoscunt ut dona Dei,  
non usurpari uolunt, & dementati inani capti-  
tione sanctitatis, homines non solum deteriores  
infidelibus, ut Paulus loquitur, uerum etiam ipsi  
bellis crudeliores faciunt, dum matres à liberis,  
liberos à parentibus, fratres à sororibus per spe-  
ciem religionis auellunt, & has SOPYRÆ, quæ pro-  
ximos inter se deuinciunt, & nerui quasi sunt  
domesticæ consociationis & mutue beneficen-  
tiæ & gratitudinis, ex animis hominum euellere  
conantur.

Ego quidem palam profiteor, me ab illorū insa-  
nia



nia tota mente abhorrere, & gratias Deo quantas  
 concipere animo possum, reuerenter ago, quòd  
 hos fonticulos uberrimos in pectoribus parentum  
 nostrorum insculpsit, ex quibus largissima ad nos  
 omnis generis quotidie beneficia promanant.  
 Imprimis autem & nominatim Deo gratias ago,  
 quòd mihi patrem largitus est *Εὐλοσόφορ*, me  
 pie amantem, qui & ipse à pueris me salutare do-  
 ctina de Deo, & omnibus honestis officijs instru-  
 xit, & ab alijs rectè institui & formari ad uir-  
 tutis & bonarum artium studium curauit, cui  
 memoriam & prædicationem horum beneficio-  
 rum cum debita reuerentia & obsequio, Deo iu-  
 uante, & in hac uita, & in tota æternitate præ-  
 stabo.

Et quia huius materie ubertas meam longè ex-  
 cellit infantiam, reuerenter oro, carissime pater,  
 ut tu de dignitate *Ποργαρου* explicatus di-  
 cas, & argumenta etiam aliqua refutes,  
 quibus fanatici homines eas  
 impugnare audent.

DIXI.

## RESPONSIO.

PATRIS.

Carissime fili, non finit temporis angustia nos  
 hic instituere longiorem refutationem, &  
 orna-

ornatissimi uiri non sunt prolixitate orationis nota-  
 stræ incultæ & insuauis onerandi diutius. Dicam  
 tamen pro paterno meo in te amore pauca, quia in  
 publico hoc optimorum uirorum confesso aliquid  
 filio honesta ratione petenti denegare, uideretur  
 esse alienum ab eius natura, cui tu φιλοσοφία  
 tribuis, à qua me non abhorreere fateri malo, quam  
 cum Enthusiasticis istis uideri propter ipsam ἀπά-  
 θεαυ fortis & constans.

Speciosissimum argumentum, quo se isti fanati-  
 ci impugnatores storgarum imperito uulgo  
 uenditant, est dictum Luc: 14. ubi inquit Christus:  
 Si quis uenit ad me, & non odit patrem su-  
 um & matrem, & uxorem, & filios, & fra-  
 tres, & sorores, adhuc autem & animam su-  
 am, non potest meus esse discipulus.

Ergo qui uult esse discipulus Christi, inquit,  
 debet se omnibus his uinculis domesticarum ne-  
 cessitudinum exoluere, & omnem amorem & cu-  
 ram suorum abijcere.

Facilis responso est, Christum ibi loqui de ca-  
 su confessionis, quod inde certum est, quia iubet  
 etiam odisse suam uitam, quam certe non uult  
 nos ipsos abrumpere nostro arbitrio, sed teneri  
 nos prohibitione, Non occides, scilicet, nec ali-  
 os, nec te.

Verum

Verum cum confessio hanc tibi necessitatem imponit, ut aut parentes, liberos, fratres, imò uitam tuam, amittas, aut à Deo deficias, & manifestam idolatriam approbes & usurpes: ibi mandatum Dei (Fugite idola, & : Non habebis Deos alienos coram me.) omnibus alijs carissimis rebus, & inferioribus præceptis. Honora patrem & matrem. Dilige proximum tuum) anteferre debes. Et hanc esse sententiam uerborum in Luca, manifestum est ex Matthæo 10. capite, ubi idem præceptum sic effertur: Qui amat patrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam, super me, non est me dignus.

Non igitur simpliciter prohibet amorem proximorum seu storgas, sed uult eas regi summo mandato: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ut Deum magis amemus, quàm nos, aut nostros. Hunc amorem translatum à carissimis personis in Deum tempore confessionis: Christus uocat odisse proximos, hoc est, negligere eos seu posthabere in casu confessionis, Vbi summum & infinitum bonum debet anteferrì minoribus & finitis. Extra hunc casum uult nos teneri præcepto: Diligas proximum tuum. Honora patrem & matrem tuam, hoc est, uult exerceri à nobis storgas erga sobolem, parentes, fratres, ita tamen, ut illæ regantur uerbo Dei, gratus faciente inter obiecta amoris.

Nam etiam hoc dissimulari non debet, propter peccatum originis his ipsis flammis legitimi amoris erga proximos, aspergi multas sordes, Ut languidior sit amor erga cognatos, quam oportebat, aut ita uehemens & peruersus, ut ad quaelibet uitia nostrorum conuincat, & omnia indulgeat, quod eleganti uersiculo reprehenditur:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Ab hac ἀταξία & uitijs, quæ aliundè accedunt, longè discernantur ipsæ σοφῶν, ut res à Deo conditæ, & sua natura optimæ, de quibus profectò proderat sepe commonescieri iuniores, ut diuinam sapientiam & bonitatem considerarent attentius, & sese ad celebrationem illius, & ad gratitudinem erga parentes exuscitarent sepius. Nam in illis σοφῶν sunt omnium flagrantissimæ, quæ, ut rectè dixisti, sunt fons omnium beneficiorum, quæ à parentibus in liberos conferuntur, quorum amplitudo tanta est, ut nulla eloquentia exponere eam possit.

Ea bona dum querunt soboli parentes, et comparant, quantum subeant laborum, periculorum, molestiarum, quantum sustineant curarum, uigiliarum, arumnarum, quantum perferant cruciatuum, ægritudinum & acerbissimorum dolorum, corporis & animi, nemo uel cogitando assequi satis potest, ad quæ uniuersa mala toleranda & exhaurienda, unica illa diuinitus in animis & cordi-

bus condita *sopyi*, & naturalis propensio erga liberos & parentes, animat, roborat & obfirmat, ne molestias subterfugiant, ne doloribus succumbant, & sobolem in malis deserant, aut benefacere recusent.

Quæ quidem uis amoris in parentibus tanta est, ut ne quidem tetrīs sæpe flagitijs liberorum extingui queat, Imò etiam restincta nonnihil, de nouo exardescat, cùm sobolem quamuis contumacem, & flagitiosam, in magnis constitutam arumnis, dolere & pœnitere facti intelligit.

Exemplum est David, qui contumeliosissimo filio Absoloni uult parci, & extinctum grauissimè luget, & autorem cædis Ioab tandem puniri mandat.

Dulcissima uerò imago proponitur talis paternæ *sopyi* in Sene diuite, cuius filius, cùm suam hereditatē improbis flagitationibus extortam sceleratè in scorta & aleam profudisset, tandem uerò in summa inopia & pœna hærens, & paternam tamen *sopyi* confisus, domum redire constituisset: ibi procul adhuc accedentem, & macie, squalore, & pannis fœdatum, tamen dictante cognato spiritu pater intus agnoscit prius, quàm oculi eum dinoscere potuerunt, occurrit igitur prodigo filio senex pater, & oblitus decori, oblitus omnium priorum flagitiorum & offensarum, filium amplectitur, uestit, ornat, exhilarat, in locum filij & heredis denuo reponit.

Similia

Similia his sæpè fiunt à pijs parentibus, quorum causa est illa animis ipsorum indita diuinitus flamma amoris, quod beneficium Dei, liberi grati agnoscere, prædicare, & reuerenter usurpare debebant, & summo studio conari, ut parentibus debitam gratitudinem obsequio & reuerentia conueniente pro uirili præstarent, & sua modestia, profectu in studijs, & alijs officijs parentum curas, dolores, molestias, quas ipsorum præcipuè causa sustinent, lenirent & subleuant.

Sed quod in alijs partibus humane societatis sæpissime uerum est, illud etiam apud liberos locum interdum habet, quod Pindarus conqueritur: *ῥαλαῖα Ἐὐδαι χάρις, ἀμνάμωρες ἢ ἔσποτι.* Raro enim nunc sobolis reuerentia parentum pietati respondet, & dolendum ac mirandum est, cum flammæ motus naturalis sit, sursum tendere, quòd hic ignis amoris sæpius & efficacius à parentibus in filios descendat, quàm à filijs in parentes uicissim ascendat, ut iam pudendum quidem, sed nimis sæpe uerum apud nos prouerbum hoc usurpetur: Facilius esse uni patri aut uni matri decem liberos nutrire, quàm decem liberis unum patrem aut unam matrem in senectute alere.

Sed generosi animi, consideratione huius amplissimi beneficij Dei, conditoris harum flammarum in parentum cordibus flectantur, ut crebrò exuscitent sese ad studium pietatis, obedientiæ &

gratitudinis erga parentes, memores grauissima  
 comminationis: Non recedet malum de domo in-  
 grati.

Præterea nullo modo prætereundum hoc quo-  
 que est, has σοφίας in parentibus erga sobolem,  
 non tantum esse instrumenta mutæ beneficentiæ  
 inter cognatos, & neruum societatis communis  
 hominum: uerum etiam esse dulcissimas umbras,  
 & illustres commonesactrices ac testimonia de  
 amore æterni Patris erga Filium, & de eo amore,  
 quo nos Deus Pater propter Filium complectitur,  
 & hunc suum substantialem amorem, Spiritum  
 sanctum, per Filium λόγος in nostra corda effun-  
 dit, ut nos sibi copulet, & certos reddat, ab ipso  
 nos multo ardentius, constantius & efficacius di-  
 ligi, cum se nobis credentibus in Filium, Patrem  
 fore profitetur, quam ullus homo pater aut mater  
 suam sobolem diligere potest, sicut Esaias dulcis-  
 simè inquit: Et dixit Sion: Dereliquit me  
 Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nun-  
 quid obliuisci potest mulier infantem suum,  
 ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa ob-  
 lita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui. Hæc  
 cogita, quoties precationem tuam inchoas, eam  
 formam recitans, quam Christus nobis præscripsit:  
 Pater noster, qui es in cælis: & certò statue, non  
 frustra hoc dulcissimum nomen patris Deum sibi  
 tribui uelle, sed eum, qui storgas cordibus paren-  
 tum impressit, seria & purissima σοφίᾳ te quoque  
 com =

complecti, serio affici tuis malis, multò uehemen-  
 tius, quàm hæc misera mater Cananea sollicita est  
 in calamitate filiæ suæ, quomodo ea liberari possit.  
 Certò statue hunc Patrem cœlestem te prodigum,  
 & tuo scelere in extremam miseriam prolapsam  
 filium, sed pœnitentem & reuertentem, procul  
 contueri, mox agnoscere, accedenti tibi occurre-  
 re, gestire te, complecti, & exosculari, uelle sor-  
 des tuas abluere, iusticia Filij sui te uestire & or-  
 nare, annulo fœderis perpetui, hoc est, arrabone  
 Spiritus sancti, æternam hæreditatem tibi confir-  
 mare, & mactare tibi uitulum saginatum, Filium  
 suum, Dominum nostrum Iesum Christum, ut pro-  
 te satisfaciat iusticiæ Dei, pœnas exoluat, tibi de-  
 inde cibus sit, quo sagimeris ipse, recreeris, & ex-  
 hilareris in æterno conuiuio cum Deo.

Hæc cogitanda sunt, quoties Deum Patris ap-  
 pellatione compellamus, uel quoties parentes no-  
 stros, matres familias nostras cum infantulis blan-  
 dè colludere, eos lactare, eorum morbis & cala-  
 mitatibus excrucuari cernimus, ut statuamus, De-  
 um multò ardentius nos diligere, multò uehe-  
 mentius nostris malis affici, & uelle nobis opitu-  
 lari, sicut filiam uexatam à dæmonio petenti ma-  
 tri incolumem restituit.

Hunc clementissimum & Θελοσφύτατον  
 Patrem cœlestem, qui est æternus Pater Domini  
 nostri Iesu Christi, toto pectore oro, ut nos in hac  
 magna miseria, infirmitate & periculis nostris



clementer respiciat, & protegat, & Ecclesiam  
 uerè à demonio miserè hoc tempore uexatam li-  
 beret, & te Paule fili, ac honestos & eruditos  
 συμφοιτῆτας tuos omnes suo sancto uerbo &  
 Spiritu ueritatis, roboris, & castificationis doce-  
 at, regat, confirmet, sanctificet & adiuuet, ut fiat  
 tis organa utilia Ecclesie, seruientia glo-  
 riæ Dei, & saluti uestre animæ &  
 plurimorum aliorum.

D I X I

ORATIO DE LEGVM  
 ET ORDINIS POLITICI DIGNI-  
 tate, Recitata à nobilitate generis uiro clarissimo  
 Ioachimo à Beust I. V. Doctore, Professore eius-  
 dem ordinario, cum conferret gradum  
 doctoris, Erico Hoyer patricio  
 Bremensi, 6. Martij.

Qvod duce atque auspice Iesu Christo Res-  
 demptore nostro felix & faustum sit, Di-  
 cturus de Legum & ordinis politici dignitate, or-  
 diar iuxta legem Atticam absq; procerijs & affe-  
 ctibus. Quamuis ante hac sepe hoc ipso ex loco,  
 eadem de re, ab alijs splendide & grauter dictum  
 est. Sed hæc sepe repetenda sunt, ut in iuuenibus  
 alatur legum & politici ordinis reuerentia. No-  
 stro uero seculo magis etiam quàm unquam antea  
 necesse

neceſſe eſt iſta ſæpe inculcari, cùm in hac Mundi ſeneſcentis poſtrema infirmitate indomita multitudo honeſtas leges & diſciplinam omnem inſenſiſimè oderit, quia uagas & errantes cupiditates ſuas, iuſtis quaſi repagulis frenari & coherceri ſentiunt. Mordent igitur frenum, ut ferocientes equi, & hoc iugum excutere conantur. Noſtrum igitur eſt, qui Iuris & legum Sacerdotes dicimur, ſubinde huius ordinis politici beneficia commemorare, & homines, quantum & quam inenarrabile donum Dei hoc ſit, monere.

Multi enim ſunt, qui ſicut Hippiaſ apud Platonem, leges quaſi Tyrannidis accuſant. Et exorti ſunt noſtris temporibus Anabaptiſta, legum ac politici ordinis ut manifeſti, ita inſenſiſimi hoſtes. Et Antimomi, qui callidè legum fundamenta conuellunt, cum fingunt illos qui contra conſcientiam eas uiolant, tamen Deo placere. His uerò occinenda erat ſentètia Pauli Apoſtoli, qui Deum dicit non eſſe Deum Acataſtaſias, id eſt, ſeditioſis, confuſionis, & uſtitatis, ſed ordinis & pacis. Facile uerò his adplaudit contumax, & freni impatiens multitudo, quia ſomniant homines inane titulum libertatis, quæ nulla eſſe poteſt niſi in Rebuſpub: legibus optime conſtitutis. Ita ſit ut hoc tantum beneficium diuinum, ſicut & cætera ſumma Dei dona, nec agnoſcatur, neque, ut debebat, reuerenter habeatur, ſed contemnatur ac penè

pedibus conculcetur. Non enim homines uera bona agnoscunt, & uerè dictum est à Satyrico: Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usq; Auroram, & Gangen, pauci dinoscere possunt Vera bona, atq; illis multum diuersa, remota Erroris nebula, etc.

Scholæ uero ob eam causam præcipuè institutæ sunt, ut pietatis, legum, disciplinæ, & omnium honestorum officiorum sint officinæ. Nos igitur qui in Scholis uersamur, decet cum his profana multitudinis erroribus pugnare, & pro se quisq; eniti, ut legum atque disciplinæ reuerentia, quam maximè salua & inuiolata maneat. Ob hanc causam, cum in hoc honestissimo cōfessu mihi in præsentia oratio habenda esset, hoc potissimum argumentum delegi, ut de dignitate & utilitate iuris, legum, & politici ordinis breuiter dicerem, Etsi mihi neque ingenij uires, nec orationis ubertatem, ut id rectè facere possim, suppetere intelligo, tamen contra me consolatur, quod dictum est ab Euripide :

Recta & simplex oratio ueritatis est,  
Neq; uerborum multis ambagibus indiget,  
Iniusta uero causa ueluti languida  
Morbo putri, sapientibus eget pharmacis.

Gratiam uero æterno Deo debemus, qui ut lucem sacratissimi uerbi sui nobis in hac extrema mundi senectâ rursus clarius illucescere uoluit, ita legum, iuris, & politicæ gubernationis dignitatem

tatem atque utilitates, simul nobis multis illustribus testimonijs ostendit. In qualibus enim tenebris superior ætas uersata sit, inde æstimari potest, quod de ordinis politici dignitate in Ecclesia altissimum silentium fuit, neque hæc tanta beneficia Dei, nec eorum utilitas agnoscebatur, Nunc uerò nobis & scripturæ sacræ testimonia in conspectu sunt, quibus Deus hunc ordinem nobis commendat, & exempla præmiorum ac pœnarum nos satis docent, quanti illum Deus faciat, & quàm sanctè conseruatum uelit: Soli uerò Christiani & pij agnoscunt hæc beneficia, atque illis ea qua debent reuerentia & gratitudine utuntur, Profana multitudo his sicut alijs donis Dei ad cupiditates suas explendas petulanter abutitur. Igitur & multi in pœnis hærent, quia Deus hanc ingratitude non sinit impunitam.

Paulus Apostolus legum & politici ordinis uiolationem affirmat esse peccatum mortale, quo conscientia à Deo auellitur, & obediendum esse ait non tantum ut utetur pœna, Sed multò magis ne conscientia peccato polluatur. Illustre hoc testimonium est, quo Deus hunc ordinem munit, cuius ipse author & conseruator est. Fontes enim legum quid aliud sunt, quàm radius lucis & sapientiæ diuine in mentem humanam ab æterno conditore transfusa, Hoc duce qualis sit Deus, & quæ ipsius immota uoluntas agnoscimus, Hoc duce turpia ab honestis, ab iniustis iusta, Denique Deo pla-

centia à displicentibus seiungimus, Et inter multa testimonia de Deo, quæ in natura extant, uix aliud est illustrius, quàm quòd istam lucem transfudit in mentes hominum, qua si destitueremur, nihil sane brutis animalibus præstaremus, Imò propter multas causas illis longè & fœdiores essemus & miseres, Si igitur pulcherrimum ac certissimum ordinem in reliqua rerum natura, si temporum anni, dierum ac noctium, si motuum cœlestium uices atque ordinem cum admiratione spectamus, cur non & hunc ordinem iusticiæ, quem Aristoteles lucifero & sole pulchriorem esse dicit, admiramur, ac magnificimus? Nempe iste ordo nobis mentem & uoluntatem æterni conditoris in legum libris, tanquàm in illustri imagine expressam exhibet. Ut uerò Deus istum ordinem in humano genere sanxit, ita & eundem constanter tenetur atq; conseruat, id quod manifesta experientia testatur, in ijs qui præcipuum neruum legum, nempe iusiurandum uiolant, Item in his qui iniuste sanguinem humanum fundunt, quàm hi mirabiliter ad supplicia retrahuntur? neque ferè ullus euadit, quin hæreat in pœnis, ut manifestè adpareat, diuinitus ista sic administrari, & si quibus pœnæ sortè differuntur: Hi tamen à furijs ita agitantur, & talem in corde carnificinam secum circumferunt, ut illis longè optabilius esse possit, quocunq; genere mortis extingui potius, quàm in talibus conscientie cruciatibus uitam trahere, Ob  
hanc

hanc causam nonnulli cum latere potuissent, ultro se iudicibus ad pœnam obtulerunt, scelus confessi, ut citius à tortore interno liberarentur. Alij porò eum euadere facillimum esset, ita retinentur, & ad tribunalia retrahuntur, ut omnes fateri cogantur à solo Deo hoc fieri. Referam unum atq; alterum exemplum, quæ ante aliquot annos hic acciderunt, & multis nota sunt. Vulneratur à Scholastico Rector Academiæ, et ex eo uulnere paulò post moritur, Author cædis tertio primùm die in horreo prope Kembergam præhenditur, et in foro hic supplicio afficitur, qui interrogatus cur tã diu ibi hæssisset, nec toto penè triduo plus uno milliari potuisset conficere, respondit pedes sibi et crura uisa plumbo grauata, ut ulterius progredi non posset. Quis hæc uincula pedibus illius iniecit? Nempe Deus, uindex sanguinis humani iniustè effusi. Conspiciuntur similia exempla multis in locis. Egreditur ex hac ciuitate in agrum Agricola quidam sub noctem cum iam portæ clauderentur, qui cum in uicini filium corrualem incidisset, interficit ipsum, huic nox tota restabat qua commodè effugere potuisset, sed Deus ipsum manifesto miraculo retinet, Cogitur per horas quindecim in proximis segetibus desiderare, donec iudices & Lictores prostridie ad occisum corpus ex publica uia tollendum egressi ipsum una retrahunt, qui capite postea hic plexus est. Talia exempla multa quotidiana uita ostendit, ut ea ornattamus quæ in Historijs

commemorantur. Hinc Veteres furias uindices homicidiorum fecerunt, Qui cum talia exempla multa non sine admiratione spectarent, non temere neque casu hæc fieri reputantes finxerunt proprium ac peculiare quoddam numen, quod sanguinem humanum iniuste effusum ulcisceretur,

Propter uiolatam uero iurisiurandi religionem, non minus illustria sunt poenarum exempla, Quis enim unquam periurij poenam effugit? Bene adhuc & clementer cum illis agitur, qui in hæc uita puniuntur, atq; ita ad poenitentiam reuocantur, qualia adhuc multa misericordie diuinae exempla cernuntur. Hoc horribile est, cum ad æternas poenas referuantur. Vidimus hic manum dextram hominis periuri, quæ per annos octo & uiginti in sepulchro iacens, cum totum reliquum corpus multo ante totum consumptum & in puluerem redactum fuisset, sola putrescere non potuit, & erant digiti formati in modum iurantis, cum aliter inflecterentur, in illam formam statim redibant, Adhærebant tendines & nerui, quibus pollex & proximi duo digiti extenduntur integri, cæteris consumptis. Inuenta hæc fuit in Ecclesia collegij Monachorum in ditione Cattorum, & cum sola manus hac digitorum forma post tot annos effoderetur, non sine causa moti sunt homines rei miraculo, & coeptum est quæri, quis eo in loco sepultus fuisset, id uero superpositi lapidis inscriptio

inscriptio testabatur. Ibi cognitum est Quæstor-  
 em illius collegij Monachorum eo in loco ante  
 tot annos sepultum fuisse, quem aliqui norant ho-  
 minem leuem ac profanum, ad iurandum facilem,  
 & religionis contemptorem fuisse. Eumq; pro-  
 pter sua & collegij commoda sæpè peierasse, &  
 periurijs suis multos defraudasse, Quum uerò  
 Monachis fidus minister fuisse iudicaretur, eum  
 ipsi honorem mortuo habitum, ut in Ecclesia in  
 loco celebri sepeliretur, Deum tamen periurio-  
 rum uindicem tandem hoc miraculo iudicium su-  
 um ostendisse. Missa fuit hæc manus unà cum hi-  
 storia à Principe Cattorum ad Electorem Saxo-  
 nie, à quo porrò huc ad reuerendæ memoriæ Do-  
 ctorem Lutherum & cæteros Theologos trans-  
 missa fuit, neque sine horrore spectari poterat. Si  
 quis hoc temere ita accidisse putat, nec iudicij Di-  
 uini testimonium esse, is non tantum βέβαιον, id  
 est, impius ac profanus, sed plane mente captus est.  
 Talia exempla tulit nostra memoria, neq; ulla ætas  
 elabitur, Quin DEVS aliqua hominibus similia  
 miracula proponat, ut testetur se Legum & po-  
 litici ordinis custodem atque uindicem esse, & il-  
 los certò punire, qui præcipuum neruum ciuilibus  
 gubernationis, nempe iusiurandum uiolant, Hæc  
 exempla & manifesta experientia quosdam etiam  
 ex Ethnicis mouit, ut de his rebus seriò & dili-  
 genter cogitarent, Hinc illa Poëtarum elogia  
 sunt, Quale hoc est:



*Ah miser & si quis primum periuria celat.*

*Sera tamen tacitis poena uenit pedibus.*

*Atq; hæc quidem adhuc priuata sunt, nam cum publica consideramus, longè tristior & terribilior Tragædia spectanda exhibetur. Extirpantur sumditus amplissimæ & florentissimæ Principum ac regum familie, Euertuntur potentissima Regna & Respublicæ, propter iniustas cædes & periuria. Ita Deus undiq; ostendit se legum, iusticiæ, & huius politici ordinis defensorem ac conseruatore[m] esse, & hoc uelle, ut interiores motus in mentibus humanis sibi & iusticiæ suæ conformes spiritu suo regantur, Exteriores uerò iuxta legum & politicæ gubernationis normam in officio retineantur, Quam qui labefactare conantur homines turbulenti & seditiosi, à Deo ipso uel ad poenas retrahuntur, uel quod horribilius est, æternis poenis mancipantur, Quod nisi fieret, quomodo posset à tam paucis, qui gubernationi præsumt, tanta multitudo furiosa & indomita coherceri? Præsertim cum Satanas perpetuus & insensissimus huius ordinis hostis non quiescat, sed totis uiribus contendat, ut istam harmoniam turbet, & hac luce extincta omnia tartareis tenebris inuoluat. Excitat tamen Deus singulis ætatibus aliquos bonos Principes, quorum ministerio utitur ad muniendam & conseruandam hanc gubernationem, Idq; non tantum inter eos homines, ubi suam habet Ecclesiam, uerum & inter Ethnicos, In quo*

quo numero Alexander Seuerus rectè recensetur, legum, disciplinae, & politicae gubernationis acerrimus custos ac defensor, qui cum Leges dupliciter oppugnari uideret, nempe Sycophanticis artibus, & aperta ui, utraq; in re exemplum statuit utile & consideratione dignum, ad omnem posteritatem. Sycophantam enim qui fumos uendiderat, in foro publicè fumo necari iussit, dumq; ille plectitur, præconis uoce populo denunciari, fumo puniri eum, qui fumos uendidisset.

Vlpianum uerò summum inter eius ætatis Iureconsultos, cum propter sapientiam, fidem et excellentiam uirtutem præcipuo honore coleret, ita ut Scrimij Magister, quem nos Cancellarium, uocamus, apud eum esset, eiusq; consilio imprimis uteretur, etiam in castris ipsum à se non solebat dimittere. Milites autem disciplinae impatientes, & Principis seueritate offensi, cum à Iureconsulto ipsum, ut asperior esset, instigari suspicarentur, aduersus Vlpianum coorti sunt, qui cum iam spicula & stricti gladij in ipsum uibrarentur, Imperatoris interuentu seruatus est, purpuram enim, qua ipse tectus erat, corpori Iureconsulti Seuerus iniecit. Atq; ita innoxium contra furorem militum tutatus est, quos postea iustis poenis affecit aliquot legionibus exauthoratis atque cum infamia dimissis.

Ita leges & hunc publicum gubernationis ordinem tam contra occultas insidias, quibus ceu cuculiculis furtim oppugnatur, quam contra apertam uim militaris turbae optimus Princeps ea qua debuit animi magnitudine defendit, Atque utinam omnes gubernatores hoc sibi exemplum imitandum proponant. Sunt uero & alia huius Imperatoris facta, quae non minorem laudem merentur, Cum enim per Pontificum & sacerdotum auariciam multa iniuste & impie fieri animaduertet, & eam non minimam labem esse atque impedimentum in gubernatione, in templa eorum ingressus, quidquid auri aut argenti inuentum fuit, in publicum ararium redigi praecipit, subinde hunc Persij Satyrici uersum iterans:

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?

Intelligebat enim sapiens Princeps, has tres pestes praecipue legitime gubernationi infestas esse, Nempe Pontificum Ambitionem & rapinas, Sycophantarum phenacismos, & rabiose multitudinis uiolentiam.

Fuerunt contra inter principes & turbatores huius ordinis non pauci, ut Caligula, Nero, Bassianus & alij, organa Satanae, qui cum ad gubernationem accessissent, uelut apri in cultissimum hortum irruentes omnia uastarunt, Et ut bonus Princeps salutaris est multis, ita ille humani generis pestes & Alastores multis hominibus & sibi ipsis

ipsis tandem exitiosi fuerunt. Interficit iniuste  
 fratrem Getam Bassianus, quem exercitui charum  
 esse norat, & cum ob eam causam milites fremere  
 animaduerneret, agit cum Papiniano Iureconsul-  
 to, cuius in exercitu propter sapientia & iusticie  
 admirationem magna erat autoritas, ut eadem  
 factam coram militibus defenderet, & ipsos do-  
 ceret Getam iuste interfectum esse, cui Papinia-  
 nus respondet: Facilius est, O Imperator, parricid-  
 ium facere quam defendere. Maluit enim uir  
 iustus & dignus hoc nomine iureconsulti, certum  
 supplicium, quod sibi ob hanc recusationem pa-  
 ratum esse sciebat, subire, quam parricidij defen-  
 sor aut excusator esse. Ita sicut Barbari & ebrii  
 in conuiujs suis insanis clamoribus Musicam har-  
 moniam turbant: sic Gubernatores prauis hunc  
 legum & politica gubernationis pulcherrimum  
 ordinem turbant quidem & interrumpunt, tolle-  
 re tamen non possunt, quia diuinitus conseruatur,  
 cum ipsi tristissimis exemplis pereunt. Deus enim  
 politias legibus recte constitutas, uult esse Ecclē-  
 się suę hospitia, in his cum cetera disciplina, tum  
 precipue doctrina de Deo hominibus proponi po-  
 test, ubi ad honestam disciplinam & obedientiam  
 homines iam ante sunt adsuefacti. Nam ut Marius  
 dixit, inter classica & armorū strepitum, se legum  
 uocem exaudire non potuisse: ita in Turcica &  
 Moscouitica uastitate, ubi homines tantum cedi-  
 bus, rapinis, & scēdis libidimibus adsuescunt,

doctrina de Deo, de innocentia, castimonia & sanctitate uitæ, neque auribus nec animis admittitur. Satanas enim tartarea lue hominum mentes occupauit, obsidet, & captiuas tenet, nec ulli sanæ aut salutari doctrinæ locum concedit. Id in Turcis manifestè uidetur, qui cum de Deo & pietate uerba monentur, mox ita ira & furore implentur, ac uelut in rabiem efferantur, ut à malo genio agitari eos manifestè adpareat. In Pilappis si quis ad fidem Christianam conuertitur & baptisatur, qui annum uitæ quintum & uigesimum superauit, hunc Diabolus non sinit uiuere, sed paulò post interficit, qui uerò in prima etate fiunt Christiani, hi uiuere solent. Hoc multis exemplis cognitum est, & publica fama confirmatum. Hinc estimari potest, quanta sit potentia Satanae in his locis, ubi nullæ leges sunt, nulla disciplina. Et diuus Paulus Acatastasiam, id est, ordinis politici confusionem ac uastitatem inter tristissima Satanae opera recenset. Et in Iacobi Epistola dicitur: ubi Acatastasia, ibi omne opus malum est. Sophocles nullum malum in hac uitæ esse ait, quàm Anarchian, id est, ordinis in gubernatione confusionem.

Quanta ergo humane mentis cæcitas, quanta dementia est, quòd hoc tantum & tam necessarium bonum repudiat, & sublatum uult, quod cum aufertur, nihil reliqui manet, quod ab homine sano in hac uitæ expeti possit. Et perinde fit, ut si quis  
solem

*solem & ætheream lucem è mundo auferat, tunc  
neceſſe eſt hoc fieri, quod eſt apud Poëtam.  
Lucidus umbroſo miſcebitur axis auerno.*

Hic finis legum eſt, nempe gloria Dei, & pax  
ac tranquillitas noſtra, neceſſe eſt igitur non hu-  
mano furore, ſed planè Diabolico agitari, qui &  
contra Deum, & in ſuum proprium exitium pu-  
gnant, malè perire & in æternis pœnis herere  
malunt, quàm ſalui eſſe, & in pace ac tranquilli-  
tate ſuauiſſe exigere uitam. Quod autem aliqui  
prætextu libertatis Chriſtiane legum & discipli-  
næ iugum excutere conantur, non libertatem, ſed  
prauis cupiditatibus licentiam atque impunita-  
tem querentes. His reſpondendum eſt, Chriſtam  
non ueniſſe, ut legum & ordinis politici pertur-  
bationem, ac uarietatem ſtabiliet, ſed ut hæc, quæ  
propriè ſunt opera Diaboli, deſtruat.

Et quæ ueſania eſt, nos qui nos homines uo-  
cari uolumus, hunc ordinem recuſare, cum admi-  
rabili ordine uniuerſam rerum naturam diuinitus  
conditam eſſe, & in brutis etiam animantibus na-  
tura magiſtra ac duce uiuentibus, hunc ipſum or-  
dinem non ſine admiratione ſpectamus. Habent  
apes regem ſuum, cui honorem & obedientiam  
præſtant, circum hunc denſe ſtipantur, hunc in  
pugna acerrimè defendunt, & in medijs alueari-  
bus ſedem huic anguſtiorem uelut arcem extru-  
unt. Hoc ſaluo manent in officio, extincto uerò

statim turbant ordinem, & ipsæ aluearia diripiunt, sed rege incolumi ordinem suum rigidissimè seruant, & ut Virgilius inquit.

Magnis agitant sub legibus æuum.

Habent & formicæ principem suum, quem corpore cæteris grandiozem, multæ simul, si qua necessitas incumbit, tergis suis exceptum intutum reportant. Adparet & hanc quantumuis paruam atque exilem bestiolam tamen ordine certo, ac uelut legibus certis uiuere. Grues ducem habent, quem sequuntur, agunt per uices excubias, & negligentius uigilantes puniunt, uolant ordinè & quasi cuneata acie instructæ, ducis uocem ductumq; obedienter sequuntur.

Viuent etiam Ciconiæ, quod manifesta experientia testatur, certis legibus, agunt conuentus, & in orbem stantes inter se rostrorum obscuro strepitu quasi consultant, si quid fortè noui accidit, quid agendum sit. Viderunt multi homines non procul à Cemberga uicino oppido capitale iudicium à Ciconijs plus centum in amplo prato factum, cum quæ rea erat, tristis adstaret in medio quasi centro circuli, cæteris ordine circumstantibus, cumq; serè per duas horas capitibus nutantes quasi collocutæ essent, tandem uno impetu omnes in ream, ut iam ad suplicium condemnatam irruerunt, atque rostris ipsam in minutas particulas conserpserrunt, hæc homines fide digni uiderunt, & alijs porrò retulerunt. Adulteria apud  
 illas

illas non alio quàm capitali suplicio puniri constat. Citatur apud Aristophanem plena humanitatis & pietatis Lex è Pelargidarum, id est, Ciconiarum tabulis, quam hic recitare libuit, Continet enim dulcissimam doctrinam de pietatis officijs, quæ filij parentibus debent, traditam & in quarto præcepto Decalogi, quo præcepto Deus domesticam simul & publicam gubernationem sancit & communit, addita illustri promissione, quæ huic præcepto præ cæteris, ut D. Paulus ait, adiungitur. Verba legis hæc sunt, loquitur autem ex auibus una:

Sed est & nobis auibus hæc antiqua lex,  
 Descripta in legum tabulis, quas Ciconiæ  
 Habent, paruas nam cum pater ciconias  
 Nutriuit, & iam factæ sunt uolatiles,  
 Oportet natos hanc referre gratiam  
 Parentibus, ut senes uicissim nutriant.

De terrestribus iam diximus, Quæ in aquis degunt, magis stupida uidentur, sed tamen & ex illis quaedam certis legibus & ordine uictitant. Sunt conchis unde uniones petuntur, sui sicut apibus, duces, magnitudine & uetustate præcipuè eminentes, miræ ad periculum cauendum solertia, has ingenti quasi examine sequuntur cæteræ, & his saluis, à piscatoribus, qui eas consectantur, non facile capiuntur, donec urinantium industria duces intercipiuntur, tunc præda opima in manibus



est, ingenti enim numero includuntur retibus. Hæc ordinis & gubernationis simulacra si temere aut casu, ac non singulari sapientia & bonitate æterni conditoris in animantibus brutis ita expressa putamus, certè ipsis brutis magis bruti sumus. Nobis, propter quos omnia condita sunt, hæc exempla sunt proposita, ut per ea & de opifice, & nostro officio admoneamur, Rectè enim & uerè dictum est ab Arato :

Nam Deus ingenti genus hoc complexus amore,  
Muneribus uarijs toto se monstrat in orbe,  
Vt quoties oculis incurrunt undiq; nostris  
Esse Deum doceant uestigia talia, nosq;  
Esse ipsi curæ monitos testentur, & ipsum  
Agnoscant nostræ mentes, lucemq; sequantur  
Iusticiæ, quam nostra opifex in pectora sparsit.

Iam sicut in cæteris animantibus natura ipsa ita diuinitus condita est, ut ordinem quendam suum, & quasi certas leges seruet, Ita in hominis mente hi radij cœlestis sapientiæ lucent, qui fons est & origo legum atque ordinis in politica gubernatione. Hinc ueteres Palladem, quam eandem & legum inuentricem & urbium gubernatricem fecerunt, Iouis filiam, & quidem ex ipsius cerebro natam esse finxerunt, Ista imagine significantes, leges esse eam regulam iusticiæ, quæ in mente diuina est. Hesiodus dixit iusticiam ad thronum & in conspectu Dei semper astare, & commune quoddam numen esse inter Deum & homines, per  
hoc

hoc indicans, hanc esse perpetuam & immotam ueritatem Dei, humanis mentibus primum impressam, & doctrina ac legibus postea magis illustratam. Cui qui aduersantur, hi Deo & ipsi nature quasi bellum indicunt. Cum Deo autem & natura pugnare graue est, sicut Menander ait. Deniq; si quem mandatum Dei, dignitas legum, & huius ordinis, si presentis uitae manifesta necessitas minus mouet, ut hoc tanto beneficio Dei cupide, reuerenter & cum gratitudine utatur, hunc saltem utilitas & infinita commoda uitae in tanti boni amplexum alliciant & inuitent. Quid melius paece? quid dulcius quiete, tranquillitate & securitate coniuncta cum timore Dei, pietate & honestate uitae, Pax aurea, pax cunctis potior triumphis, inquit ille. Haec uero secundum Deum praecipue legum & huius ordinis est beneficium, ἰσὸς πόλεμος οὐ ποιεῖ, id est, aequalia bellum non faciunt. Iuxta sententiam Euripidis: Sed legibus & ista iusticiae regula sublata, nulla inter homines aequalitas seruari potest, ergo neque pax retineri potest, & necesse est, cum haec Diabolo ianua aperitur, tumultibus, bellis ac tenebris infernalibus omnia inuolui, atq; uelut in antiquum illud Chaos recidere. Iam si & caetera legum ac ordinis huius beneficia, commoda, atq; utilitates commemorare uellem, dies hic me citius quam Oratio defeceret, neque propter multitudinem & uarietatem haec numero comprehendi possunt.

Quem qui scire uelit, Libyci uelit æquoris idem  
 Discere quàm multæ Zephyro turbentur arenae,  
 Aut ubi nauigijs uiolentior incidit Eurus,  
 Nosse quot Ionij ueniunt ad littora fluctus.

Longiorem igitur enumerationem in præsen-  
 tia omittemus. Facile est imperium in bonis, in-  
 quit Plautus. Bona enim & rectè instituta ingenia  
 facile intelligunt, quantum Dei beneficium, &  
 quàm euidentis argumentum præsentia diuinæ sal-  
 tem mediocris gubernatio & disciplina publica  
 sit. Distorta uerò ingenia, quæq; à Satana agitan-  
 tur, nulla diuinorum beneficiorum commemora-  
 tione flecti aut mitigari, uix pœnis coherceri pos-  
 sunt.

DEVM æternum Patrem Domini & Red-  
 emtoris nostri Iesu Christi toto pectore oramus,  
 ut inter nos primùm lucem sacratissimi uerbi sui  
 non patiatur extinguere, Et sibi inter nos semper  
 Ecclesiam, in qua ipsius nomen & beneficia cele-  
 brentur, colligat. Utq; cùm cæterarum optima-  
 rum artium, tum & Iuris ac Legum doctrinam,  
 honestam disciplinam, & mediocrem gubernatio-  
 nem, quæ honestatis & disciplinæ custos est, nobis  
 clementer concedat, & contra Satanae atq; orga-  
 norum ipsius uim & insidias hæc sua dona ac be-  
 neficia tueatur atq; conseruet, per et propter  
 Christum Redemptorem nostrum.

D I X I.

Questio.

## QVÆSTIO.

**D**Væ sunt potissimum uirtutes nostræ ætati propositæ, quæ & maximè colendæ sunt à nobis, & decus sunt atque ornamentum nostrum præcipuum. Reuerentia scilicet parentum ac legum, quæ diuina uoce sancita est, & Modestia. Harum uirtutum consideratione adductus ad dicendum huc prodij. Cùm enim charissimus pater meus, qui simul legum interpretis ac Doctor est, hoc puerili officio uoluerit me seruire honori Doctoris Clarissimi nunc ornati, auctoritatem eius desugere sine uiolatione reuerentiæ paternæ non potui. Imò etsi pater mihi non esset, tamen, ut interpreti ac professori legum repugnare immodestè non debui. Huic igitur cum necessariò obtemperem, non disputabo de causis, cur pueris nobis locus dicendi in his seniorum & doctissimorum uirorum congressibus tribuatur. Sed ueniam, ea qua debeo reuerentia ac modestia precabor, ut puerilem orationem boni consulatis.

Cùm autem in disputatione proxima uir clarissimus D. D. Ericus de mutuo præclarè multa disseruerit, adfero & ego usitato more eadem de re questionem dignam crudita explicatione: An cum dicat Christus Luc: 6. cap. Mutuum date, nihil inde sperantes, prohibeat sortem repeti? Et an rectè faciat homo pius sine accessione usuraria mutuum repetens?

De hac questione meminerunt senes, quanto-  
 pere tumultuati sint olim Anabaptistæ, & alij sa-  
 natici, magno conatu contendentes, Communio-  
 nem rerum & necessariam esse, & cum hoc Chri-  
 sti dicto tum alijs pluribus confirmari ac stabiliri.  
 Cum enim in mutui datione nihil uelit inde spera-  
 ri, opinantur necessario omnia habenda esse com-  
 munita. Cumq; de mutui datione dicat, Peccatores  
 peccatoribus mutuum dare, ut paria recipiant,  
 Tragicè uociferantur, peccatum esse repetere  
 mutuum, & e contra perfectionem & sanctimo-  
 niam eximiam esse necessariam his, qui perhiberi  
 Christiani uelint, ne quæ mutuo alijs dederint, re-  
 petiuisse à quoquam uideantur. Sic enim fore, ut  
 merces eorum copiosa sit in cœlis, & filij uocentur  
 altissimi.

Ego uerò hanc insulsam consequentiam &  
 manifestam deprauationem dicti Christi sanati-  
 cum cōmentum esse non dubito, ac prudenter con-  
 siderandum iudico totius concionis contextum,  
 & hunc cum cæteris dictis Euangelicis conferen-  
 dum, ut interpretatio analogica sit & consentanea  
 fidei.

Nam quòd de Impijs ac peccatoribus Christus  
 inquit, Hos mutuo dare, ut paria recipiant, Et es-  
 contra iubet pios dato mutuo nihil inde sperare,  
 concio est taxans multa uitia & peccata Pharis-  
 œorum, qui non solum non seruebant alijs egen-  
 tibus his necessarijs dilectionis officijs, Eleemosinis  
 &

Et mutuo, Sed Et accessionibus Et exactionibus usurarijs egentes onerabant contra mandata Leuit: 25. Et Deut: 23. cap. Non foeneraberis fratri tuo. Aut si quibus benefaciebant dato mutuo, diligebant tales, apud quos spes erat similibus officiorum: Velerant eorum mutuaciones Et Eleemosinae comparatae ad ostentationem, ut liberales Et officiosi esse uiderentur, Et facilius inuenirent, qui similibus officijs ipsos egentes iuuarent.

Hæc peccata Et uitia nominat Dominus paria, quorum spe impios mutuum dare adfirmat, Et hanc seu lucri spem, seu captationem similibus officiorum, seu qualiscunque gloriolæ taxat. Et ad præcepta in Mose sæpe repetita suos auditores deducit, ut in his officijs studeant esse beneficti Et iusti erga omnes. Non discernant amicos Et inimicos. Non præsent illa officia tantum benemeritis aut spe lucri, uel reddendorum similibus officiorum, Sed ex commiseratione Et dilectione non simulata, respectu ueræ necessitatis, Erga hos quoq; ea exercent, qui uel fuerunt ingrati, Et malè de ipsis meriti, uel à quibus uicissim expectare similia, aut etiam sortem ipsam non possint, Non omittant hanc liberalitatem uindictæ cupiditate, non πλεονεξία aut odio iniusto.

Hanc sumamam esse concionis non dubium est. In dicto ergo: Mutuum date, nihil inde sperantes, Et ut Mattheus uerbo significante inquit: Volentem à te mutuo sumere ne auerseris, nequam  
quam

quam existimo intelligendam esse insulsam illam Anabaptistarum consequentiam, Quòd peccatum sit sortem seu capitale repetere. Esset enim hæc donatio, non mutuatio, si sortem repeti prohiberet ab his, qui soluendo sunt, & soluturos se bona fide promiserunt.

Sed cum propter ætatem hanc questionem ego explicare non possim, defero eam ad te Clarissime D. Doctor Erice, Et à te reuerenter peto, ut tu nobis eruditam eius explicationem tradas. Existimo enim non solum ex doctrinæ cœlestis fontibus enarrationem eius ueram peti posse, Sed uestrarum quoq; legum sapientiam multa de hac questione utilia ac necessaria monere non dubito.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut hanc scholam & Ecclesiam & nos omnes clementer seruet ac protegat.

## RESPONSIO.

Charissime puer, Etsi temporis angustia non patitur longiorem explicationem questionis, quam dignam iudico & ego eruditorum consideratione, & fundamenta solutionis uera à te monstrata sunt: Tamen ut plenior sit enarratio, breuiter hæc addenda esse existimo.

Non dubium est gloriosum titulum esse nomen perfectionis, Et dulcem appellationem communio-

nis omnium rerum, præsertim ignavis heluonibus & stellionibus, qui opibus aliorum mirificis artibus insidiantur. Sicut certum est hac ipsa causa multos ad societatem Anabaptistarum pertractos esse, quia sperarunt se ex alieno sine suo labore abunde habituros esse, unde gulæ suæ & libidimbus dictu nefandis indulgerent. Sed tamen non dubito communionem illam rerum omnium fanaticum deliramentum esse, ac distinctionem dominiorum & rerum proprietatem diuina sapientia sancitam & confirmatam esse firmissimè credo. Et oppono Anabaptistis præceptum, Non furtum facies. Quo nisi dominia rerum distinguerentur, non posset ne infinita quidem rapacitas furti nomine notari. Quæ enim in illa Platonica confusione rerum alienarum occupatio aut inuasio posset existere?

Et uox Euangelij cum non aboleat aut constituat politias, sed adferat iusticiam & uitam æternam cordibus, non tollit etiam contractus legitimos, aut cæteras ordinis politici partes, iudicia, uel pœnas legitimas, Imò hoc ipsum dictum Christi, de quo disputasti, confirmat legitimam dominiorum distinctionem. Nam rebus in commune collatis, & proprietate sublata, nihil mutuum dici posset, nec mutationes ullæ fierent, sed tanquam de communi peculio aut bono publico omnes acciperent, quantum eis non solum opus esset, sed quantum & quotiescunq; liberet. Cum  
ergo



ergo distinctionem dominiorum sanciat Dominus, & creditorem dantem alteri mutuo dominum rerum suarum esse permittat, Non tollit cōtractum, quo accipiens mutuum obligatur ad reddendum tantundem quantum accepit, Nec impedit creditorem, quo minus repetere mutuum possit.

Sed ut rectè intelligatur modus communicationis, quem dicto hoc sancit Christus, prudenter obseruanda sunt discrimina mutuationum. Nam ut mendicantium duæ sunt species, Aliqui stelliones & impostores, Aliqui uerè egentes: Ita mutuo sumentium duo sunt genera. Sunt enim aliqui tantum stellionum similes, qui quibus possunt artibus ac pretextibus cumulare debita student, nec habent animum soluendi. De hoc genere tenenda sunt dicta Prouerb: 5. Ne des substantiam tuam crudelibus. Sunt enim tales hirundinum similes, qui tantum defraudare et exhaurire alios student. Item Pauli 2. Corinth. 8. Vbi præcipit ita dandum esse, ne nobis sit adflictio, & alijs ignauum ocium. Item Psalmi 37. Impius mutuatur & non soluit.

Alterum genus est uerè egentium, qui ad usus æconomicos multiplices officijs alienis indigent, & fideliter student reddere quantum ab alijs acceperunt. Sed sæpe fit, ut æconomicis miseris impediti soluendo esse non possint, uel certe tempestiuè liberare fidem suam nequeant, quam  
in

in sumptione mutui dederunt creditori. De his posterioribus dicta Christi intelligenda sunt: Ne tales petituos mutuum auersemur ac fastidiosè repellamus, Aut cum his mutuo dedimus & arumnas eorum intelligimus, ne superbè debita extorqueamus, ut monet parabola, Matth. 18. de seruo superbè repetente debitum centum drachmarum à seruo suo, cum ipsi talenta decies mille à domino benignè remissa essent. Hæc iniusticia & duricies in repetendo mutuo est peccatum, non mutui repetitio, que est ordo diuinus, quo debitor qui est soluendo, creditori obligatus est.

Discernit hæc genera mutuo sumentium ipsa uox diuina Deuter. 24. ubi à diuite concedit lex sumere pignus, Sed de uerè egentibus inquit: Si pauper est, à quo repetiturus es rem quam debet tibi, non pernoctabit apud te pignus eius, Sed statim reddes ei ante Solis occasum, ut dormiens in uestimento suo benedicat tibi, & habeas iusticiam coram Domino Deo tuo.

Discernunt eodem modo & nostræ leges stelliones, fures & impostores à uerè egentibus, & in stelliones ac fures pœnas grauissimas sanciunt. Sed de his nostris legibus si dicendum hoc loco nobis esset, nimis foret proluxa commemoratio.

Adhibeatur ergo prudentia in interpretando dicto Christi, & intelligatur, id de animo erga uerè egentem officioso & liberali, qui pluris faciat officium

officium præstitum egenti, quàm iacturam rei uel pecunie mutuo date, de quibus loquitur Paulus inquiens: Hilarem datorem diligit Deus. Et tamen in hoc ipso genere seruentur regula, quibus & hic communicationis modus circumscriptus est. Christus inquit Lucæ 11. τὰ ἐνόητα date, hoc est, pro uiribus & pro facultatum modo. Item, Paulus 2. Corinth. 8. Si modo animi promptitudo adsit, accepta est ea secundum id quod possidet ac potest quisq;.

Si uero mutuo quis dedit ei qui soluendo est, sciat mens pia non esse peccatum legitime repetere mutuum, cum alter qui debet in soluendo moram facit. Ac rectè iudico te ratiocinari, non sequi barbaricum Anabaptistarum somnium ex dicto Christi, Quòd sors seu capitale repeti non possit, Quia tunc esset donatio, non mutuatio, si sortem repeti prohiberet ab his, qui soluendo sunt, & soluturos se bona fide promiserunt. Sed ne sim prolixior, ad postremam actus & orationis nostræ partem conuertor, ut uidelicet gratias agam Deo & meis præceptoribus.

# ORATIO DE STV- DIO ET CVRA RECTE DICENDI,

Recitata à Magistro Alberto Lemaigero Ham-  
burgensi Professore Rhetorices.

5. Maij.

**Q**uemadmodum in florenti Repub: homines  
modesti, indomitæ plebis multitudine, quæ  
seditionem & excidium minitatur, à gubernatio-  
ne deterrentur, metuentes futura mala, & incom-  
moda, quæ ex scditiosa subditorum multitudine  
expectanda sunt: Ita hoc tempore, quo studijs, &  
literarum officinis, bellum, uastitatem, & extre-  
mam barbaricam, rabies inquietorum ingeniorum  
denunciat, ex moderatis alij metu impendentium  
malorum, literarum militiam planè deserunt, alij  
qui dulcedine artium tenentur, in studijs quidem  
progrediuntur, sed priuatim sibi tantum uiuunt,  
ne ex umbra in aciem producti, cum inuidia, odijs,  
animorum uirulentia, ambitione, criminationibus,  
temeraria audacia, & similibus nature monstris  
congrédi ac dimicare cogantur. Hanc communem  
esse huius seculi, in quod Deus nos incidere permi-  
sit, querelam, apud omnes mitioribus uirtutibus  
præditos deprehendimus. In primis autem iunio-  
res & non admoniti plurimi, quod nunc cum do-  
lore & gemitu attingere cogor, hac ætate in odi-  
um huius Academiæ, & sedis solidorum studiorum  
adducuntur, multi honesti & pij homines secum  
N 11 disputare

disputare incipiunt, an ad hunc locum liberos suos  
 discendi causa ablegare possint, cum publicis scri-  
 ptis & in publica concione de suggesto à quibus-  
 dam Academia Vuitebergensis, multarum here-  
 sium accusetur, Multi nobilitate generis, & uir-  
 tute præstantes politici uiri, iniquis quorundam  
 uociferationibus adducti, qui docentes in hac  
 schola non coram audiuerunt, eam de hac Acade-  
 mia falsam persuasionem conceperunt, quod auribus  
 & animis iuuentutis quotidie horribilium erro-  
 rum & herefionum semina instillentur. Horum ini-  
 qua & peruersa iudicia, & me à munere in hac  
 schola docendi auocarent, nisi coram per annos  
 aliquot publicè in hac Academia longè diuersum  
 docentes audiuisssem. Bona enim conscientia, &  
 coram Deo cordium inspectore, & coram toto  
 mundo profiteor, quod ex hac ipsa Cathedra, in  
 quam Deo sic disponente ex mandato Illustrissimi  
 ac Clementissimi Principis nostri & prudentissimi  
 senatus Academiæ consilio collocatus sum, per an-  
 nos undecim, audierim non tantum fideliter nobis  
 à reuerendo Præceptore sanctissimæ memoriæ, &  
 reliquis studiorum gubernatoribus fideliter tra-  
 dita esse Philosophiæ & honestarum artium stu-  
 dia, sed & doctrinam cœlestem ita explicatam,  
 ut nemo auditorum erroris, aut heresis eos ar-  
 guere potuerit. Et hanc doctrinam quam nobis  
 proposuerunt primis annis, quibus huc ueni, quam  
 & multi audierunt, qui eam suspectam publicis  
 scriptis

scriptis reddunt, similem nunc in hac ipsa cathedra, his annis posterioribus, in hunc ipsum diem Doctores repetunt, & assidue auditoribus inculcant, Hanc ipsam doctrinam, quam ab anno quinquagesimo usque in presentem in hac Academia didici, toto pectore amplector, quod eam cum scriptis Prophetiis, & Apostolicis congruere intelligam, & cum istis fundamentis & initijs, quae mihi à Praeceptoribus primae aetatis in schola Ham-burgensi ediscenda praescripta sunt, & cum istis doctrinae partibus, quas non tantum pro concione, sed & in collegio Theologorum, Reuerendus uir pie memoriae, Doctor Iohannes Aepinus in patria mea docuit. Quod autem in hac ultima mundi senecta, ingenia inquietæ, disputationes, & quaestiones subtiliores mouent, quas quidam ex nostris consulunt, non apud indoctos idiotas pro concione disputari, ne nimia subtilitate, auditores turbentur, & à simplici ueritatis sententia auocentur, sed ut docti de his motis placidè conferant, et quid ueritati congruum sit, decernant. Propter hanc dilationem in pronunciando, & reiectionem harum quaestionum ad conuentum multorum eruditione, prudentia, & iudicio ualentium an Academia nostra damnanda sit, & haeresium horribilium accusanda, ipsorum conscientijs, qui haec agitant, cogitanda & expendenda relinquo. Haec initio iuniorum causa, quorum multi uirulentis scriptis & conuicijs turbantur, dixi, qui omis-

non necessarijs disputationibus, relinquunt eos diuino iudicio, quod Paulus portaturos eos, qui turbant nos, denunciat: Nostra interea studia & exercitia curemus, ea diligentia, quam ex officij nostri ratione Deus & parentes à nobis requirunt, ne luce doctrinæ diuinitus traditæ, & Philosophie in tenebras & sordes, in quibus maiores nostri uersati sunt, recidamus.

Cùm autem mihi à Præceptoribus nostris, qui studia literarum promoueri cupiunt, impositum sit munus explicandi eam doctrinã, quæ rationem rectè formandæ orationis ostendit, & alioqui recepta consuetudine, aliquid præfandum esset, utile fore iudicaui, pauca de dignitate, & utilitate facultatis dicendi in medium asferre, ad excitandos non ætate prouectiores, quibus hac commemoratione minimè opus erit, sed ad inflammandos iuniores, ut maiori studio, assiduitate, & diligentia in curam rectè dicendi incumbant, & ut sine ulla dubitatione credant, multum operæ atque studij consumendum cùm in tradenda, tum in discenda huius artis doctrina, Quod cum breuiter expediam, uos reuerenter, & amanter oro, ut me ea patientia & benignitate audiatis, qua alios ex hoc loco dicentes audire consueuistis. Etsi autem optimè intelligo ingenij mei tenuitatem, qua uix dignitatis atque amplitudinis umbram in facultate dicendi capio, multò minus splendorem & magnificentiam eius oratione illustrare ualeo: Tamen  
non

non dubito, quin me apud uos excuset persona, quam non meo quodam iudicio mihi assumpsi, sed publica auctoritate gero. Ac me ad dicendum accedentem, humanitas congressus scholastici erigit, in quo non modò excellentium uirorum iudicia, sed & aliorum mediocrium honestæ uoces, de studijs doctrinæ audiuntur: Sicut in senatu Attico, non solum Themistocles audiebatur, aut alius eruditione & eloquentia præstans orator, sed etiam ab alijs mediocribus ciuibus sententiæ dicebantur.

Nec de excellenti, ac perfectâ eloquentia, qualem Cicero in libris de oratore describit, quam ne quidem sperare possumus, hoc in loco dicam, sed de cura rectè dicendi, & diligentia componendæ latinæ, propriæ, & perspicuæ orationis, quæ quasi inchoatio est eloquentiæ, pauca monebo. Verum cum in commendationibus artium, alijs aliæ rationes probentur, quosdam enim mouet utilitas, alij oblectatione, quidam necessitate impelluntur, cumq; una sit honestas, cuius causa liberales artes, generosis quibusq; animis debent esse commendatissima, de ea nunc paucis dicam, & ostendam non modò propter pulchritudinem, aut utilitatem, sed præcipuè propter necessitatem hanc doctrinam expetendam esse. Proinde paucis cognoscite, quæ me adduxerint rationes, ut præcipuè studium dicendi necessarium omnibus existimem.



Principio omnibus in conspectu sit seuerissimum Dei mandatum, quo præcipit non tantum ut nostra causa assidue Prophetarum & Apostolorum monumenta legamus, & cognoscamus, sed etiam alijs ea quæ lectione, ac pia meditatione percipimus, docendo ac dicendo communicemus.

Nec dubium est præcipuum & summum esse omnium operum humanorum, alios rectè de Deo, & de doctrina uitæ necessaria docere atque informare. Manifestum est autem sine dicendi artibus, quæ concinnam, simplicem, & eruditam docendi uiam tradunt, non posse integrum doctrine corpus, dextrè & sine corruptelis auditoribus proponi, multo minus tot, & tam diuersæ opiniones, quæ in hoc corrupto seculo, atque seruilibus moribus irrepserunt, sine facultate dicendi reijci, ac refutari. In explicatione enim doctrine celestis necesse est, ordinem ab artificibus præscriptum sequi, ut auditores feliciter tradita percipiant, & imposturarum causas, ex ueris locis & fundamentis monstrare, ut conuicti errorem agnoscant. Ideoq; Diuus Paulus Ecclesijs peritum artis dicendi præficiendum censet, cum inquit, eligendos esse, qui possint confirmare auditores in sana doctrina, & contradicentes conuincere. Et quodam in loco ualde sapienter præcipit, ignarum facultatis dicendi ab Ecclesia remouere, cum ait, ἕαπε δὲ μὴ ἢ διὸ μωβυτῆς, σιγάτω ἐπ' ἐκκλησίᾳ. Si quis facultate dicendi non sit præditus, taceat in Ecclesia.

Sapè

Sapè auditis Thucydidis grauissimum testi-  
 monium recitari, quod cum hoc ipso loco Pauli  
 consentit, quo Reipub: Attica præcipuum lumen  
 Periclem ornat, cum ait γνῶναι τὰ δέοντα καὶ  
 ἐπιμυθεῖσθαι ταῦτα. Hoc breui Elogio comple-  
 ctitur amplissimam doctrinam, quæ & in uerbis  
 Diui Pauli continetur, quæ monstrat quibus rebus  
 eum instructum esse oporteat, qui in civili societa-  
 te alijs auctoritate, consilio, & doctrina prodesse  
 uelit. Hunc uult primum intelligere eas res, quæ  
 communi hominum societati necessariae sunt, &  
 præditum esse facultate, commodè, & perspicuè  
 exponendi res utiles, & necessarias. Hæc duo sum-  
 ma dona σῶμασιν uidelicet, et δῶμασιν ἐπιμυθεῖ-  
 σθαι, non minus Paulus in ijs, qui doctrinæ Chri-  
 stianæ tractationem suscipiunt, quam ipse Thu-  
 cydides in Philosopho & uiro politico requirit.

Nec quorundam iudicijs assentiantur iunio-  
 res, qui ista cura loquendi minimè opus esse putant  
 Theologis, cum certum sit in Prophetiis scriptis,  
 & Apostolicis monumentis plurima & egregia  
 ornamenta ex oratoria facultate esse desumpta.  
 Non dubitate quin ipse Paulus à primis annis in  
 hac dicendi arte probè sit institutus, cum eius  
 scripta concinno ordine, eleganti methodo, &  
 optima forma orationis, sint distributa & con-  
 texta. Nam ut Strabo refert, in Tharso Pauli pa-  
 tria, artium disciplinæ floruerunt, quarum discen-  
 di cupiditate & Paulum inflammatum fuisse con-

sentaneum est. Sic enim Strabo scribit, Tantum Tarsensibus studium circa Philosophiam fuit, ἡγορεῖται ἄλλω ἐν κλίσει, ἄπασασι παιδείαι, ut Athenas & Alexandriam superarent, & si quis alius locus dici potest, in quo scholæ & Philosophicæ exercitationes fuerunt. Sed hoc uno plurimum excellit, quod hic indigenæ discunt, peregrini uerò non multi huc adueniunt. Hæc Strabo. Didicit igitur inter cætera Paulus, & rationem docendi ac dicendi, qua Doctores in Ecclesia destituti, sententias uariè raptatas corrumpunt, & ueluti catuli, ut Platonis uerbis utar, lacerant mordicus apprehenso, panniculos.

Ac exempla superioris ætatis testantur quàm turpiter scriptores sæpè in grauibus causis hallucinantur, qui hac arte non fuerunt instituti. Cùm enim assuesfacti non essent ad curam rectè, propriè & perspicè loquendi, doctrinam Ecclesiæ in explicatione absurdis declarationibus corruerunt, non intelligentes proprietatem phrasium, sermonis, & figurarum, aut si ipsi controuersiam aliquam explicare constituerent, ita monstrosa oratione, & compositione inconcinna, magnos libros consuerunt, ut à nemine quantumuis sapiente intelligi possent. Exemplo nobis esse possunt scripta Monachorum, quorum quædam adhuc in Bibliothecis multorum asseruantur, ut posteritas uanitatem ingenuorum, & nugas superioris ætatis uideat. Nemo quantumuis

uis sibi sapiens uideatur, Scoti sermonem intelliget, qui nullum dogma illustrauit, sed nugacissimas disputationes in Ecclesiam inuexit. Et tales interpretes in sacris literis uerè sunt ὄροι ἐν μὴ-  
 ρω, ut communi prouerbio celebratum est. Quicumque igitur sperat se sine artis dicendi præsidio Theologum fore, & doctrinam Ecclesiæ rectè enarraturum, insigniter fallitur. Genus enim sermonis Prophetici, & Apostolici, sine figurarum, phrasium, & linguarum cognitione, & tota ratione formandæ orationis perspici non potest, nec doctrina Ecclesiæ sine copiosa, & commoda orationis facultate propugnari.

Quod uerò dicendi facultas ad uniuersam Philosophiam explicandam, & ad ingenuas & liberales artes sit necessaria, disputatione non eget, cum omnis doctrina honestarum artium oratione gubernetur, & contineatur. Hanc curam dicendi omnium præcipuam qui negligunt, infeliciter in superioribus facultatibus uersantur. Videmus proh dolor maximæ partis uersantium in studijs literarum imprudentiam, & peruersitatem, qui cum Academias accedunt, incensi cupiditate artium superiorum, fundamento solidæ eruditionis reiecto, quod nobis dicendi artes præscribunt, illotis manibus & pedibus, ut dicitur, difficultium materiarum tractationem suscipiunt. Alij his inferioribus artibus neglectis ad facultatem Theologicam se totos applicant, alij sacrarum legum &

iuris doctrinam accedunt, alij spretis dicendi artibus ad facultatem Medicorum properant. Quam infeliciter tandem in facultatibus superioribus uersentur, communis experientia ostendit, & ubi tales ad gubernationem in Ecclesia & Repub: destituti his adminiculis artium dicendi uehuntur, quantum sæpè communi hominum societati noceant, deplorare potius quàm prolixè commemorare uolo. Certum est enim quod uniuersa hominum uita, gubernatio Ecclesie, iudicia, scholæ, studia literarum, forum, sermone & oratione indigeant. In his nominatis partibus nemo animi sensa, & cogitationes alijs exponere potest, ut intelligatur, si non certa quadam uia ac ratione loquatur, & arte prius dicendi facultatem confirmauerit.

Summi oratores, qui ueterum monumentis celebrantur, cum scirent præcipua uitæ negocia, oratione propria & perspicua explicari, non minus solliciti fuerunt de concinnis & commodis uerbis, quibus animi cogitationes explicarent, quàm de rerum magnitudine, quas pro temporis ratione tractarunt.

Pericles cuius ingenij excellentia, & oratorie facultatis præstantia tanta fuit, ut in concionibus tonare, ac fulminare diceretur, quoties ad conciones recitandas ascendit, semper à Dijs immortalibus precari solitus est, ut ipsius linguam guber-

gubernarent, ne quod sibi uerbum Reipub. obturum excideret.

Demostheni cum obijceretur quod meditatus ad dicendum ueniret, respondit, non modo impudentem, sed etiam improbum ciuem uideri illum, qui prodire ad dicendum ausit, re non diu antea, multumq; cogitata, se si possit, non solum scripta, sed etiam sculpta dicturum esse.

Quid de Cicerone inter Romanos Oratores eloquentissimo commemorem? qui ipse factetur, se cum summo timore ad dicendum sepe accessisse. Hic aliquando propter diem iudicij prorogatum, quod ei de causa obscura & intricata dicendum erat, ita letatus est, ut seruum id renunciantem libertate donarit.

Hæc exempla & iudicia Oratorum præstantissimorum nos moueant, ut statuamus, summa diligentia, et crebris exercitationibus nobis opus esse, ad hanc proprij, puri, & perspicui sermonis facultatem comparandam, nec imperitorum persuasionibus assentiamur, qui putant nihil dicendo facilius esse, cum certum sit omnium humanorum operum summum, & difficillimum esse dicendi facultatem. Non enim est eloquentia, ut multi sibi persuadent, ociosus aut accersitus orationis fucus, qui uoluptatis inanis causa adhibetur, sed est facultas inter reliqua beneficia diuina hominibus ab ipso Deo concessa, ut de magnis & necessarijs rebus, de religione, de iure ac iusticia, de omni  
uir=

uirtutis officio, propriè & perspicuè docere alij alios possint. Si quis hanc dicendi facultatem non necessitatis causa, sed ad inanem ostentationem excogitatum esse iudicat, erga Deum extremè impius & ingratus est. Qui igitur eloquentiam iudicant donum diuinitus hominum generi concessum, & potius natiua, quàm monstrosa forma orationis delectantur, non tantùm inuigilent studio comparandi cognitionem rerum bonarum, sed addant & loquendi facultatem, qua res ueras rectè & perspicuè bono genere sermonis exponant. Pictores magna cura in eo laborant, ut mediocribus & uiuis quasi coloribus ipsa corpora imitentur, quantò magis decet homines literatos in explicatione maximarum rerum, in Religione & Republica studiosè præstare, ut oratio res in mente rectè cogitatas exprimat uerbis significantibus ac illustrantibus. Sunt enim in oratione uerba notæ rerum, quibus res explicantur & definiuntur, has notas non ambiguas, non perplexas, non obscuras esse oportet, si res quæ in mente latebant, & cogitatione conceptæ erant, uiuis coloribus pingere & exprimere debent, ut à lectoribus & auditoribus rectè intelligantur, ne de sententia propria, & natiua rerum quæ ab oratore proponuntur, aberrant. Quare in causis obscuris & grauibus explicandis prudentia & circumspectio opus est, non tantum ut res utiles generi humano proponamus, sed etiam genus sermonis

monis proprium & perspicuum deligamus, quod rebus ueris respondet, quod omni ambiguitate caret.

Res plena periculi est ludere præstigijs sophismatum, & ambiguis dictis, quibus dissimiles opinionones in animis audientium excitantur, unde inter Doctores odia, concertationes diræ, & disceptationes cum pernicie Ecclesiæ proueniunt, cum quisq; opinionem ex ambigua oratione conceptam, mordicus defendere nititur. Euripides nominat turpissimum morbum linguam petulantem, seu effrenem ἀκόλαστον γλῶσσαν ἀχίλοιο νόστορον quæ in Ecclesia horribilis pernicies est, cum in opinionis alicuius defensione ludit, ut sæpè fit improprijs dictis, quæ aut ex malitia, aut ex inscitia defendenda lingua eiusmodi suscipit.

Nec tantum linguæ uirulentiam, quam malicia naturæ multis suppeditat, uitemus, sed & ambiguitatem, quantum fieri potest, fugiamus, quæ magnarum turbarum sæpè causa est.

In Synodo Syrmensi cum quidam Arrij controuersiæ humano consilio mederi studerent, mentionem uocabuli ὁμοῶσιος silentio obruentes, in Symbolo poni ὁμοιος pro ὁμοῶσι & decreuerunt. Hunc cothurnum, si utraq; pars acciperet, existimabant discordiæ finem fore, quia utraque pars filium esse fateretur, & quidem similem patri, ommissa quæstione, an sit ὁμοῶσιος. Subscriptis huic decreto, & pius senex Hosius Cordubensi

Episco-



Episcopus, coactus, ut narrant, cum tamen antea ueritatem constanter defendisset. Hinc natae sunt innumerabiles rixae inter Orthodoxos & Arrianos, utrisq; particulam ὁμοιοῦς ad suam opinionem inflectentibus, alij uoluntatis, alij essentiae similitudinem intellexerunt. Horum malorum cogitatione Hosius, in tantam mœstitiam incidit, ut dolore animi extinctus putetur.

Hoc exemplum eò recitauit, ut studiosi cogitent, quantum referat, quibus uerbis res mente perceptae explicentur, cumq; nos deceat esse ueritatis custodes, non tantum res ipsas rectè discamus, sed & formam idoneam & utilem exponendi animi sensa nobis comparemus, ne monstrosa orationis forma aut ambiguus dictis auditores & lectores turbemus.

Præterea hæc rectè dicendi scientia, & optimarum rerum cognitionem auget, quæ semper cum eloquentia coniuncta est. Oratorum scripta, quorum imitatio ad facultatem dicendi ac scribendi nobis necessaria est, plena sunt utilissimis materijs, in quibus simplici, proprio, & dilucido sermonis genere doctrinam de natura rerum, de moribus, de Reipub: gubernatione, & omnibus rebus bonis explicant.

Nec est quod quis cogitet eloquentiam esse sine rebus. Nam ita, inter se coniurarunt Eruditio & Eloquentia, ut diuelli nullo modo possint.  
Sunt

Sunt enim eloquentiæ fontes doctrina cœlestis, Philosophia moralis, doctrina Physica, cognitio poëmatum & historiarum. Ac nihil aliud est eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia. Ideoq; Plato uerè dicit, quòd eloquentia sine sapientia, & probitate sit tanquàm gladius acutus in manu furiosi. Nostri igitur officij erit animum optimarum doctrinarum cognitione informare, & simul studium, & curam rectè loquendi adiungere. Nemo enim eloquens esse potest in eo quod nescit. Ideo Demosthenes cuidam interroganti quomodo rectè dicendum esset, Respondit: Si nihil dixeris nisi quod bene sciueris. Et usitatè dicitur: Quodq; parum nouit nemo docere potest.

Ac nos, præsertim qui in studijs uersamur, ad mediocrem orationis compositionem, suauitas & uoluptas homine et liberali ingenio digna, inuitare debebat. Nullum pulchrius ornamentum in homine literato esse potest, quàm suauis oratio, quam non monstrosa & absona forma, qualis Monachorum plerumq; fuit, sed quæ perspicuo, & proprio sermone, ac concinna compositione, animi cogitata, refert. Neque Musica dulcior, aut iucundior auribus omnium sensuum delicatissimis, aut mente percipi ulla potest, quàm æquabilis oratio, constans bonis uerbis ac sententijs. At longè à natura hominis degenerauit, imò nulla humanitate præditus est, quem nulla uoluptate, oratio pura, perspicua et elegans afficit. Quis enim non mauult  
audire

audire Philomelam dulcissimè canentem, quàm cuculum insuauiter stridentem, quis non aures potius alaude, quàm glotoranti ciconiæ præberet? Hercules fingitur aurea catena magnos cœtus hominum quocunq; uoluerit traxisse, qua fabula significare uoluerunt homines sapientes, quòd eloquentia & dicendi facultate hominum animi moueantur. Demosthenes sua eloquentia impulit ciues contra Philippum Macedoniæ Regem.

Agnoscamus autem & celebremus summa beneficia Dei, quæ & Reipub: & Ecclesiæ, per facultatem dicendi præstata sunt. Superiori ætate qua optima ratio dicendi neglecta est, artes omnes confusè & obscurè tradi cœperunt, & doctrinæ religionis puritas sublata fuit. Nihil propriè aut latinè eo tempore enunciarunt, sed relicta imitatione ueterū, qui rectè loquuti sunt, nouum genus sermonis ac prodigiosum in scholas importarunt, quo uniuersam Philosophiam ac Theologiam densissimis tenebris inuoluerunt. Cum enim sermo sit nota, & quasi descriptio rerum, nemo doctrinæ alicuius partem rectè intelligere, multò minus alijs explicare potest, nisi uerbis ac notis significantibus id perficiat.

Quare diuinitus excitati sunt postrema mundi ætate, duo heròes multis uirtutum generibus præstantes Doctor Lutherus & Philippus Melanthon sanctissimæ memoriæ, patres ac præceptores nostri

noſtri immortalī gratitudine celebrandi, quibus  
 cum alia dona quæ grata mente in utroq; agno-  
 ſcimus ac celebramus contulit, tum præcipuè elo-  
 quentia, & dicendi facultate eos inſtruxit, ut do-  
 ctrinam Eccleſiæ, & honeſtarum artium ſtudia à  
 ſordibus & tenebris repurgarent, & ab interitu  
 uindicarent, ac ſublata barbarie, quæ ſuperioribus  
 ſeculis in Philoſophiâ graſſata eſt, artes in uete-  
 rem dignitatem atque amplitudinem reſtituerent.  
 Quoties de hoc immenſo Dei beneficio cogitamus,  
 quod in hac ultima & delirante ſenectâ mundi  
 Euangelij lucem Eccleſijs reddidit, & ſtudia elo-  
 quentiæ excitauit, quibus reliquæ artes illuſtrate  
 ſunt, pudeat nos & ingratiitudinis noſtræ, qua  
 hæc beneficia non debita gratitudine ac reueren-  
 tia agnoſcimus, & deploremus maximæ partis ig-  
 nauam, quæ ſtudia artium dicendi negligit, qui-  
 bus hic optimus theſaurus conſeruari, & ad po-  
 ſteros propagari debebat. Nos qui in ſtudijs uer-  
 ſamur, cognita ſuperiorum temporum inſcitia,  
 non tantum gratulemur noſtræ ætati, diuinam il-  
 lam in artibus quæ reſloruerunt, felicitatem, ſed  
 fugiamus ac reformidemus ſaſtidium præſentium  
 bonorum, ac cura poſteritatis afficiamur, ut dicen-  
 di facultatem nobis comparemus, qua doctrina  
 Eccleſiæ, & aliæ magnæ artes incorruptæ ad po-  
 ſteros propagari poſſint.

Quoties hanc tristem Eccleſiæ faciem, quam  
 nobis quorundam iniquæ contentiones inducunt,

intueor, uideo etiam paulatim doctrinarum studia languescere, & discentes non eam assiduitatem in doctrinarum cognitione, ac diligentiam adhibere, quam primæ istæ artes requirunt.

Quare cum summo dolore cogito breui magnas tenebras sequuturas, & in doctrina Ecclesiæ, & in ipsis artibus dicendi, quibus superiores facultates ac disciplinæ nituntur: quas ut Deus clementer auertat, suppliciter eum assiduis precibus rogabimus, & simul quantum fieri potest in eò enitemur, ut has artes à Domino præceptore illustratas, tanquam præclarum depositum, summa fide, studio, & diligentia asseruare possimus.

Porrò & styli exercitatio, eo nomine nobis commendata sit, quod ingenia acuit & excitat, ut ea quæ lectione aut auscultatione percepimus, rectius intelligamus. Cum enim in scribendo res prudenter inuestigantur & aptè digeruntur, ingenia nostra circumspecta cogitatione, & cura excolimus, intentionem & perspicaciam augemus. Non est quòd nobis persuadeamus studiosum præclare officio defunctum, si quàm plurima audierit, & multos libros quotidie euoluerit, sed hoc præcipuè requiritur, ut styli exercitationem adiungat, & ipse res auditas et lectas commoda oratione explicet. Nam quod Ouidius de reliquis artibus rectè dicit, Solus & artifices qui facit usus erit, id in eloquendi arte præcipuè locum habet.

Nemo

Nemo enim mediocrem facultatem scribendi sibi comparabit, nisi usum & assiduam exercitationem adhibuerit. Quare Cicero, cuius natura alias ad eloquentiam effecta uidetur, de se scribit his uerbis: Ipsa illa si qua fuit in me facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Et in primo de Oratore dicit, optimum ac prestantissimum dicendi effectorem, ac magistrum esse stylum. Quod si barbariem, & tenebras superioris ætatis, quæ iam rursus præ foribus sunt, in cœtum nostrum reducere recusamus, quibus certè omnes posteritatis causa summo studio resistere debemus, loquendi ac scribendi curam amemus, & styli exercitia, quibus neglectis nos & totam posteritatem rursus in caliginem, summos errores, atque maximarum rerum ignorationem conijciemus.

Carolomannus patruus Caroli Magni in quadam Synodo, præsentem & approbante Bonifacio, præcepit, ut sacerdotes discerent emendatè & rectè scriberè. Sciebat enim optimus princeps scribendi facultate maximè opus esse ad grauissimarum controuersiarum in Ecclesia explicationem, & hac cura propriè et perspicuè scribendi, emendari multa ingenij uicia. prohiberi præcipitantiam, excuti ignauiam, frenari superbiam, quæ temerè iudicat de aliorum scriptis & oratione. Utinam et senatus edicto, nunc multi cogerentur, ad has dicendi & scribendi artes, quas plurimi

cum magno detrimento in prima etate negligunt, non sic, ut faciunt pleriq; , præstigijs sophismatum in re seria luderent, nec Cyclopicis moribus communi societati nocerent. Verissima sunt quæ dico, & ostendere possem exempla hominum, qui hæc studia contemnunt, quorum feri mores ostendunt, quantum ab humanitate absint.

Postremò & ipsa pulcherrima hominis fabricatio nos ad curam dicendi & sermonis, qui hominis proprius est, inuitabit. Indidit enim Deus homini, quem ad imaginem & similitudinem suam condidit, duo excellentia dona, mentem & sermonem. Mentem uoluit esse ducem, & uitæ gubernatricem, quæ optima ratione regat suo imperio subiectos subditos, iudicium & uoluntatem, discernat honesta & turpia, & contempletur Dei uestigia in rerum natura. Deinde menti addidit sermonem, ut sit organum quo mens domina rerum utitur in explicandis rebus uitæ necessarijs, & in administratione actionum, quæ cõmuni societati necessaria sunt. Hoc igitur summo dono sermonis, uult Deus nos uti ad ueram sui nominis celebrationem, & ad Ecclesiæ, Reipub: & communis societatis utilitatem. Quod & Plato intellexisse uidetur, cum ostendit dicendi facultatem gubernandam esse iusticia seu uirtute, & sapientia, cum Gorgiam his uerbis loquentem introducit: τῆ ῥητορικῆ ἕως τὸ δικαίον ἄνευ εὐφραδίας.

Iam consideremus maximam generis humani partem, quæ lingua & sermone sceleratè abutitur, ad contumeliam nominis diuini & perniciem societatis humanæ. Non dicam iam de abusu linguæ uulgari in obtreçtatione, qua etiam infimi ordinis homines nugis & fabellis excogitatis, obtreçtare bonis cõsueuerunt, de quibus Plautus dicit: Multis in questu est thesaurus stultis in lingua situs, ut questui habeant malè loqui de melioribus: sed aspiciamus cuiuscunq; ætatis uiros, qui in gubernatione Reipub: & Ecclesiæ primarij perhiberi uolunt. Horum multi sic sermone abutuntur, ut diabolo usum linguæ concedant, ad mendacia & homicidia, quæ propria sunt immundi spiritus officia. Exempla huius linguæ abusus nobis suppeditat totius mundi historia, quæ cum omnibus sint nota, nolo exemplorum commemoratione auditoribus tedium asferre. Tantum nostræ ætatis historiam considerate, in qua linguæ & sermonis abusus uulgaris est. Duo isti Pontificij agminis propugnatores præcipui, Staphylus & Hosius eloquentiam & linguam non ad eos fines, quos Deus proposuit referunt, sed sermone utuntur, ut Deum contumelia afficiant, & diaboli partes strenuè agant. Cùm enim falsa dogmata, magna contentione, & orationis acerbitate defendant, quid aliud faciunt, quàm quod linguam Diabolo patrè mendaciorum ad mendacia, plausibili prætextu ornanda, & ut simplicium animos decipiat, usui



concedant. Ac uerè de his & similibus Pindari-  
dum illud dici potest, τὸ λοιδορῆσαι θεοῦ ἐχθρὰ  
σοφία. Odiosa sapientia est Deo conuitiari.

Deinde cum Reges & Principes, Pontificijs  
erroribus adhuc adherentes, contra coetum in ue-  
ra Ecclesia, cuius sanguinem sitiunt, excitent, dia-  
bolo quoque sua dicendi facultate ad alterum illud  
officium homicidium strenuè inseruiunt. Horum  
malorum consideratione, studiose uitemus abu-  
sum lingue, & Deo conditori grati simus, qui hoc  
tanto bono sermonis instruxit naturam, ut Deum  
eiusq; opera pia mente celebremus, & curam lo-  
quendi ad eos referamus fines, quos Deus in uer-  
bo patefacto proposuit.

Recitavi qua potui breuitate commonefactio-  
nes iuuentuti utiles & necessarias, quibus moueri  
nos decet, ut assiduè summa cura, & omni animi  
intentione nobis comparemus facultatem, proprio  
& perspicuo orationis genere, explicandi animi  
fensa ac cogitationes. Si quos hæc commemoratio  
ad cupiditatem facultatis dicendi incitauit, dixi  
ut uolui, sin ea fuit orationis nostræ tenuitas, ut  
neminem incitauerit dixi, ut potui, & si quem  
non mouit, uox mea, ueritas ipsa cuius custodes  
nos Deus esse præcipit, ut ad curam rectè loquen-  
di singulos impellat, exopto.

Cum autem nullus labor felix & salutaris sit,  
sine auxilio diuino, toto pectore oro Deum æter-  
num

num patrem Domini nostri Iesu Christi, condito-  
 rem generis humani, & Ecclesie sue una cum filio  
 suo coeterno, Domino nostro Iesu Christo, patefa-  
 cto in Hierusalem, & Spiritu sancto, effuso in  
 Apostolos, ut in his regionibus aeternam sibi Ec-  
 clesiam uoce Euangelij colligat, & hanc Acade-  
 miam præcipuo gubernatore orbatã, et in ea fide-  
 liter docentes seruet, ac contra calumnias, sophi-  
 sticen, & dira conuitia quorundam protegat, uos  
 quoque & uestra studia Spiritu sancto suo regat,  
 & adiuuet, ad nominis sui gloriam, & Ecclesie  
 ac politiarum salutem. Mentem etiam meam suo  
 spiritu collustret, & linguam docentis gubernet,  
 ut in doctrinarum explicatione ipsi grata,  
 auditoribus uerò utilia & salutaria  
 dicam & proponam.

DIXI.



## ORATIO DE PALAESTINA

RECEPTA, ET CONSTITV-

to regno Hierosolymorum duce Godefrido Bileo-

neo, Recitata à Nobili &amp; Clarissimo Viro, Ioa-

chimo à Beust. I. V. Doctore &amp; Professore fa-

cultatis ordinario, cum tribueret titulum &amp; insi-

gnia Doctoratus in Vtroq; iure, Ornatissimo uiro

Paulo Goldstein D. Clarissimi urri, Chilian

Goldstein filio. die 20.

Maij.

CVM denuo in hoc mihi loco dicendum esset, post interuallum non longum, de eodem argumento, de quo nuperrimè uerba feci, & cogitanti paramiacum illud, Crambe bis cocta mors est, ueniret in mentem, opus fore initio aliqua mei excusatione, indicaui re mecum considerata non aliam me inuenturum uel rei ipsi, uel personæ quam sustineo accommodatiorem ea, quæ est in colloquio Hippiaë & Socratis apud Xenophontem. Hippias ex longo interuallo reuersus Athenas, cum audiret Socratem illas suas ueteres & usitatas admonitiones, in amicorum congressibus familiariter repetere, nec iam alia aut noua, aut splendidiora proferre, deridet eum inquires: Adhuc Socrates eadem illa dicis, quæ ante multos annos dicentem te audiuimus? Ego uerò inquit Socrates, de iisdem eadem: Tu fortasse qui ingenio, sapientia & doctrinæ copia antecellis, de iisdem  
 non

non dicis eadem. Respondet Hippias. Prorsus in hoc incumbo, ut aliquid excogitem & asseram noui. An de his quæ scis, inquit, ut si quis interroget, quibus literis scribatur Socrates? aut an bis quinque sint decem? Alia nunc dicis, alia dicebas antea? Tum Hippias, De his eadem ut tu. Sed de iusticia nunc alia dico, quibus contradicere nec tu nec alij possunt. Socrates: Magnum bonum toti generi humano inuenisti. Nam si cognouerint hanc iusticiam homines, cui contradicere nequeat, nunquam inter se dissentient. Ita nullæ erunt ciuium & ciuitatum discordiæ, & finis erit seditionum ac bellorum. Nec aliud magis uelim quam hanc à te sapientiam discere. Hippias. At non audies, nisi prius tu quoq; planè & explicatè dixeris, quid statuas esse iustum. Nec concedam ut tantum interroges, & eludas dicta, ac sapientiam tuam occultes. Socrates. An satis perspicuè dicere uideor, quid sentiam esse iustū, cum factis ipsis ostendam? Sentio igitur iusticiam esse præstare legibus obedientiam. Hippias. Sed quomodo iusticia est legibus obedire, cum gentium multarum leges contrariæ sint? Nec uerò consentaneum est iusta inter se pugnare. Socrates. Atqui sunt leges quædam non scriptæ communes omnibus hominibus, quas non sapientia condidit, uel autoritas posuit humana: Sed Deus ipse generi humano tradidit, cuius rei certissimum & euidentissimum est argumentum, quod omnium hominum consensu iudicatur re-

Etum esse, primum Deum colere, deinde parentes honore afficere. Neque ideo talia non sunt legitima, quia nonnulli ea non faciunt. Adficiuntur enim pœnis, hi qui uiolant has leges.

Hæc summa est colloquij inter Hippiam & Socratem apud Xenophontem, quod uisum est apertissimum præbere huic orationi exordium. Redeo enim in hunc locum ex interuallo, non ut Hippias longo, sed breuissimo, dicturus de argumento, de quo qualis fuerit mea oratio nuper, meministis omnes: Sed de illo ipso quanquam per sese tam amplem sit tamq; splendidum, ut nullius hominis uel cogitationibus comprehendere uel exhauriri eloquentia possit: tamen quid à me dici debet, uel potius quid dici potest, aut prioribus melius uel splendidius, aut quod dictum non sit prius, quod uel à sapientiss: atque eloquentiss: hominibus de legum ac iusticiæ fontibus summa aliorum cum attentione & admiratione sepe hoc in loco recitatum, & in hoc ipso iam commemorato duorum præstantium uirorum colloquio expressum non sit. Si itaq; eadem nunc quæ nuper, & quæ ante me alij, atque inter hos primi & optimi harum inuentionum autores & artifices sepe usurparunt. Si & de iisdem eadem, nec rebus mutatis, nec innouatis aut uariatis sententijs pronunciauero, confido neminem uestrum hoc reprehensurum esse, cum me excuset ac tueatur exemplum & autoritas illius, cui sapientiæ primas tribuit, non tantum Græciæ uniuersæ  
consen-

consensus sed etiam ab hac interrogatus *Dæmon Delphicus*. Sunt uerò & secundum *Euripidem*, ἀπλὰ τὰ πῆρ ἀληθείας ἔσῃ καὶ ὄν ποικίλωρ δ'ἔσται φαρμάκωρ. Nec de iisdem, cum una sit & simplex ueritas, nisi eadem dici possunt.

Inquit *Socrates*: Esse quasdam leges non scriptas, sed diuinitus constitutas, de quibus inter se omnes homines consentiant, & orditur à prima, quæ & omnium summa est, & Deum esse docet, & qualis sit demonstrat, & colere hunc præcipit. De his non scriptis legibus ait præclare *Plato*: Peruulgatum hunc esse & multis seculis confirmatum sermonem, quod directam iusticiæ suæ normam in naturam Deus extenderit, & hanc tueatur, ne uel rumpatur aut crepet, uel laxetur. Adiunxerit autem uindictam, quæ hunc neruum incidere conantes aut alioquin à rectitudine legis diuinæ aberrantes aut malitia & petulantia aut imbecillitate, reflectat ad normam & puniat.

Congruunt hæc cum testimonijs *D. Pauli*, qui affirmat legis opus in corda gentium inscriptum esse, & notum esse gentibus τὸ δικάσωμα θεοῦ, quod est æterna & immota iusticiæ norma in Deo, patefacta hominibus in Creatione, & repetita in Decalogo. Rectè autem *Socrates* addit non tolli aut euertere certitudinem notitiarum præcipientium quæ appetere & consecrari, quæ auersari ac fugere

fugere debeamus, etiamsi multi non obtemperent: sed ruant petulanter extra definitas metas contra rationis præscriptum. Sed causas cur hoc fiat neque intelligit neque explicat, nec quid his noticijs desit, & ubi hæreant ac deficiant, perspicit: Hæc Paulus ex Ecclesiæ doctrina demonstrat, qui & de peccati causis, & de lapsu hominis fractis ac lan-  
guæ factis uiribus humanis, & de earum instauratione per filium Dei concionatur.

Sunt ergo aliquæ leges, ut Socrates ait, ἀρχαί ποί, quas neque ex sese effinxit, neque ex naturæ operibus exsculpsit uis ingenij & conatus industria humana: Sed Deus suo digito in mentes hominum ceu tabulas quasdam inscripsit, ac uelut consignauit, quarum & ueritas est immota, & immutabilis ordo atque constitutio, & rigor inflexibilis, magis multo quàm à Poëtis esse finguntur Minois & Rhadamanti decreta apud inferos. Nec propterea nihil sunt, quod multi & suorum affectuum insanis ceu fluctibus ac procellis, & incitantium diabolorum furoribus magis obsequuntur, quàm salutaribus harum legum præceptionibus, quas ratio dicitat, sicut apud Comicum queritur quidam:

Γνώμῳ ἔχοντα μὴ φύσις βιάζεται,  
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

Innata menti uim meæ affert prauitas,  
Et uincit ira consilij prudentiam.

Sed manent notitiæ firmæ, etiamsi uoluntas interdum affectuum impetu uicta, sese in scelera & inde in pœnas, quæ immutabili ordine sequuntur, præcipitat. Nam ut Nomotheta, ita & custos uigilantissimus, & censor accerrimus, & exequutor est seuerissimus Deus ipse harum legum. Adest enim uerissimè ordini politico, & genus humanum curat, ac fouet, nec deleri totum sinit, ac reprimat grassantes Diabolos, & turbulentos homines, qui leges has uolant contumaciter, atrocibus supplicijs punit in hac & æterna uita, nemini parcens, cuiuscunque sit ordinis aut conditionis. Obedientia uerò secundum has leges, ea est iusticia, quam & lex Dei, & ex legis doctrina quantum de ea natura notum est, rectè sic nominat Socrates, etsi hæc iusticia humana longissimè abest à perfectione illius, quam lex DEI proponit & flagitat, quantumuis ab Aristotele Hespero & Lucifero prædicetur splendidior.

Ex his non scriptis legibus detexuit alias humana sapientia, quibus constituta sunt & administrantur Imperia, regna, Respub. tota deniq; generis humani societas. Has uelut riuulos congruere oportet cum fonte ipso. Si discrepent in genere (nam speciem sepe circumstantiæ uariant) legum non merentur nomen. Obedientia enim erga leges politicas & Magistratum Dei intueri, & ad Dei gloriam referri debet, sicut in credentibus fit cul-

tus



tus Dei. Delphicus Dæmon interrogatus, quibus coli Deus debeat, respondit, νόμος πόλεως. Hæc etsi ludens dixit suo more, tamen ridentem etiam dicere uerum, quid prohibet? Postulat enim hanc obedientiam Deus ab uniuersis, & eandem etiam in impijs ornat præmijs in hac uita, sicut exempla testantur.

Nec tribui honestis legibus humanis, quæ ad normam effectam in mentibus humanis, & Decalogi uoce declaratam atque illustratam congruent, quales sunt Romanæ leges, quæ citra controuersiam post Mosaicæ cæteris ut antiquitate, sic dignitate, ut autoritate, sic ueritatis certitudine, ut rationum ac demonstrationum euidencia, sic ordinis constantia antecellunt, his ergo tribui maius aut præclarior potest nihil, quàm cum prima earum uelut delineatio seu adumbratio in sapientie diuinæ demonstratur uestigijs, constituiturq; Deus architectus earum & uindex, sicut, se esse horribilibus pœnarum atrocissimarum exemplis ostendit. De usu uerò cum dicitur, quod non tantum nerui sint coniunctionis atque societatis humanæ, & coerceant iniuste facientes: Sed sint etiam pædagogia in Christum. Hæc etsi possent & debeant ornari splendidissime, tamen cum sæpe inculcentur, desino ea prolixius persequi: Nam & Græco uersu dicitur: Vertitur in bilem mel quoq; si nimium est.

Habent autem & humanæ leges suos Nomophylacas

phylacas atque exequutores magistratus politicos, quos non casus nec sola uiolentia humana, sed Deus ipse summo loco collocat, armat potentia, munit autoritate, & demandato munere fungentes adiuuat ac defendit: Contra officium facientes de fastigio deturbat, & ne sibi potestatem infinitam somnient, alligat ad easdem leges, iisdem ut uices suas delegauit, ita & nomen communicat: Deos enim eos appellat, quo Encomio quid requirat declarat, nimirum, ut curam suscipiant ac defensionem rerum diuinarum in genere humano, non earum tantum, quæ ad societatis humane conseruationem pertinent, sed multò magis Ecclesie, ut doctrina uera propagetur, multi adducantur ad Dei agnitionem, idolatrie extirpentur, opprimantur blasphemiarum semina, priusquam radicibus actis confirmentur & serpent. Deus uera obedientia & inuocatione in agnitione & fiducia filij Iesu Christi celebretur.

Hæc cum cogitanti mihi de ordine politico, & exempla præstantum principum mecum recensenti occurrerent, uenit in mentem inter alia expeditio nostrorum Argonautarum, quæ suscepta est in Asiam duce Godefrido Bilenco, de qua quoties cogito, toties opto & cum gemitu requiro, quem ad Achillis tumulum stans scribitur optasse Alexander Magnus, præconem rerum illarum Homerum. Fama Argonauticæ expeditionis in Colchidem ad raptum aurei uelleris, & Græcæ in Phry-

Phrygiam ad Troiæ expugnationem, compleuit omnium hominum aures atque animos omni tempore, & uiuet, uigebitq; , si qua futura est posteritas, propter Apollonij & Homeri poëmata. Sed quid hæ sunt comparatæ ad nostrorum hominum in Asia res gestas, siue consilium & causam expeditionis, siue successus, siue bello domitas ac subactas, & à tyrannidis ac blasphemie iugo liberatas & constitutas prouincias, siue diuturnitatem bellorum atque asperitatem spectemus. Non præde spe ut diriperent auri argentiq; thesauros, nec uindictæ cupiditate, ut repeterent & persequerentur priuatæ iniuriæ poenas, rem tantam ausi aggressiq; fuerunt. Sed quod unum præcipuè & maximè summo principe dignum est, ut quas obsederat ac polluerat Mahometicus furor, oppreserat tyrannis Turcica & Sarracenicæ, proiectis & abolitis religione uera, artibus ac disciplinis, legibus, iudicijs, florentiss: Asiæ Ecclesiis & prouincias, illas Christo, has orbis Christiani Imperio recuperarent ac redderent, detracto prophani ac blasphemii erroris fascino mentibus: tristissimo seruitutis iugo ceruicibus.

Tenebatur tunc Asia à Turcis & Saracenis. Turcos à Saracenis origo & mores, non superstitutionis prophanitas, quæ utrisque communis erat, nisi quarundam opinionum diuersitate secernebat. Horum imperium oppresso Babylonico Calipha, qui summus apud Saracenos magistratus

gistratus, complectebatur simul religionis & regni curam atque administrationem, hoc ergo oppresso occupauerat omnem Asiam à Ponto ad Laodicæam usque. Sed à diuersis gubernatur Sultanis, quorum unus Niceæ in Bithinia, alius Damasci, alius item Antiochiæ in Siria, Alepi alius, quæ fuit Epiphania ad Mesopotamiam, alius Iconij in Lycaonia latè imperitabat. Reliquæ Syriæ cum Palestina & Ægypto uniuersa totiq; littorali oræ Africæ in plures atque diuersas prouincias distributæ dominabantur Saraceni, Sed potentia & autoritate antecellebat cæteros Calipha Ægyptius.

Causam expeditionis tantæ habetis, dignissimam ausibus tantis, assertionem scilicet in libertatem & restitutionem Ecclesiarum ac politiarum oppressæ Asiæ. Dicam & de occasionibus pauca. Flagrabat ciuilibus bellis Germania, Saxonibus arte & perfidia Pontificum concitatis in Henricum quartum. In his bellis Godefridus Bileoneus dux Lotharingiæ, uir sapiens, acer & pietatis amans atque iusticiæ sequutus partes meliores, res maximas gessit contra seditiosos pro Imperatore, & initio belli destitutum à cæteris, quos Pontificij alienarant atque imparatum, præcipuè instruxit. Interfuit & præfuit prælijs omnibus, quibus depugnatum est cum Rodolpho Sueniæ duce, cui & prostremo ad Mersburgum uicto dextram amputauit, adacta in pectus eius uexilli quod gestauit

Pp                      cuspide.

cus pidae. Post eam pugnam pertesus domesticarum  
 digladiationum, & quod sceleratum esse duceret,  
 in patrie uiscera cædibus seuire, aut consilia ac=  
 commodare & operam, ut suis patria laceretur  
 manibus, suoq; conspersa cruore miserabiliter in=  
 tereat, uel spoliata ornamenti ac præsidij imperij  
 ac libertatis deueniat in turpem seruitutem: uo=  
 tum uouit non se in posterum uel opera sua uel  
 consilio futurum & adiuturum bella ciuilia, &  
 ne etiam spectator esse cogeretur tam crudelis la=  
 niene inter sese ciuium, cessurum se solo patrio,  
 & alibi noua regna & nouas sedes quæsiturum  
 belli gerendi ratione honestiore & Christiano or=  
 bi utiliore. Id si faceret, sperabat se facile & so=  
 ciorum & militum multitudinem maximam ex=  
 emplo permoturum suo atque coacturum autori=  
 tate, qui proficiscentem ad recuperandas Ecclesias  
 eorum locorum, in quibus filius Dei saluator no=  
 ster Iesus Christus natus esset & passus, docuisset,  
 ascendisset in cælos, eodem pietatis zelo sponte se=  
 querentur. Sperabat etiam futurum, ut si præcia=  
 puum robur militiæ abduxisset, Germania exars=  
 mata, bella cessarent, de quorum altero ut conies=  
 ctura eum non sefellit, copias enim & numero  
 maximas, & animis paratissimas & instructissi=  
 mas armis contraxit, ita deceptus est in altero.  
 Nam ne exhaustam quidem Germaniam quiescere  
 permiserunt concepta ex impatientia exose domi=  
 nationis odia, que artibus pontificum exaspera=  
 bantur.

Socij huius expeditionis fuerunt cum alij plures uiri prestantes, tum uero precipue fratres Godefridi duo, Balduinus & Eustachius, Hugo magnus frater Philippi regis Francorum, Robertus comes Normannorum, Vuilhelmi Anglorum regis filius. Boemundus Princeps Tarentinorum filius Guiscardi illius Normannorum principis, qui Apuliam omnem & Calabriam Saracenis perdomitis & tota Italia eiectis suam fecerat. Tancredus nepos Boemundi ex sorore cum Guilielmo fratre. Raimundus comes Tolosanus. Robertus Flandriae comes. Sed unius Godefridi imperio & nutu regebantur omnia. Hunc enim & propter uirtutis, sapientiae ac iusticiae opinionem, & propter memoriam rerum in patria gestarum, & propter aetatis maturitatem, promptitudinem ac celeritatem consiliorum in rebus dubijs & animi magnitudinem in desperatis, ceteri sponte ut ducem sequebantur, ac uenerabantur.

Ingressi ergo iter ad decimum octauum Calendas Septembris, Anno a nato Christo saluatore millesimo nonagesimo sexto, peragratis Hungarorum & Bulgarorum finibus, sub anni finem cum exercitu ad limites imperij Graeci perueniunt, quod tunc moderabatur Alexius Comnenus. Ab hoc etsi & petitam per praemissos ex urbe Philippopoli legatos facultatem traducendi exercitus facile impetrarunt, & honorifice accepti sunt,

quod exercitus metueretur, tamen postea magnis detrimentis affecti sunt. Transmisso ad Bysantium Helleponto prima contra Turcos castra conuenerunt uniuersis copijs ponunt ad Chalcedonem. Ea prima Asiae urbs est regione Bysantij Italico nomine hodie Scutarium dicitur: ubi lustrato exercitu, sexcenta peditum, armatorum equitum centum millia recensita sunt. Inde promotis castris obsident Niccam Bithiniae urbem, Synodi Nicenae memoria celebrem, quae Solymano uno inter Turcos Suldanos omnium acerrimo & potentissimo subdita erat. Ad hanc urbem prima nostris cum Turcis fuit  $\sigma\upsilon\lambda\mu\alpha\alpha\gamma\iota\varsigma$ , Solymano oppugnationi intentos à tergo ad orientem, & multos de exercitu inopinato aduentu oppressos sternente. Sed repulso illo & oppugnatione quae difficilis fuit reintegrata nostri tandem urbe & uniuersa Solymani familia atque amplissimis thesauris potiti, urbem Imperatori Alexio restituant, quae non multo ante in Turcorum potestatem uenerat.

Progressos à Nicea Pisidiam uersus Solymanus ducentorum millium equitatu à tergo inuadit. Insistit procedentibus & urget, donec praelio commisso & edita atque accepta strage regredi re infecta cogitur. Hoc uix periculo depulso, in aliud incurrunt, quod eò maius fuit priore, quia nec consilio nec ullis uiribus humanis auerti potuit aut leniri. Delati enim in exusta & retorrida  
Pisidiae

Pisidie loca ardores Solis & aëris squallorem feruore Syrii adaugente, tantam penuria aquarum perferunt sitim, ut non tantum uelut tabe consumpta hominum & iumentorum corpora deficerent, sed aestu & ariditate utero gerentes creparent atque abortirent. Nec fuisset Solymano difficile si instare perrexisset, eneruatos siti atque emaciatos sine praelio delere, Sed seruatos fuisse, ac protectos diuinitus dubium non est. Ex his eluctati malis, ubi exercitum ad Antiochiam Pisidiae metropolim, amano, fertili, & ubere loco sitam recreassent, iter per Lycaoniam instituunt uersus Antiochiam Syriae, quae Reblata nomine in sacris literis ex Sedechiae regis Iudae historia nota est, occupatis in Lycaonia, Iconio, Heraclea & Maresia. Interea Balduinus, Boëmundus & Tancredus cum parte copiarum uicina loca Lycaoniae, Cilitiae, Comagene & Mesopotamiae peruolitant, nequid inexploratum à tergo & latrocinijs infestum relinquerent, neue colligi uspiam & consistere nouos hostium exercitus paterentur. Tarsum Pauli Apostoli patriam, Mamistram, Samosatam, Edessam quae Rhages est in historia Thobiae, partim ui expugnant, partim deditioe capiunt, praesidijs Turcicis undique expulsis, & omnem usque ad Euphratem regionem populabundi subiungunt.

Godefridus è Lycaonia Antiochiam uersus mouens, quae ad Orontem est fluuium, urbem ob-



sidione cingit, frustra sepe oppugnatam nono  
 mense prodicione occupat, paulo post in eadem à  
 Turcis, qui è Persia aduenerant conclusus & re-  
 rum omnium penuria ad extremas angustias re-  
 ductus, ex desperatione cum hostibus numero &  
 robore longe superioribus dimicans uincit, in quo  
 si praelio succubisset, actum fuisset de uniuersis:  
 Antiochie captæ præficit Boëmundum, & cū ex-  
 exercitu procedens ulterius, relicta quã frustra ten-  
 tabat in Phœnicum regione Tripoli, ad obsidionem  
 Ierosolymorum properat. Hac post mensis unius  
 obsidionem multo suorum labore & sanguine po-  
 titus, cum primum conscensis & superatis moeni-  
 bus in urbem irrupisset, hostibus acriter resiste-  
 ntibus, tanta cædes facta est, ut per plateas ue-  
 lut riui sanguinis fluxerint. Recepta est urbs an-  
 no à nato Christo 1099. Idibus Quintilibus. Go-  
 defridus ut pietatis suæ, uirtutis & laborum fru-  
 ctum aliquem perciperet, consensu omnium in re-  
 gem Hierosolymorum creatur, cumq; de more dia-  
 demate regio ornandus esset, non auream, sed ex-  
 emplo Christi saluatoris ex spinis contextam sibi  
 coronam imponi uoluit.

Receptæ Ierosolymæ fama cum in Occiden-  
 tem peruenisset, tanta omnium animos letitia  
 compleuit, ut noua ex Germania, Gallia & Italia  
 subsidia certatim compararentur, quæ quam pri-  
 mum in Orientem transmitterentur, ut inde at-  
 tenuatas copias nouus Rex resciceret, præsertim  
 cum

cum non amplius cum Solis Turcis ei res esset, sed accessissent hostes Sarraceni, & à tergo imminerent latrunculi Arabes, quæ gentes quanquam discordes fuissent ante, tamen crescentis peregrinæ potentie in Asia metu conspirare & conferre vires, copias & consilia sua cogebantur, nisi de totius Asiæ imperio & sua salute periclitari uellent. Nouis ergo delectibus, qui classe adducebantur confirmatus, reliquam Palestinam Sarracenis aliquoties inde profligatis eripit. Tiberiadi & Casaræ consensu Principum, duces imponuntur. Decimo post recuperatam Hierosolimam anno, Regi uita functo surrogatur Balduinus frater, qui quod in Palestina, Phenicum regione, propinqua Syria, Mesopotamia, Comagena, reliquum erat, id omne magna ex parte in potestatem suam redigit.

Consequuti ergo Argonautæ præfixum & optatum belli finem, & terris potiti amplissimis, non minore cura incumbunt in alterum pacis finem. Non enim otia agunt & ludos, nec uoluptatibus sese dedunt, sed partitis operis & curis, Episcopis quos secum ducebant, commendant Ecclesias, hisq; ut præsent, iubent, docendo & administrandis sacris, ut sparsa Mahometicæ impietatis semina ex animis hominum paulatim euellantur, ac uelut succisis radicibus prohibeantur repullulare, neue repurgatas Ecclesias denuo corripiant & insiciant. Ipsi prouincijs bello partis compo-

nendis & ordinandis occupantur, condunt leges, instituunt iudicia. Collocant duces in singulas prouincias, qui in astiduis excubijs intenti in circumfusorum hostium consilia, conatus & machinationes, uim horum & impresiones subdtas reprimant & elidant.

Hoc modo Dei ductu & auxilio: sociorum magnanimitate, solertia, uigilantia, fortitudine, felicitate & laborum incredibili tolerantia partum atque constitutum regnum Hierosolymitanum, & exornatum religionibus, legibus, iudicijs, iusticia & alijs rebus, denique adiectione plurimarum prouinciarum & potentia non contemnenda amplificatum. Tale ergo regnū cum primi expeditionis duces & submissi ex Germania noui successores feliciter administrassent & fortiter defendissent multos annos, ad Cunradum Sueuum usque, sola tamen penē tandem euertit improbitas & perfidia Romanorum pontificum, quæ nefarijs molitionibus impediuit Friderici secundi magnis sumptibus adornatos belli apparatus ad eum finem, ut quemadmodum maiores, Conradus & Fridericus primus laborantibus subsidio uenerant. Sic iam à Saracenis oppressos ipse uindicaret in libertatem. Nostra ætas si sic affecta esset, non in foribus & ipso limine Germaniæ conspicaremur impunē & crudeliter grassantes ex parte una Turcos, ex altera Moscos, & immanibus cædibus deductas ex Germania maiorum industria colonias

nias deaſtantes. Anni ſunt paulò plures q̄ trecen-  
 ti, cum in Sueuorum poſterioribus ad terram ſan-  
 ctam profectionibus inſtituta eſt militia Maria-  
 norum ad Ptolemaiden Phœnicie urbem. Huius  
 inſtituti ratio fuit grauiſſima. Proſpexerunt uiri  
 ſapientes, cum otio & ignauia obtorpuiſſet uirtus  
 militaris, fore tali milite opus, qui uelut in ſtatio-  
 ne aſidua Chriſtiani nominis hoſtes arceret, aut  
 ne progredi poſſent ſuſtineret ac remoraretur,  
 nec tueretur tantum, ſed prolataret etiam impe-  
 rij fines. Quo nunc Germanie uirtus redacta eſt,  
 quæ hoſtem impune ſanguine maiorum parta ab-  
 ripere, & his ceu deuoratis atque abſorptis, pro-  
 xima quæq; inuadere, et in ipſa media patriæ quaſi  
 uiſcera penetrare patitur. Erepta potentiſſimis  
 hoſtibus Aſie regna: Occupatæ in mari mediter-  
 raneo Inſulæ, Rhodus, Sicilia, Melita & aliæ: Per-  
 domitæ atque obtentæ uerſus ſeptentrionem gen-  
 tes Liuonicæ ac Boruſiæ, excultæq; ac man-  
 ſuefactæ colonijs noſtris, & contra Barbaros ui-  
 cinos longo tempore acriter deſenſæ, teſtes ſunt  
 uirtutis maiorum. Eadem nunc magna ex parte  
 amiſſæ, noſtram arguunt & incuſant ignauiam,  
 in hanc interitus ſui cauſam conferunt, huic ſimi-  
 les clades atque calamitates denunciant. Sed hæc  
 tum demum ſero nimis deplorabimus, cum fruſtra  
 à ceruicibus noſtris propulſare conabimur. Si ag-  
 noſcerent Monarchæ orbis Chriſtiani, ſe diuinitus  
 in hanc ſtationem collocatos eſſe, non ut præſidijs

Et instrumentis potentiae utantur ad uoluptatum  
 suarum illecebras atque condimenta, neque ut suis  
 ipsi cupiditatibus lanienam exercent in genere  
 humano, sed ut ceu ministri summi Pastoris filij  
 Dei commendatum gregem custodiant ac propug-  
 nent, Et uelut ex praetata specula procul accu-  
 rentes lupos Et gregem appetentes. obseruent ac  
 depellant, Hoc ergo si agnoscerent, imitarentur  
 maiorum exempla, Et omissis bellis non necessa-  
 rijs atque odijs depositis, consilia Et uires coniun-  
 gerent ad ferenda auxilia oppressis. Sed longius  
 prouehor quam constitueram. Ad nostros Argo-  
 nautas redeo, in quibus Et consilium susceptae Et  
 ratio administratae, Et prosperitas ex sententia  
 confectae expeditionis, illustria exempla suppeditat  
 cum sapientiae atque uirtutum plurimarum.  
 magnis principibus dignissimarum, ut pietatis Et  
 amoris erga Deum, erga Ecclesiam, erga patriam,  
 iusticiae, constantiae, sobrietatis, castitatis, toleran-  
 tia laborum, studij constituendae Et fouendae con-  
 cordiae, mansuetudinis ac facilitatis in condonandis  
 offensis, tum prouidentiae diuiniae, bonitatis, mi-  
 sericordiae, perpetuae praesentiae Dei, in imperijs,  
 protectionis ac defensionis piorum in periculis.  
 Seruantur aliquoties Et uincunt in conflictibus,  
 cum omnibus rebus impares, imò cum fame aut siti  
 prope enecti, non quomodo uincerent, sed quomo-  
 do honestè perirent deliberant. Haec cogitantes  
 complectamur Et nostra pericula, ac Deum pre-  
 cemur

cemur ardentibus gemitibus, per & propter eternum filium Dominum nostrum Iesum Christum, ut excitet aliquos Principes, qui labantibus orbis Christiani rebus succurrant & opitulentur. Seruet ac protegat cœtus ipsum rectè agnoscentium, inuocantium ac celebrantium fiducia Filij mediatoris, nec sinat bene constitutas Ecclesias & politias euerti aut deleri.

DIXI.

## QVÆSTIO.

**I**N ueteri Poëmate de Gigantibus bellum cœlo inferentibus, non dubium est furores hominum significatos esse, qui spretis legibus, Deum ipsum contumelijs adficiunt, Nam qui initia furorum tallium in contemnendis legibus non cauent, horum pectora diaboli paulatim occupant, & odio Dei impellunt ea ad tetra scelera, quæ postea sequuntur poenæ tragicæ, & æternum exitium, ut exempla ostendunt tristissima hominum innumerabilium.

Libenter igitur me ad reuerentiam & amorem legum, in hac etiam mea infantia asuefacio. Et charissimo Patri meo, has dicendi partes mihi imponenti, non solum cupidè obtempero, Sed gratias etiam ago quanta possum ac debeo reuerentiæ, Quod in hos honestissimos cōfessus Doctorum, uo-

cem diuinam, leges & alias honestas artes profi-  
tentium, aliquoties me adduxit, Et de aliqua parte  
doctrinae legū dicere me uoluit. Ea in re cum ma-  
ior sit obedientiae & officij laus, quam eloquentiae  
ostentatio, quae in hac infantia mea ne quidem ex-  
pectari à me potest, Reuerenter uos uiri clarissimi  
oro, ut legibus & auctoritati paternae obtempe-  
rantem, & de re maxima pueriliter balbutientem  
patienter audiatis.

Adfero autem usitato more, questionem, de  
qua me disputatio proxima domini Doctoris Pau-  
li commonescit. Cum enim tunc asseuerauerit ua-  
lere renunciationem, quam fecit filia mediante iu-  
ramento, quod dote accepta contenta esse uelit, &  
quo minus ab intestato hereditati paternae succe-  
dat, filiam impedire, Nisi iusiurandum tale metu  
uel dolo extortum sit, Quero uera ne sit uulgata  
in iure regula: Iusiurandum quod terrore extor-  
tum uel ui metusue causa factum sit, ratum non  
haberi?

Ac primum ex definitione ostendo magnas  
& graues esse dubitandi de ueritate regulae cau-  
sas.

Est enim iuramentum asseueratio de re posi-  
bili & licita, facta cum inuocatione ueri Dei, qua  
petimus ut sit testis dictorum, & puniat fallentes,  
& nos ipso teste ad poenam obligamus secundum  
ipsius comminationem quasi arguentes eum men-  
dacij si non puniat fallentes. Cum autem, de pro-  
missione

missione nuda ac simplici, in qua nos ueraces fore spondimus, dictum sit: Sit sermo uester, Est, Est, Non, Non. De iuramentis uero seueriora sint mandata diuina, Non peierabis, sed solues Deo iuramentum tuum, Et his addita sit tristissima comminatio, Non habebit Deus insontem quisquis uane usurparit nomen eius, Non dubium est multipliciter adfici Deum contumeliji, cum iuramentum à sciente & uolente uiolatur. Cum enim sit rogatus testis & uindex, uiolatio negat eum testem ueracem esse, contemnit eius uindictam & arguit eum mendacij, & auget delicti atrocitatem, quòd nos ipsos ad pœnam iurando obligamus.

Non potest autem ulla res cogitari atrocior, quàm tantis contumeliji Deum adficere. Nec ullæ res tantæ esse possunt propter quas tot scelerum ac peccatorum reatu sciens ac uolens quis pollere se uelit aut debeat. Quocunq; ergo modo seu terrore seu dolo iuramentum de re possibili & licita extortum sit ei, qui sciens iurat & potestatem iurandi habet, potior esse debet iurisiurandi religio, & consideratio gloriæ Dei, quàm iactura rerum corporalium quarumcunq;. Estq; res infinitum minor prætextus terroris uel doli, quàm contumelia Dei & sceleris tanti conscientia. Nam etsi in terrore seu uiolentia magna impedita est uoluntatis libertas, tamen cum propositis duobus malis, minus damnum uoluntas eligit, reuera in  
pro=



promissione tali libera est. Vt si quis latroni se pecuniam daturum iurat ut uitam redimat. Hęc electio postquam facta est, non uult Deus uitam aut pecuniam periurio redimi. In dolo uero est non prospicitur secuturum damnum, Tamen cum interuenit iuramenti uinculum de re possibili & licita, satius est rerum corporalium iacturam facere quam periurij scelere conscientiam onerare. Ac sepe hęc cogitanda erant, non solum ne uolemus iuramenta, Sed etiam ne in iurando simus faciles, ut Matthæi 5. futilitas illa taxatur. Sit Sermo uester, est, est, non, non, Quod amplius est à malo est.

Hęc uera esse manifestissimum est, Et historie omnium temporum testantur Deum nominis sui contumeliam, qua in periurijs adficitur, seuerissimis exemplis punire. Ac sepe totis gentibus pœnas periurijs accersitas esse, quibus uel hi prætextus metus aut doli circumdati sunt, uel alijs modis ad eludenda iuramenta fuci astutè quesiti sunt, ut Lysander dixisse fertur, Pueros astragalus ludere, reges iuramentis & fœderibus. Suntq; omni tempore ueri uersus Tibulli:

Ah miser, & si quis primo periuria celat,  
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Sed fortassis & in contrariam partem erudite & magnæ causæ regulæ usitatæ à sapientibus adduci possunt. Cum enim nec iuramenta nec leges

ges uincula esse debeant iniquitatis, Et magistratus administrari sint iusticiæ & æqualitatis. Et uero terrore uel dolo præuentus cum se daturum quid iurat, quod sine magno suo, aut rerum suarum detrimento ac damno præstare nequit, insigni adficiatur iniuria, iustissimum esse uidetur, iuramenta, leges ac magistratus, aliorum libidini & iniquitati in detrimentum aliorum non patrociniari. Ac in hanc partem rectè fortassis Prætor in iure ciuili dixerit: Quod ui, metu sue causa factum est, ratum non habebō. Intellego enim id dictum hunc in modum, non dari actionem latroni aut insidiatori, qui terrore uel dolo iuramentum extorserit, Ac rectè facere magistratus non dubium est. Cum enim sint custodes legum, non debent confirmare latrocinia aut iniusticiam aliam quancumq;. Fortassis & hoc à sapientibus addi potest: Rectius consultum iri conscientijs, si & in his iuramentis metu uel dolo extortis, ut in alijs iniustis & prohibitis promissionibus, simpliciter pronunciet Lex, iuramenta latronibus aut insidiatoribus data, non ualere, & prohibeat promissa solui. Sic uoce legis prohibita iuramenta talia, neminem obligarent, ut alioqui non obligat iuramentum de re illicita aut prohibita factum.

Sed utcumq; hæc magnæ & eruditæ uideantur causæ, prior tamē sententia firmior ac uerisimilior esse uidetur, Nam etsi non armat aut adiuuat lex latro-

latronem aut insidiatorem data actione contra iurantem, Tamen priuatim uniuscuiusque conscientie hanc curam permittit, ne iuramentum de re possibili et licita factum, sciens ac uolens uiolet, nec prohibet quo minus promissa faciat. Cum igitur rem corporalem possis quocunq; tempore sine peccato relinquere, multo magis id faciendum est, postquam tantum uinculum interuenit. Deinde etiamsi magistratus prohibitio accedat, fieri tamen potest, ut casus quispiam promissionem contrariam alicui exprimat. Hic an potior sit habenda ratio iurisiurandi & gloriæ Dei, quam uiolatæ prohibitionis humanæ, alijs relinquo reuerenter de re tanta iudicantibus.

Cumq; questionem hanc grauissimam explicare ego, ut par erat, propter ætatis & iudicij imbecillitatem non possim, defero eam ego ad te clarissime D. Doctor Paule, Et à te reuerenter peto, ut tu eam exponas copiosius.

D I X I.

Oratio

## ORATIO COMPLE-

CTENS HISTORIOLOM COLLO-

quij habiti inter doctos, mandato Caroli V. Imp:

Anno 41. in urbe Ratisbona, Recitata à Magistro

Eusebio Menio Decano collegij Philoso-

phici. 12. Augusti.

QVæ in usu hæctenus fuit consuetudo, exem-  
 plis introducta maiorum, ut has publico-  
 rum congressuum festiuitates ordirentur, & qua-  
 si consecrarent, uota præcesq; ad Deum Patrem  
 æternum Domini nostri Iesu Christi uiua unius  
 uoce prolata, cæterorum tacito assensu concepta  
 atque absoluta: eam ut piè religioseq; conserue-  
 mus nos posteri, moueamur non tantum autoritate  
 illorum, qui morum ac disciplinæ sanctioris Magi-  
 stri, & doctrinæ melioris ac uerioris interpretes  
 nobis primi extiterunt ac præcipui, sed & peri-  
 culorum magnitudine, quæ in has sese terras atq;  
 Ecclesias ex omni parte nunc concitant acrius, &  
 procellarum instar effundunt impetuosiùs ac mi-  
 naciùs quàm unquam antea. Accinguntur ad no-  
 ua prælia Turci, terra mariq;. Ad septentrionem  
 confirmat sese effera atque indomita uis Roxola-  
 norum, quæ Turcicâ rabiem immanitate superat.  
 Nobis uerò cò magis metuenda est, quòd ne quidem  
 qualicumq; religionis seu cognatione seu similitu-  
 dine lenitur aut flectitur, cùm Christianismum  
 gens illa ritu moreq; Græcorum profiteatur, suis

Qq

qui =

quibusdam erroribus & abusibus à nostræ religionis puritate discrepantem: Et quòd ceruicibus nostris propius imminet, ut quæ in ipsa iam seuit Imperij uiscera, & haurit coniunctarum nobis Ecclesiarū sanguinem, assidua & insatiabili cæde, delet constitutas Ecclesias & Respub: extinguit doctrinarum studia, dissipat & efficit uasitatem tristem ac deplorandam. Nec contenta est occupatis, sed recenti cæde ferox, fremensq; progreditur.

Hæc dum foris fiunt, domi non minora mala molitur & struit agmen Pontificium. Etsi enim non prorsus intelligo, quo consilio instituatursynodus, quæ autoritate Pontificia cogitur, & confido Imperatorem, si conuentum fuerit, deliberationes omnes & actiones exemplo Caroli fratris, optimi ac laudatissimi Principis, sua sapientia ita moderaturum esse, ne uel Tyrannicis decretis opprimatur aut labefactetur inuicta doctrinæ cœlestis in Ecclesijs nostris ueritas, uel priora dissidia aut cumulentur aut exacerbentur nouis odijs, quibus, si in bellum exardescant, patria conflagret: tamen quò spectet ac tendet uesania, malignitas, ac uirulentia illarum erinnyum, ut Staphyli & huius similium, non est obscurum.

Hi dum anxie conquirunt, agminatim congerunt, rabiose exagitant, quæ inflammare maiora odia in Ecclesias nostras posse intelligunt, quorum tamen aut fraudulenter mutilatis, aut ueteratoriè  
depræ-

deprauatis, aut sine discrimine hinc inde decerp-  
 ptis, confutisq; calumniarum & Sophisticæ malè  
 coerente nexu, aut impudenter & malitiose cõ-  
 fictis ratiunculis, quibus nituntur, quamcunque  
 speciem præ se ferant, uel tacentibus omnibus re-  
 clamat perpetua apud nos & consentiens doctri-  
 ne norma. Econuerso dum regna Pontificum ab  
 Ecclesia alienissima, dum iniustas eorundem le-  
 ges, falsam doctrinam, supersticiosos cultus, ido-  
 lomaniam, auaritia pecuniarum, libidines, parri-  
 cidia, non excusant tantum, sed propugnant ac  
 stabiliunt, quid conantur aliud nisi ut causam a-  
 cerbitate & uirulentia sycophanticæ maledicen-  
 tiæ iugulent nostram, priusquam in iudicium ue-  
 niat: ut confirment potentum animos, ne ulla pia  
 & moderata consilia audiantur uel admittantur,  
 & incitent eosdem ad crudelitatem & impieta-  
 tem sancendam ac tuendam: ut civili bello denuò  
 inter se patriæ ciues committant: ut disturbent  
 & funditus euertant Ecclesias nostras, trucident  
 Christi membra & pios Euangelij ministros. Qua-  
 lescunque enim sint autores, tamen propter op-  
 pugnationem doctrinæ, propter sophismata, atque  
 ad speciem sapientiæ scitè compositas, & callidè  
 fucatas imposturas, & quòd blandiuntur affecti-  
 bus sui agminis, in admiratione sunt.

Non attingam nunc nostra uulnera, quæ non-  
 nullorum uesana peruersitas, & odio nostri spon-

te accersita cœcitas, uelut unguis in ulcere, coalescere, aut si cœant occallescere, tamen non sinit, sed nouis subinde irritamentis refricat & exasperat, scilicet, ut conficiatur his potius Ecclesia uulneribus, quàm de ipsorum uel autoritate, quæ uulgi applausu nititur, aliquid decedat, uel decescisse uideantur de opinionibus, quas non iudicio, sed odio nostri tuendas susceperunt.

De illis uerò quid dicam cladibus? quas tempestatum calamitates, quas tanto fragore ac tam formidandis ictibus intonans mugituq; reboans tam horrendo cœlum, & tot ignium corruscationes: quas uentorum procellæ, & excusi nubibus turbines, impulsæ in terras inusitate magnitudinis grandine: quas his prostrate, per medium uelut incisæ aut contractæ, radicitus euulsæ arbores: quas tactæ, dirutæ uel funditus euersæ domus in multis Germaniæ partibus portendunt ac denunciant?

Hæc portenta cùm proculdubiò sint maiorum calamitatum præuia signa, non aspernemur aut negligamus illa indignationis diuinæ testimonia, sed obijci cogitemus, ut ad uitæ emendationem, & ad precandum ardentius nos exuscitent. Prospectò quem circumfusa undique hostium agmina & in nos intenta, quem lacera patriæ fathiscentis, & iam propinqua ruina crepantis species, quem rabies illorum, qui non necessarijs rixis distractiones augent, quem prospectus periculorum, quæ inde  
Eccle-

*Ecclesijs & Reipub: impendent, nihil afficiunt, eum Caucaſi rupibus durioſem, & Hyrcana Tigride immanioſem eſſe oportet.*

*Vnà mecum igitur uota coniungentes ueſtra dicite: Omnipotens æterne DEVS, æterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor generis humani & Eccleſiæ tuæ, unà cum filio tuo λόγος & imagine tua, crucifixo pro nobis & reſuſcitato, & Spiritu ſancto Paracleto, uiuo caſto & ueraci, qui ſeneſcenti Eccleſiæ propoſita certa conſolatione dixiſti: Vſque ad ſeneſtam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo: ego feci: & ego feram: ego portabo & ſaluabo, Te oro, collige tibi inter nos æternam Eccleſiam uoce & ministerio Euangelij tui, per & propter æternum filium tuum, & gubernæ nos Spiritu ſancto tuo, ut te cum æterno Filio & Spiritu ſancto uerè agnoſcamus, rectè inuocemus, conſtanter conſiteamur, & obedientia tibi placente colamus & celebremus. Serua & rege cætus docentium & diſcentium, doctrinam Eccleſiæ neceſſariam, & protege hoſpitiæ Eccleſiarum. Auerte furorem iræ tuæ à nobis, & miſericordiæ tuæ inenarrabili bonitate, clementer mitiga atrocitatem pœnarum, quas iuſto iudicio tuo & confeſſione noſtra meruit & meretur, quæ creuit longa lenitate & impunitate peccandi licentia. Reprime Diabolos oppugnantes Euangelium, non tantum incitando potentes per deſtinata organa ad iniuſtam ſeuitiam, ſed*



etiam callidè tendendo insidias prætextu sapien-  
tiæ, & offundendo ueritati speciosas persuasiones:  
Elide & pessunda malorum hominum consilia,  
conatus ac molitiones, qui uel falsa dogmata &  
impios ritus artificiosè pingendo, uel horridiori-  
bus interpretationes εὐφημοτέρως affingendo,  
neruos tyrannidis & Idolatriæ Pontificiæ inten-  
dunt atq; confirmant.

Prohibe ne aut Sophistarum præstigijs atque  
imposturis deleatur doctrinæ tuæ lumen, aut armis  
uel domesticis uel externis dissipentur Ecclesiæ.  
Perrumpat & uincat te duce doctrinæ tuæ ueri-  
tas, prostratis atque conculcatis ijs, quæ contrā  
struuntur, aut uiolentia manifesta, aut machina-  
tionibus clandestinis. Hæc facias propter te, pro-  
pter te, ut tu una omnium uoce, uno pectore, &  
uno spiritu uerè celebreris, Amen.

Nunc ut seruiam consuetudini scholæ, breui-  
bus narratiunculam repetam ex sermonibus piæ  
& sanctæ memoriæ Reuerendi D. Præceptoris  
Philippi, & patris mei Iusti Menij, continentem  
historiolam istius, seu conflictus seu & colloctio-  
nis, qua autoritate Caroli V. Imperatoris Ratis-  
bonæ Anno 1541. de controuersis in religione  
Christiana articulis inter nostros & Pontificios  
disputatum est, ducibus seu certaminis seu collo-  
quij Philippo & Eccio. Id ut facerem, monuit me  
Synodus quæ flagitatur & urgetur. Deinde quòd  
certa-

certaminum quæ sustinuerunt nostri, quæq; obtinuerunt, & artificiorum quibus circumducti sunt atq; elusi ab aduersarijs causæ suæ diffidentibus: Horum ergo quod noticiam aliquam ad posteritatem propagari debere: & exemplum ijs, qui uelut in uestigia illorum successerunt, profuturum esse iudico.

Plato & Xenophon, Socratis & aliorum sapientum de Philosophia sermones magna cura posteritati commendârunt: quantò magis nos ea decet literis monumentisq; conseruare, quibus salutis nostræ præsidia hostibus uelut extorta sunt de manibus atque recepta, quæ tot seculis illi aut implicata obuolutaq; tenebris densissimis, aut foedis obruta abusibus, ita arte occuluerunt ac preserunt, ut pro religione uera multiplicium errorum uanissima persuasio Ecclesias possederit. Fuit autem hæc inter utrosq; σὺντομῆς præcipua, in qua ut Augustæ exhibita, ita Ratisponæ defensa fuit doctrinæ nostrarum Ecclesiarum formula, & disputationum conflictu & constantiæ exemplis. Nec unquam aliàs Imperator maiore cura & studio, ea quæ ad restitutionem pacis publicæ, et controuersiarum disceptationem pertinent, adiuuit ac promouit, quàm ibidem.

Sed quo consilio commissi inter se sint utrique, paucis referam. Cum initia gubernationis Caroli V. incidissent in mota de religione certamina, qua fuit præditus sapientia, prospiciebat, ea si inualu-

issent, mutationes magnas, non in Ecclesia tantum, sed & Imperio, paritura esse, quod alterius ordinis, sacri scilicet, dignitatem atque autoritatem, imò salutem propemodum in discrimen adduci his disputationibus: & fundamenta, quibus ille niteretur atque consisteret, peti conuelliq; non obscure animaduverteret: Quo aut labefactato aut euerso, securam ruinam Imperij, aut presentis formæ mutationem, non poterat non suspicari. Sed uicissim cum intueretur & consideraret coniunctam cum prophanitate & impietate deformitatem manifestorum uiciorum & abusuum, qui in religionem & Rempub. Christianam irrepserunt, salutem & tranquillitati publicæ orbis Christiani & patriæ inprimis, nisi suscepta horum emendatione, consuli non posse intelligebat. Id ergo inde usq; à principio gubernationis dedit operam, ut perficeret, quo controuersijs in Synodo, auditis, cognitis, dijudicatis, & compositis publica autoritate, tum conseruaretur salua & integra dignitas ordinis Ecclesiastici, tum corrigerentur uel prorsus abolerentur, quæ retineri sine impietate non possent.

Sed cum arte rem ducerent Pontificij, & astute consilia Imperatoris de Synodo eluderent, quod à mutatione quorundam, quæ nostri flagitabant, Imperatorem non alienum esse: Sedi Romanæ uerò concessionem omnem quantumuis paruam, periculosam fore animaduverterent, ne illis cunctantibus,

tibus, quæ crescebat indies, & gliscebatur magis magisque; dissensio, publica concordia dissoluta in bellum erumperet, aut alienatione perpetua distraheret ordines Imperij: Ne hæc ergo acciderent, eò decurrit consilij, ut utile fore censeret, si prius uiri docti ex utraq; parte, placida sententiarum de capitibus controuersis collatione, quæ horridiora essent, ceu mollirent, ac limarent: quæ obscuriora, explicarent: quæ non procul inter se distarent, de ijs diuersitate sublata, una communi formula, definirent. Cognitionem enim omnem & disceptationem Synodo fore faciliorem, si ad eam uelut præmansa deferrentur, ostensis ijs, quæ uenirent in controuersiam, & qui sint fontes. Quòd si quid etiam concordie consensu statueretur, de quacunque controuersiarum parte, id profuturum ad concordiam inter ordines Imperij, sartam tectam retinendam, usque ad Synodi iudicium. Nam uel placaturum id esse, uel leniturum aliquantulum odia, quæ ut discessio accenderat, ita Pontificij regni inclinatio indies exasperabat.

Hinc extiterunt & consultationes & decreta de conuocandis ad disputationem placidam uiris doctis, cui cum Spira destinata esset, Pontificijs seu metu seu fiducia potentie suæ, seu quòd Synodo nihil à nostris præscribi uellent, collationem omnem non renuentibus apertè, sed callidè tergiuersantibus factum, ut inde Hagonoën reiecta,

mox ex Hagonoë Vuormatiam reuocata: & cum ibi feliciter coëpta atq; ad caput de Iustificacione perducta esset, doctrina quã de uicio originis nostre Ecclesiæ profitentur obtenta, inde etiam auctoritate Cesaris omnia moderante Granuelo, Ratisponam sit translata.

Cum ergo uentum esset Ratisponam: etsi coniuncti Augustanæ Confessione petiuerunt pertexti disputationem Vuormatiensem, uel eam ob causam, quòd collatis hoc modo & diserte explicatis rebus, facile sit futurum Principibus, ueras sententias agnoscere: Tamen Imperator repudiato hoc consilio aliud proposuit, ut pauci deligerentur, qui non tam pugnantes sententias defenderent, quàm quærerent quæ dogmata conciliari possent.

Huic consilio, etsi aliquoties deprehensa technæ Pontificiæ nonnullos mouerunt, ut fraudem subesse suspicarentur, præsertim cum ueteribus & recentibus exemplis edocti, meminissent plerumq; in talibus conciliationibus decurri ad ambiguas, flexiloquas, fucosas & fallaces formulas, quibus obruitur ueritas, & Ecclesiarum uulnera non sanantur, sed magis laceratur: Assenserunt tamen, quòd hanc uiam profuturam esse censerent ad declarandas sententias, quas profiterentur Ecclesiæ, quæ complexæ sunt Confessionem Augustanam: & de ipso sibi Imperatore pollicerentur, quòd futurus esset mitior, si intelligeret non tam absurda

surda esse dogmata nostrarum Ecclesiarum, sicut à Sycophantis traducuntur: præsertim cum seriò & grauius testatus esset Imperator, uelle se inquiri ueritatem, & ne quid periculi metuere inde pars alterutra posset, non uelle se obligari quenquam his deliberatis: nec præiudicij ea uim habere debere, sed omnia prius ad iudicia Principum referenda esse.

Prolatus ergo tunc liber est, quem propter moderationem Imperator prætulera cæteris acerbis ac duris de eodem argumento scriptis. Plures enim collegerat, & singulari studio piorum & doctorum sententias longo tempore cognoscenda ueritatis causa explorarat. Hic liber delectis ad collationem propositus est conditione æquissima, ut quæ non probarent, notarent liberimè, sed candore adhibito. Hic ipse liber septem annis post rursus in scenam prodijt, sed noua & monstrosiore specie, conuersus, scilicet metamorphosi noua in Sphingem Augustanam, & partu editus infelicio. Nam & turbauit & concussit Ecclesias Germanicas grauius multò, quàm bellum quod præcesserat.

Postulatum est autem, ut legeretur liber, & ordine de singulis Capitibus dicerentur sententiae. Vnde quasi quedam uelitationes disputationum extiterunt. Initia de hominis creatione: de lapsu: de libero arbitrio: de peccati causa: de uicio originis (quod ex Vuormatiensi formula repetita essent)

essent) reuocata in disputationem non sunt, sed præterita. His proximè coherens locus de iustificatione hominis coram Deo, (quod nouas quasdam sententias contineret, & pleraq; in eo essent obscura, ambigua, impropria, ut uideretur aliàs disertè dicere. Fide iustum esse hominem coram Deo propter Christum: aliàs contra, propter donatas uirtutes: ut Thomas, seu ut Plato loquitur:) certamen mouit, in quo post aliquot dierum certamen, euicerunt nostri, Eccio quantumuis inuito confitente, Fide gratis propter Christum, non propter uirtutes nostras hominem iustificari. Composita consensionis formula est, quam sua manu descriptam Granuelus Imperatori exhibuit ac declarauit, tanto cum gaudio, ut non dubia seriò letantis animi signa ediderit, & in spem uenerit optimam fore, ut delecti cæteras etiam controuersias, si non dirimerent, at saltem moderarentur. Eccium etiam tergiuersantem ac consensus sui testificationem assignare tardantem, maturare coegerit non sine indignationis significatione.

Moueor hac re, ut quæ de Confessione extrema Caroli V. Imperatoris non uano aut dubio, sed uno omnium sermone circumferuntur, credant non prorsus esse uana.

Alter a  $\sigma\upsilon\upsilon\delta\alpha\epsilon\iota\varsigma$  fuit de Ecclesia, cui parti (quod liber insidiosè intexerat falsam hypothesin, scilicet communem Ecclesiæ consensum, & legitimas Synodos non errare) magnum certamen  
ortum

ortum est. Cumq; per aliquot dies de hoc loco delecti disputassent diligenter, & aliqui eorum sententiam libro contrariam opposuissent, abrupta disputatio, & in aliud est tempus reiecta.

Hinc uentum est ad neruum Maiestatis Pontificiæ, nimirum ad controuersiam περί μεταβολῆς ἄρτου, in doctrina de Coena Domini. Vbi cum hoc figmento exploso, Philippus ab usum cœnæ Dominicæ, in Idolatrica repositione, circumgestatione & adoratione panis, his ueris & firmis fundamentis impugnasset: Nihil habere rationem Sacramenti extra institutum à Christo usum: Item, Nullam creaturam posse instituerè Sacramentum, aut in his, quæ autoritate diuina condita & commendata sunt, aliquid mutare. His ergo & cum ceu fulmine quodam Idolum quoddam Maozim, in regno Pontificio perculisset ac prostrasset, & expressa Idolatriæ mentione Eccium non terruisset tantum, sed etiam eneruasset ad eum modum, ut & animi & exercitiæ ac lubricæ Sophisticæ præsidio semetipsum destitueret, hæsitaretq; & ringeretur ac trepidaret: His ergo ueras demum commouit turbas Eccio, quod extorto silentio penè se uictum esse cogeret fateri, præ indignatione & fremitu furente: Granuelo ex uehementis iracundiæ impetu in has erumpente uoces: ut diceret: non tantam fore Imperatori iacturam & amissionem omnium regno-

rum



rum ipsius, quanta esset futura abolitio Missæ; Nec unquam passurum eum, ut propter cultum Missæ idolatra esse censeatur. Errare inquit potuimus: Idolatræ esse nolumus.

Lutherum (ubi comperisset, quibus rationibus Idolomaniam Pontificiam in abusu Cœnæ Dominicæ Philippus concidisset) tantopere letatum fuisse certò constat, ut penè exilierit gaudio, & nunquam se rem tantam ausum fuisse confessus sit, multis audientibus testibus ἄξιον ἵσται.

Sed ad historiam reuertor. Quòd autem eodie Eccius æstuans adhuc conceptæ indignationis feruore, apud Episcopum Mutinensem meraciore uino Italico se impleuisset, eoq; inflammatum in febrile incendium exarsisset, disputatio de hoc argumento præcisa prorsus & intermissa est, & Groppero Eccij partes subeunte ac tuente, coeptum est de sequentibus capitibus conferri. Vbi rursus contentionem acerrimam peperit questio per se stolidà, utrum in Confessione necessaria sit omnium delictorum enumeratio, Pontificijs regnum confessionum magno conatu defendentibus, uel propter autoritatem ordinis Sacerdotum, uel propter culinas Monachorum. Contentio hæc in eum finem desijt, ut utriq; de hac questione sententiam suam seorsim scripto exposuerint. Agitata et questio est de satisfactionibus: deq; potestate Episcoporum, cui liber tribuerat autoritatem ceremonias diuinitus institutas mutandi. Et certamina mota sunt

Sunt de Inuocatione Sanctorum, qui ex hac uita discesserunt: de Applicatione Missæ, de priuata Missa de usu integro Cœnæ Domini: de quibus cum Gropperus uir minimè ad disputandum idoneus, tantum proferret collecta magno numero hinc inde ex scriptoribus testimonia, ad stabilien- da ea, quæ liber continebat: à nostris contrariæ sententiæ exhibitæ sunt. De Inuocatione mortuo- rum hominum Granuelm dixisse constat, Tantum in ea esse mali, ut si excusari possit, ferri non de- beat propter abusuum magnitudinem, quòd auer- sos à Deo animos hominum conuertat ad insanos & Ethnicorum furoribus similes cultus statua- rum.

Cum ad hunc modum Librum delecti percur- rissent, iussi reddito libro ostendere, de quibus con- uenerint, & quæ controuersie diremtæ non sint, censuram utriq; suam conscripserunt, quibus per- lectis, cum se non id consequutum Imperator ui- disset, quod quæsierat, ut in reliquis etiam con- trouersijs aliquid sarciret, si componere totas non posset: aliam inijt rationem. Tentati sunt Prin- cipum animi splendide exaggeratis concionibus de utilitate concordie & pacis, de ingentibus malis, quæ ciuilia bella comitarentur. Adiectum & illud est, quòd blandiretur improuidis, Imperatorem moliri emendationem Ecclesiæ, & doctrinam ca- pitum, de quibus consensum esset, propagaturum esse in exterarum regiones. Hæc tãta bona impediri, si cæteri

ceteri articuli mordicus retineantur, & regredientes aliquantulum, cessuros non hostium improbitati, sed piorum in alijs regionibus utilitati, qui assidue & anxie ad DEVM pro qualicunq; uere doctrinæ luce suspirarent.

Mouit multos belli ciuilibus mentio, ut nutarent animis & sententijs, ut est tristissima bellorum ciuiliū species. Nonnullos animosiores altera pars magis affectit, qui censuerunt moderatione nostrâ inuitandam & confirmandam esse uoluntatem Imperatoris, uniuerso orbi consulere cupientis, quorum hoc fuit argumentum: Cùm singuli quædam amicorum uicia dissimulemus, aliquibus etiam errores suos condonemus, posse etiam hoc tempore aliqua seu remitti seu inuolui ac tegi, cùm propter nostras Ecclesias, in quibus bello ciuili uastitas futura esset, tum propter aliarum gentium utilitatem, quæ ad Ecclesiæ societatem alliciendæ sint atq; adducendæ.

Alij contrâ, etsi inficiari non poterant, se patrie Ecclesiarum & scholarum excidia metuere: tamen censuerunt doctrinæ corruptelas fugiendas esse. Neque hos illud tantum mouit, quod omnibus periculis ueritas sit anteferranda, sed hoc etiam considerârunt: Primum moderatiores pacem, quæ ostendatur impetraturos non esse, nisi totam puræ doctrinæ professionem abijcerent. Deinde ad domesticum etiam consensum respiciendum esse. Plerosq; enim domi talem pacificationem, uel  
cum

cum paucorum articulorum deprauatione acerrimè reprehensuros & improbaturos esse, inde sequuturas esse magnas in Ecclesijs nostris discordias, illa uerò promissa de aureo seculo, & de emendatione Ecclesiarum uideri, ut apud Thucydidem dicitur,  $\alpha\chi\mu\alpha\ \eta\lambda\iota\alpha\kappa\omicron\upsilon\pi\ \lambda\omicron\gamma\alpha$ .

Responsum est ergo Imperatori deliberationes de reliquis controuersijs differendas esse, donec sententiæ in utraq; parte de priore dictæ essent. Imperator spe sua deceptus, senatu conuocato, rogauit sententias de Libro delectis proposito. Hæ fuerunt triplices. Primam Pontificiorum de scripto pronunciauit Guilelmus Bauariæ dux, reſertam criminatione eorum, qui Confessionem Augustanam amplexi erant. Hæc reiecto prorsus libro quem Imperator proposuerat, censuit nullius opinionis correctionem aut moderationem: nullam legum Pontificiarum mitigationem admittendam esse, nec concedendum esse nostris, ut à receptis & tot seculorum usu comprobatis opinionibus & ceremonijs dissentiant. Mitior fuit altera Legatorum Episcopi Coloniensis, Electoris Palatini ad Rhenum, & aliorum quorundam: hæc articulos conciliatos probauit. Cæteros ad Synodum aut alterius temporis collationem distulit. Censuit autem paulatim coituras Ecclesias in concordiam si adhiberetur æquitas: & conscientijs piorum, quæ desiderent uiciosorum rituum & opinionum emendationem, consulendum esse. Tertia

nostrorum fuit, quæ recipi conciliatos articulos posse professa est, si quædam ambigüe dicta dilucidius explicarentur, & addidit de cæteris sententias à nostris scriptas ueras & tam candidè ac moderatè scriptas esse, ut nõ dubitent, eas pijs omnib. satisfacturas esse. Discrepantibus ergo Principum sententijs, cum se Imperator nihil his consilijs proficere, & frustra in sarcienda controuersiarum directione concordia anniti, ac laborare experiretur, ut abrumperet tractationes honestè sine suo & publico detrimento, nec quidquam iudicaretur priuata autoritate tyrånice sancire Contarenum Legatum Pontificium pronunciare iussit, quod fieri rebus hærentibus oporteret. Hic cum se antea ostendisset, non abhorreere ab articulis conciliatis, incitatus Eccij importunitate, præter spem atque opinionem omnium, & conciliata reiecit, & seruari totam causam Pontifici Romano integrã uoluit, & de his controuersijs iterũ disputari uetuit.

Hic fuit exitus deliberationum optimo consilio susceptarum, quas qui turbârint & impediuerint non est obscurum. Quod fuerit Imperatoris uoluntas & concordia cupidissima, & à crudelitate alienissima, & patriæ amantissima, res docet: De moderatione nostrorum testantur scripta quæ extant. Improbritatem, peruicaciam, & duritiem aduersariorum asperrimos scopulos & Caucasii rupes superantem declarauit oratio Bauari. Veruntamen ad eum omnia finem direxit prouexitq;

DEVS, ut ex eo conuentu ueritatis lux magis inclarauerit, & plures Ecclesijs nostris conciliati sint atq; adiuncti.

Agamus ergo gratias Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, primùm quòd animum optimi Imperatoris ita rexit ac flexit, ut ueritatem pijs ac moderatis consilijs peruestigari ac proferri uoluerit, & quòd eundem cum euentus non responderent consilijs, ceu inhibuit, ne quid uel fraudulenter moliretur, uel tyrannicè statueret cum hostibus, in Ecclesiarum nostrarum perniciem. Deinde quòd nostros protexit, animauit, & adiuuit in ueritatis confessione et adsertione, quòdq; aduersationes & machinationes hostium, qui ueritatem utroq; modo prestigiatrice Sophistica et minacibus decretis oppugnârunt, discussit ac dissipauit, ac petamus ardentibus uotis, ut nunc quoq; gubernet Imperatoris ac cæterorum Principum animos, ut ea suscipiant, statuunt, & exequantur in religionis negotio, quæ non regnum Pontificum & Episcoporum instruant ac muniant, & horum acuant atq; exasperent tyrannidem, sed quæ prouehant atque illustrent gloriam Dei, amplificent Ecclesiam, confirmant ac fulciant fidem in animis piorum reddant concordiam Ecclesiæ, & consensum de uera doctrina, ac dulcem & necessariam pacem. Seruet etiam ac protegat hos nidulos Ecclesiæ in hac ora, obiectos truculentissimis hostibus, Turcis & Moscis, nec sinat doctrinarum studia deleri. DIXI.

## QVÆSTIO.

**E**Tsi me consuetudo scholæ, hoc in loco, non te-  
 meritate priuata, aut ingenij fiducia, sed le-  
 gum iussu dicentem excusare poterat, Tamen ag-  
 nosco iustissimum esse, ueniam me precari, qui cum  
 legibus & consuetudini scholæ obedire reueren-  
 ter cupiam, producor tamen, nec eruditione ea, nec  
 dicendi facultate instructus, quàm hic confessus  
 honestissimus & scholæ dignitas requirebat. Et  
 ut multi alij, qui ante me hoc ex loco dixerunt,  
 cum argumentorum tum explicationum bonitate  
 facillimè fauorem uestrum impetrarunt, Ita mihi  
 utraq; re destituto magis existimarem necessari-  
 um esse beneuolentiam uestram accurato & ex-  
 quisito studio exorare, nisi & hoc ipsum frustra  
 me conaturum intelligerem, & benignitatis ue-  
 stræ fiducia in spem aliam induceret, quam scio,  
 non tam orationis cultu, quàm officij & mode-  
 stie significatione comparari. Itaque, ut me pau-  
 ca quedam modestè & breuiter dicturum benignè  
 & patienter audiatis, ea qua debeo & possum  
 reuerentia peto. Adfero autem usitato more que-  
 sitionem dignam consideratione, de qua me sermo-  
 nes & disputationes de Synodo, quæ hoc anno à  
 Pontifice Pio IIII. iterum Tridentum indictæ  
 est, commonefecerunt.

Concedendum ne sit Episcopo Romano Ius  
 conuocandarum Synodorum, & an citati ab ipso,  
 accedere ad Synodum, necassariò & sine recusa-  
 tione ulla cogantur: Ac primùm non dubito, sa-  
 pientes omnes intelligere ac considerare, omnino  
 Synodos in Ecclesia esse oportere, quæ cum con-  
 trouersie incidunt, iudicia sint ordinaria & legi-  
 tima, in quibus multi docti & pij sententias placi-  
 dè conferant, & testimonium ueritati perhibeant,  
 & sua confessione alios erudiant ac confirment.  
 Tali Synodo, si unquam Ecclesiæ opus fuit, hoc  
 profectò tempore maximè est necessaria. Ac ut  
 fiat aliquando ueris gemitibus à Deo petendum  
 est, Nam ut horribilia Idola & cultus impij, qui in  
 maxima orbis Christiani parte parricidijs crude-  
 libus defenduntur & stabiliuntur, tandem abole-  
 antur & extirpentur, & ad posteritatem aliqua  
 sit uera Ecclesia DEI, in qua uox doctrine coe-  
 lestis sonet ac conseruetur incorrupta, & aliqua  
 sit tranquillitas, & docentium pia coniunctio,  
 nec in ἄνεργεια illa, quæ proh dolor nunc est, in-  
 finita fiant Ecclesiæ dilacerationes, non existimo  
 ullo alio modo aut consilio humano effici, uel con-  
 stitui posse, quàm pia & graui eruditorum & ue-  
 rè timentium DEVM Synodo, ac dijudicatione  
 rerum hoc tempore controuersarum.

Quòd ergo Synodum offert Pontifex, & ad  
 hanc pios & rectè sentientes inuitat non modò



non uolunt reprehendi sapientes, sed etiam gratis  
 am ei habendam existimant, ut qui Ecclesie &  
 cause publicæ bene uelit, & quantum quidem in  
 ipso est, consuli rectissimè cupiat. Nec uerò, quod  
 de lure conuocationis Satellites Pontificis ex di-  
 ctis Christi ad Petrum, disputant, Tu es Petrus, &  
 super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.  
 Item, Petre amas me, oues meas pasce, tanti facio,  
 ut futilitatem & uanitatem istarum ineptiarum,  
 hoc in loco recitandam aut refutandam existi-  
 mem. Magis moueor sapientum iudicijs & que-  
 relis, qui cum necessariam esse Synodum uideant.  
 Et meminerint non solum hoc iustum & rece-  
 ptum esse, ne uocationum officia distincta confun-  
 dantur, Sed etiam alterum hoc, Ne sapienter &  
 graui autoritate factæ constitutiones, præsertim  
 multorum seculorum consensu confirmatæ temerè  
 moueantur aut mutantur, acerrimè contra eos di-  
 sputant, qui Episcopo Romano Ius indicendi ac  
 conuocandi Synodos concedere nolunt.

Primum inquit, Potestas Ecclesie habet man-  
 datum cognoscendæ doctrinæ, nec sunt confun-  
 denda iudicia, Sed cause prophane relinquendæ  
 sunt Magistratibus, qui Imperia gubernant, Eccle-  
 siastica uerò definiendæ sunt per Episcopos &  
 Sacerdotes, quibus cura doctrinæ commendatæ  
 est, Sicut & in Malachia scriptum est: Ex ore Sa-  
 cerdotis requiram Legem. Et in Deuteronomio  
 præceptum est, ut ad Sacerdotes deferantur que-  
 stiones

stiones de rebus ambiguis. Paulus item de iudicijs in Ecclesia manifestè inquit: Spiritus Prophetarum prophetis alijs subiectus est. Ergo, Etiam si summus Episcopus non esset Romanus Pontifex, Tamen officium Episcopi proprium cum facere existimant, cum ad tollenda dissidia de doctrina, iudicia legitima offert Ecclesiæ, Et ad Synodos inuitat pios & rectè sentientes. Ac quod alij de Synodis disputant Regum & Principum auctoritate eas conuocandas & regendas esse, hoc ipso argumento se refutare arbitrantur.

Cum enim distincta officia sint Gubernatio Imperiorum & doctrinæ cognitio, Non existimant ad Reges aut Principes hanc cognitionem ullo modo pertinere. Ac πολυπραγμοσ ὤλω Constantij Imperatoris cum ab Athanasio rectè reprehensam, tum à Leontio Episcopo Tripolis in Lydia, nato in Mysia ad Istrum, in Synodo publicè iustissimè refutatam, arbitrantur, qui cum Imperator Syrmium conuocasset dissimilimos homines, & in Synodo intempestiuè sibi iudicium de causis fidei sumeret, primum obstinatè tacuit. Postea querenti Imperatori, cur inter omnium sermones ipse solus sileret, respōdit hanc silentij causam esse, Quia cogitans miraretur, Imperatorè, qui ad alia negocia ordinatus sit, alia tamen aggredi & moliri, Δαυμάζω ἔφη, ὅπως ἔτρεα διέπερ ταχθεῖς ἑτέροις ἐπιχαρεῖς, στρατωλικῶν μὲν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων, προσεηκός, ἐπισκόποις

δε ὡδὲ τῶν εἰς μόνους ἐπισκόπους ἠκόντων  
 διατάξιν. Postea Canonem ueterem Ni-  
 cene Synodi graui piorum autoritate conditum,  
 & tot iam seculis confirmatum labefactandum  
 aut in dubium reuocandum esse, censent, Quo  
 constitutum est, ut Episcopus Romanus inspector  
 esset Ecclesiarum in Europa & Occidente, Et ius  
 haberet conuocandi Episcopos, quoties usus &  
 necessitas Ecclesiarum requireret, sicut Ecclesia-  
 rum Orientis inspectio & cura Alexandrino E-  
 piscopo Canone eodem commissa legitur.

Citant & ex Socratis narratione historia Tri-  
 partita lib. 4. cap. 9. nescio quam Ecclesiasticam  
 Regulam ueterem, Non oportere præter senten-  
 tiam Romani Pontificis celebrari consilia, nec  
 Episcopum damnari, Quoniam sanctam Roma-  
 nam Ecclesiam, primatem omnium Ecclesiarum,  
 sancti Apostoli, & horum successores esse uolue-  
 runt.

Cum igitur & esse Synodos, Et conuocari has  
 ab aliquibus oporteat: Et uero Episcopus Roma-  
 nus hanc seu dignitatem, seu priuilegium, hinc  
 consensu præcipuorum in genere humano Episco-  
 porum acceperit, & tot iam seculis possederit.  
 Cumq; & Paulo Apostolo teste aliquem in Eccle-  
 sia ordinem atque εὐταξίαν esse necesse sit, &  
 ἀνετασασία perpetuò Ecclesiæ exitialis fuerit,  
 uehementer ac pertinacissimè negant sapientes uel  
 leuistica

leuissimam in hac tam ueteri & laudabili consuetudine ac constitutione mutationem faciendam esse, qua semel admissa, ἀναρχία fiat & infinita dissipatio, Imò tyrānnis confirmetur multorum improborum & indoctorum multò tetrīor & intolerabilior, quàm Romani Episcopi fuerit, quem ut tyrannum accusemus & excutere conemur.

Vocatos igitur ad Synodum, arbitrantur non posse bona conscientia, aut aliqua cum excusatione uerisimili uel iusta, Synodi iudicium defugere, præsertim cùm scriptum sit, Parati estote ad reddendam rationem eius, quæ in uobis est spei, omni poscenti uos. Addunt etiam criminationes multiples & plausibiles, quibus prægrauant eos, qui ad Synodos accedere recusant.

Dicunt Ecclesiæ iudicia & autoritatem, præsertim exterarum nationum, quæ amorem religionis maximis rebus gestis iam olim declarârunt, & multos clarissimos Ecclesiæ doctores pepererint, & nunc etiam studia doctrinarum habeant florentissima, in talibus contemni, dicunt eos uel pudere causæ, quam defendendam susceperint, quia proferri eam in lucem nolint, uel ita delectari disfidio orbis terrarum, ut temerè se à cæteris nationibus seiungant, & prohibere cupiant, quò minus coëat concordia, cùm accedere ad Synodum & remedia malorum publicorum ostendere nolint.

Cum autem his criminationibus nihil atrocius cogitari possit, non possum non uehementer his commoueri, Nec uero ignoro aut extenuo, quæ in partem contrariam uerè disputantur, & rectè opponuntur iniustæ Romanorum Pontificum superbie & tyrannidi, Et scio Ecclesias nostras in corruptam Euangelij doctrinam amplectentes, iniuste his falsis criminationibus onerari ac deformari. Atque adeo non contemnere eas Ecclesie, aut nationum exterarum iudicia, multò uerò minus latebras quærere aut lucem formidare, ut hoc ipsum potius agere certissimè statuam, ut uera Synodus, & uerum eius iudicium habeatur, in quo non solus Episcopus Romanus, & huic Iurati satellites, qui iniusta dominatione & tyrannide Ecclesiam oppresserunt, Sed multi pij & docti, non partiales, cognoscant, & diiudicent controuersias, damnent Idola & cultus commentitios cum uerbo Dei pugnantes, & ueritate patefacta ac confirmata, rectè & piè Ecclesijs consulant, Sed tamen agnosco disputationem & questionem maiorem esse, quàm quæ à me uel mediocriter proponi, ne dum explicari integrè possit, Cumq; consuetudine Scholæ nobis in his congressibus, id quod facilius, & nostræ ætati conuenientius est, demandatum sit, ut scilicet, Questionem tantum proponamus, & erudiri nos & Scholam à senioribus petamus, defero Questionem hanc ad Magnificum & Reuerendum uirum D. Doctorem Georgium

gium Maiorem huius Academie Rectorem, & cum meo ac Scholæ nomine reuerenter oro, ut ipse de hoc copiosius differat, Et quid in re tanta statuendum sit ostendat.

DIXI.

## RESPONSIO.

EGO quoque intuens tristissima Ecclesiarum uulnera & disidia docentium, quæ in ævopæ huius seculi, & rerum omnium confusione, ita cumulantur, ut propemodum uideantur infinita & insanabilia, non possum non ingemiscere, & cogitare sepè de Synodis, præsertim cum & recens à Pontifice indicta sit Synodus specie ualde terribili.

Ac quod in oratione tua dixisti, non esse consilium aut remedium humanum aliud, quo tolli controuersia, & sanciri aliqua Ecclesiarum coniunctio possit, quàm piam Synodi dijudicationem, facile tibi assentior: Imò addo hoc quoque, non me cernere, remedium malorum publicorum aliud etiam diuina uoce traditum esse, nisi uno hoc excepto, quòd immediatè DEVS dijudicat ac tollit tandem controuersias deletis impijs, ut immediatè ipse refutauit Iudeos, Et testimonium dedit Apostolorum decreto, quod de abrogatione Legis Mosaicæ in Synodo Ierosolymitana, condiderant,

rant, deleto regno & Sacerdotio populi Iudaici, Quæ postquam redacta sunt, in nihilum, iam finis est controuersie.

Hac ergo una ratione excepta, quæ tamen in solius DEI potestate & consilio liberrimo posita est, non tradunt scripta Prophetica & Apostolica rationem finiendarum controuersiarum aliam, præterquam seuera, & iusta piarum Synodorum iudicia, Et præcipi ac sanciri ea diuinitus, ex dicto Christi manifestissimum est: Dic Ecclesie.

Vult non solum audiri Ecclesiam, ut Doctrinam, sed etiam ut iudicem, pronunciantem ex uerbo DEI, cum controuersie & certamina id postulant. Ac cum nominat Ecclesiam, præcipua eius membra intelligit, Doctores, Principes, & alios pios. Hos uult conuenire, & collatis sententijs, curare, ut una extet consentiens doctrinæ norma, ne infinitæ fiant dissipationes, quales fieri necesse est, cum singuli suas opiniones comminiscuntur & mordicus retinent.

Nec ullum est in uita spectaculum pulchrius, quam talis cætus sapientum senum, eruditorum, & uerè timentium DEVM, una & consentiente uoce DEVM celebrantium.

Talis Synodus, si quando iudicat controuersias, uerè in terra Hymnum Angelicum canit: Gloria in excelsis DEO, Et in terra pax, hominibus læticia.

Sed cogitari ac dici de Synodo tali potest: An sperari in hac tam tristi & deplorata rerum omnium confusione, & dehya seculorum senectate possit, ualde dubito. Nam ut de Pontificijs Synodis spem pie dijudicationis concipiamus, aut nostris uel querelis uel disputationibus Pontificem & satellites eius mutatum iri credamus, ratione nulla adduci possum.

Idq; de *Questione*, quam proponis, non iudicarem quidquam à nobis esse disputandum, nisi ut recte dicis eorum nos querela & criminationes cogere, qui cum in Aulis Regum & Principum uideri uelint excellere sapientiæ & consiliorum utilium laude, Synodorum autoritate statum Ecclesie talem constitui posse existimant, in quo nihil sit certaminum & deformitatis. Ideoq; autores sunt Regibus & Principibus, ut quocunq; modo cogi Synodos, & statum, quem somniant, constitui curent, ac suis postea armis defendant. Interea atrociter, non defugientes Synodos Pontificias, accusant & criminantur, ac si temerè dissidio orbis terrarum delectemur, & non ipsorum tantum consilia, sed remedia publicorū malorum impediamus, & maliciam in multis inquietis & turbulentis ingenijs pertinacia iniusta confirmemus.

Horum speciosis & plausibilibus cum argumentis tum criminationibus, quid opponi uerè & sine Sophistica possit, iustissimum est eruditos & pios cogitare.



De tuis ergo argumentis respondeo. Primum inanis uerborum pompa est, quod inquit, Episcopis mandatam esse doctrinae cognitionem. Recte igitur facere Romanum Episcopum offerentem Synodum, & ad eam pios inuitantem. Inde uerò nondum sequitur primatus ille, quem arroganter & impudenter sibi Pontifices Romani sub hoc pretextu conuocationis, supra omnes Ecclesias rapiunt, Quòd se existimant Episcoporum omnium summos esse, quos solos & conuocare & regere Synodos oporteat, Quiq; cum suis satellitibus ius habeant dicendi sententias ac uoces decisivas. Nam de hoc potissimum priuilegio praeminentiae ac primatus summi, pugnant Romani Episcopi, cum de iure conuocationis disputant.

Vtinam uerò quod in argumento speciosè dicitur, facerent Romani Pontifices, & cognitionem doctrinae seuerissimè ipsis mandatam, & ut fatentur, muneri ipsorum propriissimè competentem, non negligerent. Vtinam ad eruditam collationem sententiarum, & piam rerum conuersarum dijudicationem, imò ad extirpationem horribilium Idolorum & corruptelarum seriò inuitarent sapientes, eruditos & uerè DEVM timentes. Ita his argumentis & molestijs disputationum non foret opus. Nunc cum non solum negligant doctrinam, sed opprimere ueritatem omniconatu studeant, cum Idola & cultus commentitios tetris parricidijs piorum & innocentum stabiliant.

biliant. Cum illi ipsi conuentus ipsorum, quos Synodorum augusto & sacrosancto titulo falso ornant, potius sint, quod dicitur, cercopum, quam piorum Sacerdotum cœtus, in quibus homines polluti idolis & libidinibus, & fascinati tetrīs erroribus, imò Epicurei & Æthei, hanc ipsam ob causam concurrunt & inter se coniurant, ut suos furores & Tyrannidem stabiliant, ubi nulla uox libera hominis pij & eruditi auditur, ubi non seruatur Lex æquissima diuina & naturalis, ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροῶσθαι. Et iudicant illi ipsi, qui uel accusati & rei sunt, uel causas & res, de quibus pronunciaturi sunt, nec didicerunt, nec intelligunt.

Itaq; ipsos potius accusat argumentum, quam ut iuri ipsorum patrocinetur, quod etiamsi unquam habuissent aut possedissent legitimum, tamen id iustissimis de causis iam amitterent, quia & hostes sint ueræ doctrinæ, & rei horribilium idolorum & corruptelarum, de quibus, si haberetur Synodus, postulandi & accusandi erant.

Nam talibus uel ius conuocationis, uel uoces decisiuas, & summam in iudicio auctoritatem permittere, aut in Synodum eorum expressè uel tacitè consentire, quid esset aliud, quam ueritatem hostibus Christi & Ecclesiæ miseræ, ijsq; manifestissimis flagitiosè prodere ac prostituere.

Sed non est in re manifesta alia refutatione prolixiore opus. Ac de secundo argumento tuo eò respon-

respondeo breuius. Esse & hoc commentum uanissimum, quod de constitutione Synodi Nicene dicitur. Nam etsi propter ordinem & tranquillitatem maiorem, Ecclesiarum in Occidente inspectio tunc commendata est Episcopo Romano, Tamen optimi patres primatum illum seu auctoritatem summam & uniuersalem, quam in negocijs religionis, & rebus, ut nominant, spiritualibus, supra omnes omnium statuum & ordinum homines, & uniuersas in orbe terrarum Ecclesias, sibi rapere conatur, nequaquam tribuerunt. Ita enim secum pugnaret, seq; ipsum destrueret Canon, qui inspectionem ac potestatem similem Alexandrino & Antiocheno Episcopo attribuit.

Nam si rectè ex Canone primatum suum uniuersalem Romanus extruit Episcopus, Non iam unus ipse, sed tres sunt constituti summi & uniuersales orbis terris terrarum primates, Id uerò ut intolerabile est Romano Pontifici, ita uanitatem argumenti penè ridiculam perspicuè demonstrat.

Ac refutationem adiuuat historia cum precedentium, tum sequentium Synodorum maxime celebrium. Nam non solum sex illa, ut uocantur, Oecumenica, & uniuersalia Concilia, sed & Synodos alias in Africa tempore Cypriani, in Oriente, in Asia, in Græcia, & alijs nationibus ac prouincijs, non ab Episcopis, sed Imperatoribus Romanis indictas & habitas esse, ex historijs certis  
& in=

Et indubitatis notissimum est. Nec negari potest tria illa præcipua & omnium celeberrima Concilia, Nicenum Constantinopolitanum & Ephesinum, non solum non indicta, sed ne quidem gubernata fuisse à Romanis Pontificibus, sed ab alijs Episcopis.

Nicene enim Synodo Eustatius Antiochene Ecclesie Episcopus præfedit: Constantinopolitane Gregorius & Nectarius Episcopi Constantini: Ephesine Cyrillus Alexandria Episcopus.

Et si autem Canonis Niceni prætextu, & Primatum hunc, et alia singularia præeminentie privilegia audacissime sibi Episcopi Romani arrogaverunt, & annis multis iam cum quadam opinione legitime præscriptionis possederunt, Tamen non ignotum est, quibus id fraudibus & practicis initiò quæsierint, & paulatim adepti sint, quibusq; artibus semel raptam Tyrannidem stabilire ac confirmare studuerint. Ac testatur id perspicue Synodus Carthaginensis tertia, habita Augustini tempore, Et sexta paulò post secuta, in qua cum de prouocationibus Episcoporum disputatum esset, Legatus Pontificis Romani Zosimi postulauit, ut concederetur prouocatio ubicunq; aliquis ad Romanum Pontificem adpellasset, Idq; ut obtineret Zosimus, literis quas Legato dederat, decretum commentitium inseruit, quod adfirmabat in eam sententiam in Nicena Synodo conditum

S s      esse.

esse. Id cùm recitatum esset, quidam Episcoporum Alypius, monuit ceteros, ista se in decretis Synodi Nicenæ non legisse. Misit igitur Synodus Legationem ad Cyrillum Alexandrinum Episcopum, & Atticum Constantinopolitanum, seq; ex ἀποστολικῶν seu exemplaribus Synodi Nicenæ fide dignis de ueritate decreti doceri petijt. Ibi cùm in longè aliam sententiã illi rescripsissent, cognita uanitate decreti, & falso, quòd Pontifex Romanus committere non metuerat, petitio eorum repudiata, & audacia atq; ambitio acerrimè reprehensa & taxata est.

Sed etiamsi ista nec disputemus nec exaggeremus, Tamen paulò antè dictũ est, alias esse maiores & magis graues causas, cur hoc tempore, & tali rerum conditione ius conuocandi ac gubernandi Synodum Pontifici Romano non permittendũ sit: Quia uidelicet & ipse & satellites eius, Cardinales, Episcopi & Prælati ceteri, hostes sunt ueræ doctrinæ, quam non solum iniustis anathematibus & execrationibus iam dudum condemnarunt, Sed quotidie cædibus & sanguine innocentum extinguere & opprimere student. Sicuti hoc tempore Montalti in regno Neapolitano à Romano Pontifice inaudita crudelitas aduersus sanctos homines, ueram doctrinam de DE O profitentes, exercetur, Vbi octuaginta octo homines ante paucos dies, præcisa gula, non secus, ac oues proiecti in terram, & in suo sanguine uolutati, crudelissimi  
me à

mè à carnifice tanquam Lanio maclati & interfecti sunt. Hæc sunt sacrificia & auspicia, quibus isti parricide sua Concilia inittant & consecrant. His parricidis, si permitteretur, quòd postulant conuocationis & primatus priuilegium, manifesta se abnegatione Euangelij, ac proditione ueritatis, Ecclesiæ piè constitutæ polluerent, & in condemnationem sui uolentes consensisse, imò illo ipso consensu suo, tanquam testimonio proprio, causam optimam & uerissimam condemnasse uiderentur.

Et si igitur graue est crimina illa, quibus traducimur ac deformamur, sustinere, Tamen cum nec temerè, nec propter leues causas à Pontificibus Romanis, & horum defensoribus, in re tanta dissentiamus, cogitemus mandato diuino nos cogi, ne ad Synodum Pontificiam accedamus. Ac potior nobis sit ueritatis confessio, quàm proborum ac contumeliarum iniuria. Cumq; scriptum sit: Peccatis alienis ne communicates. Item, Nolite iugum ducere cum infidelibus, Quæ enim societas lucis & tenebrarum, procul à talibus Epicurorum congressibus abesse uelimus, quos manifestum est, tantum ad opprimendam & delendam ueritatem institui.

Interea cum prædixerit Christus postremis temporibus in odio omnium hominum futuros esse, qui Nomen ipsius professuri sint, hac nos consolatione

latione sustentemus, quòd alibi inquit: Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis. Huic igitur dilecto Domino nostro Iesu Christo, custodi ac protectori Ecclesiae, nos & pericula nostra commendemus.

D I X I

## ORATIO DE VITA

IACOBI MILICHII DOCTORIS  
artis Medicæ, atque eiusdem Professoris in Academia Vuitebergensi celeberrimi, recitata à M.

Eusebio Menio pro Decano Collegij Philosophici 13. Calend.

Martij.

**E**T fatales periodi regnorum mundi atque Ecclesiae & ipsi rerum in orbe Christiano iam commotarum quasi fluctus, admonent me de uaticinijs traditis uoce Christi & Apostolorum, quibus prædictum est utrunque, & quòd Ecclesiam horribiles ac tetrae religionum confusiones, atque Imperiorum inter se barbaricae collisiones, ceu procellae quassaturæ sint, & tamen mansurus sit cœtus aliquis electorum, qui Deum rectè agnoscent,

cent, inuocabunt, ac celebrabunt in agnitione & fiducia filij Iesu Christi Mediatoris, usque ad laetam & gloriosam resurrectionem piorum, Etsi erit coetus exiguus, dispersus, abiectus, deformis, sine imperio, sine defensione & opibus, & impie ac profanae multitudinis potentia oppressus.

Compleuit tyrannis Pontificum Romanorum fatalem periodum annorum quingentorum. Hanc superstitiones & Idolatriæ crudelitate & sceleribus constituerunt ac retinuerunt, tantisper donec durauit. Nunc luce doctrinae coelestis uelut fulmine percussa ruit, & frustra fatiscentem undique ac dilabentem fulciunt satellites Pontificum noua suppliciorum atrocitate & seuitia. Nec dubium est, hos, si consilijs, & uiribus proprijs nihil profecerint, ubi frustra tentarint omnia, uel Acheronta moturos esse, ut sese conseruent. Sed discutiet lux ueritatis tenebras, fulguris impetus potentiam, quantacumq; comparata fuerit. Euerit enim & quasi conflagrare necesse est regnum tenebrarum, hoc nouo repurgatae doctrinae incendio. Necesse est Zyzania, quæ succreuerunt, & doctrinam ueram atque cultus suffocarunt, exuri, ut resurgens ex ea flamma splendor, ante finem rerum diffundatur in omnes orbis Christiani angulos, & omnibus gentibus prius innotescat. Idcirco quicquid illi pro regno tenebrarum cuderint aut struxerint, in neruum erumpet & pessum ibit.



Inijt autem cum Luthero noua periodus, & postrema inter illas, quas exprimit dictum Helæ Prophetæ, sex millibus annorum bisariam distinctis quasi in ipsis articulis, in periodos duodecim. Hæc reddidit nobis, immensa & inenarrabili Dei beneficio, & opera præceptorum nostrorum hanc, de qua dixi lucem doctrinæ cœlestis, & omnium disciplinarum. Sed quàm exiguo tempore concessa fuit nobis facultas hac tranquillè fruendi? Quàm momentanea fuit felicitas tanta? Quanta cito non necessaria & petulanter mota certamina Ecclesiarum diuulsarum perturbationes, odiorum incendia, uoluntatum distractiones pererunt? Quanta labes inflicta est doctrinæ magno labore ex intricatissimis labyrinthis eruta atque euoluta, magnoq; periculo adsertæ atque defensæ? Quanta patefacta est fenestra malis ingenijs ad omne petulantiae genus? Deniq; in quam rabiem plurimos adegit uulgi applausus? Tyrannis Pontificia in Anarchiam cõuersa est, quæ cunctis sit infinita Tyrānis, seruitutem adduxit multò intolerabiliorem priore, in qua licet cuiq; quod libet: & audet quisq;, quod in mentem uenit: Proscinduntur clamoribus, ac penè iugulantur boni ὠμῶς ὄνοι ἢ σφικίσις: Mali tyrannicè regnant, & inter se colludentes fœdera faciunt, quæ lia mulier faciebat cum Simia: μή τῦπτερ μήτε τυπῖσθαι, μήτε δ'ἀκνερ, μήτε δ'ἀκνεῖσθαι. Denique inflectuntur opiniones, & proijciuntur ut  
 re sen=

ræ sententiæ ad aliorum arbitria. Excidimus ergo  
 penè ex illa felicitate, quam letissima initia quasi  
 renascentis Ecclesiæ his terris uix ostenderunt,  
 Ἐτυράνως ὑβρίω φεύγοντες, εἰς δ' ἡμᾶς ἀκολούσῃ  
 ὑβρίῳ ἐμπέσομεν, ὅς ὄθιαι ἐμπεσῶν τὰ πηγή-  
 ματα ἀνεὺ νόου χαμάρα ποταμῷ ἵκελθῶ.  
 Adeò nihil est in rebus humanis firmum aut sta-  
 bile. Quàm nunquam ille intra mediocritatis ter-  
 minos diu sese continent, sed à medio exorbitan-  
 tes leuibùs occasionibus subito in alterutrum ex-  
 tremorum per præcepta ruunt, suæ imbecillitatis  
 fato, Ἐ διαβολὴ furoribus impulsæ. Nam ut Im-  
 peria à iusticia Ἐ moderatione in Tyrannidem  
 degenerant: Ita Religiones à norma pietatis di-  
 uinitus præscripta, uel in superstitionem efferun-  
 tur, uel recidunt in prophanitatem.

Superstitiones seculi superioris uiderunt ij,  
 quorum ætas grandior est. Nos iuniores ab his,  
 quales fuerint, accepimus. Sed quæ illis depulsis  
 successerit prophanitas, cernimus utriq;. Hæc cum  
 indies crescat, Ἐ simul augeatur atque confirme-  
 tur licentia quiduis fingendi faciendiq;, periculum  
 eis, ne lux doctrinæ, quæ uidetur fulguris instar  
 momentaneo uibratu nos perstrinxisse, profligata  
 disputationum partim perplexitate, partim pro-  
 phanitate, deserat nos, ac migret aliò, Ἐ intereat  
 simul pietas, extincta Epicurea securitate, quam  
 disciplinæ laxatio peperit, Ἐ pernitiōse conten-  
 tiones docentium in Ecclesiâ alunt. Vt enim nunc

fese dant res, metuo adesse initia ruinae uenturae in Ecclesiam sub extremam mundi delirantis senectam, sicut praemonuit filius Dei, cum inquit: Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetae, & decipient multos. Item, Facient signa & prodigia, ut si fieri possit, seducantur etiam electi. Item, Putas quod ueniens filius Dei inueniet fidem? His dictis cum significetur utrunque, & quod exoritura sint in Ecclesia Idolatrie, quibus obruentur uera doctrina, & ueri cultus Dei, efficieturq; Ecclesiae uastitas, & quod reliquus futurus sit coetus aliquis Deum recte colentium: precemur ardentibus uotis filium Dei, ut in hoc coetu nos esse uelit, et semper colligat sibi in his regionibus aeternam Ecclesiam, Nec propter ingratitude magnae multitudinis lucem doctrinae sinat extinguere.

Nititur salus Ecclesiae fundamento Christi & Apostolorum recte intellecto. Ita ornamentum est ingens Ecclesiae Philosophia, cum recte, erudite, sobrie & moderate traditur. Et ut in euerfione uerae doctrinae consistit interitus Ecclesiarum, ita pestis est atque corruptela iudiciorum, quae & Ecclesiae plurimum nocet, cum pro Philosophia instillatur animis confusio opinionum uerarum & falsarum, & accersitur studium absurda defendendi uerborum prestigijs, sicut reperiuntur quos delectat Epicureos furores aut Stoica deliramenta, aut alias portentosas opiniones tueri. Talis  
con

consuetudo parit Sycophantas, artium & Ecclesiæ conturbatores, quos ut arceat Deus ab his nostris alueolis procul, seriò & ardentè prece-  
mur.

In harum autem rerum cogitatione quoties dissimilitudinem temporum confero, deploro calamitates nostras. Quantò beatiore nobis fuerunt, non hi tantum, qui doctrinas nobis restituerunt, sed illi quoq; quibus concessum fuit illius uerè aurei seculi felicitate frui, quo acri & indefesso studio reuocatae sunt atque expolite doctrinae, quae situ squaloreq; perierunt. Nos econuersò quantò sumus illis infeliciores, qui ad ea sumus seruari tempora, quibus spectare cogimur, ut disciplinae uelut ab hostili barbarie maiorum industria uindicate ac receptae, & in integrum restituae, uel petulanter & impinè dilacerentur atq; conuellantur, uel noua barbarie, quae, ut Prouerbio dicitur, Illyrica illuue foedior est, conspurcentur & inquinentur. Has pestes cum Dei beneficio hactenus nostra Schola nondum senserit, etsi foris est grauiter impetita, demus operam, ut quoad eius fieri poterit, procul eas ab his alueolis repellamus, coniuncti studijs, operis, officijs, & beneuolentia mutua, ne ex disidijs domesticis accidat nobis, quod apibus intra alueolos fumo disturbatis. Et id quidem uerè gratitudinis, quam Deo & maioribus nostris debemus, est pars non minima, de qua nos & hic dies commonescit, qui medius est

inter duos illos, quorum præcedens decimus sextus Philippum genuit, sequens decimus octauus Lutherum sustulit.

Pertinet uerò ad gratitudinem etiam celebratio illorum, per quos diuinitus studia literarum excitati sunt. Quare cum aliàs de alijs uiris præstantibus hoc in loco uerba facta sint, qui susceptæ confectæq; emendationis doctrinæ in hac Academia autores fuerunt atque principes, & restet inter ceteros IACOBVS MILICHIUS, hunc multis de causis delegi præcipuè, de quo nunc dicerem. Fuit enim inter illos uiros neuti-quàm minimus, qui doctrinæ fama, eruditæ scriptis, omni uirtutum genere, huius Scholæ celebritatem auxerunt, & extant eius præclara in hanc Academiam merita, cuius emolumenta publica ea prudentia, fide atque diligentia curauit atq; pro-uexit, ut qui maximè. Me uerò priuatim semper ut filium dilexit, & quibus potuit officijs studiosè iuuuit, atq; promouit, præterquam quòd præceptor rem etiam in arte Medica, & ducem atq; monstratorem eum habui. Quare debere me ei uicissim aliquam gratitudinis significationem agnosco, & uobis, qui uiuum coluistis, mortuum saepe desiderastis, breuem commemorationem de meritis ipsius non ingratham fore confido.

Natus est Iacobus Milichius parentibus honestissimis in Friberga Brisauica, nono Calendas Februarij, prima noctis hora, anno à nato Christo mille

millesimo quingentesimo primo, quo tempore Saturnus, Iuppiter, Venus & Mercurius nascentem exceperunt triquetris & sextilibus radijs ex dodecatemorijs Geminorum, Aquarij & Arietis. Quorum cum uim esse peculiarem & mirificam in formandis excellentibus ingenijs, longo usu deprehensum sit, inde, quod precipuos quos habuit orbis terrarum uiros doctos, tali aliquo syderum positu, in lucem editos esse obseruatum est: consentaneum est ad eam ingenij magnitudinem ac prestantiam, que in eo fuit, harum stellarum lumen plurimum contulisse, ad fulsione conuenienti in naturam quam à parentibus accepit optimam, oportune impressum.

Pater precipuum eius urbis magistratum gessit, qui postea in filium nostri Iacobi fratrem, quasi hereditario iure translatus est, Et antecelluit opinione sapietie, laude iusticie atq; integritatis, & autoritate. Is cum in filio Iacobo perspexisset indolem idoneam ad literas, & discendi cupidam, studijs eum destinauit, & erudiri primum curauit in Academia patria, que tunc præ ceteris clariuit, adducta scilicet in admirationem ac celebritatem ab ijs uiris, quos Germania illo tempore habuit summos. Ibi Erasmo Roterodamo, Vlrico Zasio, Conrado Heresbachio, Henrico Glareano, Nicolao Gerbelio, Bedroto, Philippo Egentino, & plurimis alijs familiaris & carus fuit. De Erasmi priuata & domestica consuetudine ac sermionibus  
 multa

multa narrare solebat cum magna uoluptate: Quomodo diurnas operas partiri, & ut matutino tempore rebus serijs uacare commodius posset, ueterum more tardius prandere, Inde uel amicis sese dedere, uel obambulare, & inter obambulandum uel colloquijs suauibus se inuitare ad hilaritatem, atque oblectare, uel ea recitare solitus sit, que ex ore eius recepta, postea familiarium Colloquiorum titulo prodierunt. Cum censuras referret, quas Erasmus in efflorescentia sub id tempus ingenia Germaniæ suo more, & pro ea qua ualuit autoritate liberius agere, consueuerat, aiebat, illum de Philippo adolescente adfirmasse: Quòd in quamcumq; artem ueruos ingenij intensus esset, in ea omnes summos artifices esset superaturus. Hac uoce Erasmi aiebat se incensum fuisse ingenti cupiditate Philippi uisendi.

Postea cum Erasmus Friberga discessisset Basileam, ipse de patris sententia se contulit in Academiam Viennensem, in qua magis quam alibi tunc floruerunt cruditoris Philosophiæ studia, & præ cæteris Physica & Mathematica, cum reliquæ Scholæ adhuc occupatæ essent magna ex parte barbarico cœno doctrinæ scholasticæ. Mathematicas artes Academia Viennensis diligentia præcipua excoluit atque illustrauit, & prima solâq; reliquæ Germaniæ impertiuit, autoribus Georgio Purbachio & Iohanne de Monte Regio.

Inde

Inde cum postea cum Colonia Mathematica deductae essent in Academias ceteras, paulatim alibi quoque propagatae sunt. In hanc nostram Academiam primi disciplinas illas inuenerunt Volmarus & Milichius, quas cum adolescentes cupidissime amplecterentur, & urgerent ac persequerentur certatim magno & alacri studio, inuitati scilicet certitudine doctrinae, & euidenti utilitate & praecipue exemplo atque autoritate Philippi Melanthonis, qui propter causas grauissimas extollere eas ueris laudibus, & ab adolescentibus seuerè exigere solebat, breui tempore ita creuerunt in hac Academia, ut ceteras his facile superarit & obscurarit, & laudem illustratae Matheseos alijs praeceptam suam fecerit. Huius laudis possessionem cum tueri nos deceat, non possum non perturbari uehementer, quoties ignauiam nostrae aetatis ad alacritatem & ardorem prioris seculi comparo, qui tantus fuit, ut indoctior haberetur, qui in his artibus uersatus non esset, etiamsi in alijs excelleret. Nunc, quod turpissimum nobis erit ad posteritatem omnem, eò res rediisse animaduerto, ut non solum negligantur aut uix leuiter degustentur, sed planè contemnantur, & ut in tanto numero reperiantur pauci, qui, quod olim pueris familiarissimum erat ac tritissimum, usitatum metiendorum interuallorum, & conformandorum thematum coeli doctrinam norint. Pudeat nos ignauia tam flagitiose, de qua me queri hoc in loco



et decet et necesse est. Sed dabitur in posterum opera à nobis, quibus gubernatio doctrinæ Philosophicæ commissa est, ut si alia ratione fieri non poterit, uel sola examinum seueritate ad hæc studia iuniores adigantur. Nunc ad Milichium redeo.

Hic inter præcipuos est, qui studia Mathematica in nostra Academia excitauit. Habuit autem præceptorem, et in his et in arte Medica Georgium Collimitium, Tansteterum, insignem doctrina uirum, et artis Medicæ cognitione usque celeberrimum. In Græca lingua Ritheimerum. Et familiaris fuit inter ceteros Gasparo Ursino Veli Poëtæ excellenti, Philippo Gundelio, VVolffgango Lasio.

Vienna discedens uenit in hanc Academiam anno Christi 1524. inuitatus potissimum studio ueræ doctrinæ de Deo et Philosophiæ purioris, quæ repurgari tunc et instaurari cœperant, et fama nominis Philippi. Vbi, quod unice expetiuerat, cum sese insinuasset in familiaritatem Philippi Melanthonis et Simeonis Grynæi, quem eadem reuiuiscens omnis doctrinæ politioris fama huc pellexerat, in eam uenit apud utrumque opinionem et admirationem, propter ingenij et iudicij rectitudinem, animi candorem, doctrinæ pro eâ ætate uarietatem, discendi ardens et inexplebile studium, ut ad extremum uitæ usque utriusque fuerit carissimus. Nam quanti cum fecerit Philippus, quoties

ties in grauiſſimis conſilijs eius, & dulciſſimis ac pietatis & ſapientie plenjs ſermonibus magna cum ſuauiſſitate conquieuerit, quoties de rebus & controuerſijs maximis iudicium eius & ſententiam requiſiuerit: Deniq; quoties apud eum animi egritudines effuderit, ac depoſuerit, cum mirifico alleuationis ſenſu, meminimus pleriq;

Cum ergo & ingenij & integritatis ac diligentiæ ſpecimen præbuiſſet eximium, & ſpes eſſet uſui eum atque ornamento fore publicis ſtudijs, tribuit ei Academia munus publicè docendi. In quo quàm fideliter & utiliter ſeruiert Scholæ, & quantum nauauerit atq; effecerit ad poſteritatem, teſtatur enarratio Secundi libri Plinij, in qua ex doctrinæ Ptolemaicæ & Ariſtotelicæ fontibus nodi ac Labyrinthi aſtronomici & Phyſici plerique ita ſunt explicati & illuſtrati, ut difficultas, quæ uifa fuit rudiori ſeculo ſuperiori ineſſe maxima, euicta atq; diſcuſſa omnis uideatur. Neq; extat magis perſpicua enarratio. Vt enim natura ingenua & recta erat, ita perſpicuitatem maxime amabat, iuxta illud Euripideum: εὐδλόρ τὸ σαφές. Et ſycophantiam ac Sophiſtice uehementer oderat, quæ in eo rectitudo naturæ cauſa erat, ut cum Vito Amerbachio, qui tum hic Phyſicem docebat, minus ei conueniret, quòd ab ea ſpinofarum diſputationum ſubtilitate & perplexitate abhorreret, cui alter ſtudebat maxime,

Poſt=

Postquam autem ingenij & doctrine commendatione inclaruisset, uenit in noticiam cum aliorum praestantium uirorum, quibus illud eruditum & florens Germaniae seculum abundauit, tum uero & Eobani Hesti ac Ioachimi Camerarij. Inter Camerarium & Milichium studiorum, opinionum ac uoluntatum similitudine contracta amicitia, in eam coaluit etate necessitudinem, ut qui Camerarium impensius coluerit atque obseruauerit Milichio. Et uicissim qui Milichium complexus sit suauius Camerario, uix uiderim.

Horum quoties spectauimus congressus apud Philippum Melanthonem, cuius domus uelut ex destinato Doctorum omnium undecumque aduenissent, commune semper fuit hospitium, uisus sum mihi uidere πῶτερ ἡδίστον δέμα, quod illa synedria sapientum ueterum, aut illorum, quos apud Socratem Plato introducit Athenis, aut Laelii, Scipionis aliorumque in urbe Roma mihi in memoriam redegit. Nec sine summa uoluptate saepe recordor sermonum, quos cum conuenissent habitos meminimus, non tantum de nostris artibus, sed de rebus maximis in Ecclesia & imperio. Erat enim in Milichio praeter liberalem cognitionem omnium Philosophiae partium, & artem Medicam, excellens prudentia, quam, cum natura ualeret plurimum, auxerat atque instruxerat multa & assidua lectione historiarum ueterum ac recentium, in quibus co-

bus cognoscendis tantum operæ ac temporis posuit, ut quem illi hac in parte præferam, si Philippum excipiam & Camerarium, non habeam. Quicquid enim extat probatorum historicorum, id non tantum semel inspexerat, aut obiter percurerat, sed ut erat assiduus & acer, iterata lectione sæpius euoluerat, ac planè exhausterat. Pèperit ei ciuilibus prudentia non minorem quàm ars Medica existimationem, quæ in admirationem eum adduxit apud Illustrissimos Principes familiæ Anhaltinæ, quibus in aduersa corporis ualitudine medicando: In rebus dubijs aut difficilibus sapienter consulendo, plus sæpe profuit quàm multi alij.

De Durero D. Philippus piæ memoriæ solebat dicere, Pictoriam, qua antecelluit citra controversiam omnibus suæ ætatis artificibus, fuisse in eo minimam, tanti fecit prudentiam eius, et iudicij grauitatem in alijs rebus. In Milichio prudentiæ ne artem Medicam, an uerò hæc illam uicerit, meo iudicio non minus difficile foret decernere. Etsi erat enim uir Medicus multis alijs præstantior unus: tamen præeminebant in eo ornamenta pietatis, prudentiæ, & aliarum uirtutum.

Docuit uerò & artem Medicam multis annis in hac Academia magno cum fructu, & eandem feliciter exercuit. Qua in re magna illi debetur gratia, non eò tantum, quòd doctrinam fideliter tradidit, sed multò magis quòd primus artem re-

uocauit, atque reduxit ad fontes Græcos, è quibus Arabum riuuli sunt deducti, Et auditores adsuæfecit, ut se duce atq; interprete doctrinam potius ex limpidis fontibus autorum sua lingua loquentium, quam ex interpretum turbidis lacunis haurirent.

Erat in autoritate legum tuenda & tota gubernatione Scholastica seuerus. In executione eorum quæ ex usu ac dignitate publica graui iudicio constituta muniunt statum præsentem, usque ad pertinaciã durus, memoria ueteris dicti quod semper in ore habebat, τὸ ἐν κείῳ μὴ κινητέον. Deniq; in omnibus ciuilibus officijs, honestus, iustus, ac grauis erat. Idq; nec arte adscitum, nec astuta simulatione fucatum, sed γνήσιον prorsus erat, & ex uerò constantiq; proficiscebatur iudicio, quod & in uultu natura effinxerat, in quo elucebat ἀξιωματικόν quiddam, ad moderatam grauitatem honestissima specie compositum, & ipse ostendebat omnium uirtutum exemplis in sermone, in gestu, atque incessu, in quibus asperum nihil inerat, aut deforme, nihil inhumanum aut insuauæ, nihil aculeatum aut mordax, nulla toruitas, sed eximia grauitas admirabili temperata comitate, & ingenuus candor, liuoris omnis atque inuidentiæ expers. Sæpe mihi intuenti aut cogitanti cum, illud Menandri in mentem uenit: ὡς ἠδὲ χρῆσότης σωῆσαι κερὰ μύνη. Quam pulchra res est bonitatis & sapientiæ temperamentum.

Fuit

Fuit priuata eius uita exemplum illustre omnium uirtutum bono pioq; patrifamilias conuenientium. Deum rectè inuocabat in agnitione & fiducia Mediatoris Iesu Christi. In coniugio castissimè uixit. Familiam insigni regebat seueritate. Erat φιλόσοφος & admodum, & sobolem quam Dei beneficio procrearat numerosam, non tantum rectè institui curabat per alios, sed ipse quoq; adsiuè exercebat, nec defugiebat laborem quotidianæ inspectionis atq; explorationis studiorum ac morum in suis. Cumq; laxitate disciplinæ & dissolutiore uita adolescentiæ uehementer offenderetur, ne uel se absente sui negligenterentur, uel occasione licentiæ degenerarent, uel prauis sodalitijs consuetudine inficerentur, malebat carere eo questu, quem si uoluisset consecrari, percipere potuisset uberrimum. Illo ergò malebat carere, q̄ committere, ut sua aliqua culpa liberi corrumperentur, quod futurum metuebat, si aut crebrò abesset, aut plures & alienos suis adhiberet. Quæ fuit causa præcipua, ut solitudinem quietam, sed infructuosam in sua domo, frequentia questuose prætulit.

Deniq; familia eius erat nihil aliud, quam Ecclesia parua, quam ipse gubernabat, ut Antistes partitis operis cum socia coniuge, matrona honestissima & grauissima, et uerè præstabat hoc quod iubet Paulus inquitens: ταῦτα λογίζεσθαι, ὅσα ἔστιν ἀληθῆ, ὅσα σέμνα, ὅσα δίκαια, ἔτι προσελάτῃ, ὅσα εὐφρημα.

Cum autem cupiditas cognoscendi fontes doctrinae coelestis praecipue huc eum perpulisset, nihil prius habebat nec posterius studio sacrarum literarum. Legebat itaque assidue & diligenter Prophetica & Apostolica scripta, & his addebat probatorum autorum commentarios ueteres & recentes. Doctrinam uero ita perceperat, ut omnium controuersiarum momenta & fundamenta recte & integre intelligeret.

Tanto autem flagrabat amore discendi, ut neque cum ualeret incommodius, neque cum aetas ingravesceret, sibi parceret, Et reprehendentibus hanc nimiam assiduitatem obijciebat uersum Solonis: *ἡρᾶσκέω δ' αἰὲρ πολλαὶ διδασκόμην*. Temporis tam parcus erat dispensator, ut nemo eum domi suae repererit, nisi aut legentem, aut commentantem aliquid, aut quod rarum erat, cum amico aliquo taxillis ludentem, Quo ludi genere praecipue, & praesertim a prandio delectabatur. Imò ne quidem intempestiuas lucubrationes a coena & ante somnum moderabatur. Cui rei & insomnia tribuo, quibus laborauit. Tenuem enim admodum ac breuem habebat somnum, & causam morbi, quo extinctus est: Non dubium est enim, nimias & assiduas, atque intempestiuas animi intentione, afflixisse in eo cerebri & uentriculi uires, cum esset alioqui corpore succulento & pleno. Ea sese *πλεονεξία* tandem in *ἀποπλεξίαν* exonerauit, cerebro obruto atque oppleto. Quod sibi mortis  
genus

genus aliquantò antè ex indicijs non obscuris ipse prædixit. Nam & uertigines crebriores sentiebat, quibus antea tentari non erat solitus, & tantas quidem, ut aliquando non sine periculo ex alto per præceps in terram deciderit. Et cum æstate præcedente grauius decubisset, & sine ulla euacuatione corporis, mediocriter restitutus esset, subinde maius malum sibi uidebatur ominari. Decessit autem ex hac uita quinta die, postquam apoplexia correptus esset, repetitis subinde non dubijs signis animi intus ardētis ueris Spiritus sancti motibus, quarto Idus Nouemb. anno 1559. Paulò ante mortem, cum apud Philippum Melanthonem multa de Ecclesia piè & grauius locutus esset, addiderat de morte: Etsi sit iter durum, tamen cum sciat homines non casu nasci ad tantas calamitates, sed restare aliam uitam meliorem, se expetere illius uitæ sapientiam, ubi Deum coram, & causas mirabilium operum in natura cernat, & ducente filio Dei, spe fruendæ illius sapientiæ se minus ab illo itinere abhorrere.

Hæc de uiri & Medici optimi, & præceptoris de me præclarè meriti uita, quantum ex familiari & domestica cum eo consuetudine mihi obseruare & cognoscere licuit, commemorare uolui. Cum autem ornamentum ingens fuerit Academiæ nostræ, grati memoriam eius conseruemus, & Deo gratias agamus, quòd talem huic Scholæ uirum de-



derit. Precemur etiam Filium Dei, ut cū paulatim bona & recta ingenia deficiant, & periculum impendeat Ecclesie maximum, à noua & tetriore barbarie, quàm quæ fuit antea, ut ipse excitet & instruat idoneos homines, qui succedentes in uestigia eorum, quos fata abripuerunt, fideli cura & studio doctrinas à maioribus quasi per manus traditas custodiant ac propagent. Deinde ut tueatur hos nostros alueolos, & sit Rector noster, ac gubernet nos Spiritu suo sancto.

D I X I.

## Q V A E S T I O.

SÆpè ego, Viri ornatissimi, stans hoc in loco, & recordatus sum eorum, qui ante me ex his subsellijs dixerunt, Et cogitans de his, uehementer perturbari & excruciaci animo cœpi, non ob meam tantum in dicendo infantiam ac tenuitatem, imparem eruditioni & splendori eorum, quos hic me præcessisse memini, Sed multò magis propter causas alias grauissimas, de quibus me cū locus hic, tum tempus præsens commonefaciunt. Nam quales nobis uiros hesternæ & crastina dies, decima sexta scilicet & decima octaua Februarij, & dederit & abstulerit, uos ipsos, pro uestra sapientia & pietate, non sine ingenti dolore animi recordari arbitror. Hesternæ enim fuit lux illa felix

& Ecclesiæ salutaris, qua ante annos sexaginta  
 quinque natus est uir sanctæ & immortalis memo-  
 riæ, Reuerendus Præceptor noster, D. Philippus  
 Melanthon. Crastina uerò infauista illa & calami-  
 tosa Ecclesiæ dies est, qua ante annos sedecim ex-  
 tinctus & à nobis abductus est, uir itidem incom-  
 parabilis & æterna immortalitate dignus, pater  
 ac Præceptor noster, D. Martinus Lutherus, ue-  
 rus & indubitatus extreme ætatis ELIAS.

Horum uirorum, qui paulò antè ornamentum  
 & decus istorum congressuum summum, & Re-  
 ctiores eorum præcipui fuerunt, cum recordarer,  
 & conspectum ac præsentiam eorum requirerem,  
 Simulq; reputarem mecum, quàm tristes Ecclesiæ  
 confusiones mortem utriusq; consecutæ sint, &  
 nunc uelut morbi ἐπιδημοί ac Sontici passim in  
 Ecclesia grassentur, ita perturbatus sum, ut ad  
 dicendum instituere animum non possim. Nam  
 præterquam quòd nec natura, nec doctrina, nec  
 dicendi facultate instructus sum, qua in hunc or-  
 natissimum consessum uestrum prodire cum fidu-  
 cia aliqua ausim, impediòr etiam illo ipso do-  
 lore ac perturbatione animi, que mihi & uerba  
 idonea & res necessarias, si qua tamen occurrere  
 talia in tanta imbecillitate mea possent, elidit. Et  
 quod accidere ægris & perturbatis dolore ani-  
 mis solet, ita me, de oratione idonea cogitantem,  
 excruciat, ut pene totus exanimèr. Oro igitur

reuerenter, ut qui multos alios hoc in loco dicentes benignè audiistis me quoque, non fiducia ingenij aut eloquentiæ, sed pro consuetudine scholæ, & de sententia atque autoritate præceptorum nostrorum, paucula quædam, balbutientem uerius quàm dicentem, non grauatim audiatis.

Quia autem alius alia de re hîc disputat, Et cum multæ aliæ in Ecclesia controuersiæ grauissimæ post Lutheri & Philippi obitum, proh dolor, agitari cœpti sint, tum hæc imprimis, de Necessitate nouæ obedientiæ in renatis, Quam sub anni huius initium quidam in uicinia nostra tetro & horribili furore ita renouauit, ut obedientiam renatorum non solum non necessariam, Sed ad placitum Fidei, liberam esse contendat. Ego, ut & me, & scholam erudiri petam, de hac potissimum re querendum aliquid existimaui. Quæso itaque ut me patienter audiatis, præstabo enim & breuitate orationis, & facilitate uestra abusus uidear.

Est autem hæc controuersia, Sit ne probanda recens illa Antinomorum sententia, quam quidam accerrimè propugnant. Nouam obedientiam, non solum non necessariam, sed ad placitum Fidei liberam esse?

Magna causa est, & magno conatu annos alia quot iam acta & agitata. Et ut haud dubiè meminitis, non solum patronis & defensoribus uarijs  
pro-

propugnata, Sed etiam, quod in mendacijs necesse est fieri, pharmacis dissimilibus, ijsq; omnibus vov-  
 ερωϊς & noxijs curata ac medicata. Nec enim  
 satis fuit, προταγωνισαίς horum certaminum,  
 necessitatem nouæ obedientiæ qualicumq; prætex-  
 tu asserendæ salutis renatorum, subdolè tollere &  
 negare, Nisi & hoc adiecissent, saluandis eam per-  
 niciosam esse, & salutem eorum officere. Nunc qua-  
 si nondum satis sit dictum, aut sciens quis in per-  
 niciem suam ruiturus sit, noui illi pugiles & pa-  
 troni, recens hoc & fanaticum de libertate com-  
 mentum tanquam corolarium adiiciunt, ut qui  
 obedire Deo fide & conscientia bona studuerit,  
 liberè se & uolentem ad perniciem suam contem-  
 disse ac properasse intelligat. Alij ut efficacius  
 hoc ipsum seu anteuertant seu prohibeant, iam in  
 truncos, iam in hostes DEI, acerrimè Deo re-  
 pugnant, conuersos & renatos immutant, Qui  
 liberè nec obedire Deo possint, Nec si possint,  
 uelint: Sed partim ut trunci, partim ut hostes  
 repugnantes ad DEI arbitrium fingantur &  
 formentur.

Sed cohorresco toto pectore & corpore hæc  
 portenta cogitans ac referens. Et tamen Ecclesiæ  
 permultum interesse statuo, ut de his furoribus  
 & præmoneatur, & monstratis horum seu por-  
 tentorum seu prestigiarij fontibus erudiat  
 iuuentus. Etsi autem sophistica per se infinita &  
 mendacium ἀκαταληκτῶν est, Ac in his quoque

portentis non unum tantum præstigiæ genus adhibetur, Tam'ne hoc uideatur recentis ἔωλο = κρᾶσις de libertate obedientiæ argumentum esse præcipuum ac primarium. Quodcumq; necessarium est, id & coactione extortum & meritum est. Sed obedientia noua in renatis, nec coactione extorta, nec meritum est. Ergo non est dicenda necessaria, sed ad placitum Fidei libera.

Postea, ut commentum blandum incauta & stolidæ multitudini, quæ laxari libertatem letatur, alijs seu blanditijs, seu delitijs conditam instillent & imprimant efficacius, hunc etiam paralogismum, tanquam cœlitus demissum oraculum iactitant, & singulis propemodum paginis & lineis infarciunt, & ampullis uerborum sesquipedalium exornatum & inuolutum uenditant. Impossibile est promissionem certam esse, cum qua ponitur conditio obedientiæ necessariæ. Sed promissionem uitæ & salutis æternæ oportet esse certam, Nam idè eam Paulus ex fide & gratuitam esse contendit Rom: 4. Non potest ergo simul poni conditio necessariæ obedientiæ, nec excludenda sunt tantum merita operum, sed ipsa etiam præsentia seu necessitas obedientiæ necessariæ.

De his paralogismis ego quoq; interdum mecum cogito, & seculi nostri furores ueris gemitibus deploro, quod conceditur istis furijs, ut tam friuolis, putidis, insulsis, & magis ex impudentia & malitia, quàm inscitia natis præstigijs, de re

tanta in Ecclesia ludere impune ausint. Quid est enim putidius aut insulsius, quam intelligere necessitatem de coactione aut tortura, Et de ea ipsa somniare, eam nescio quod ingens meritum aut esse aut in se includere? Item fingere, necessitatem hanc promissionis gratuita certitudinem euertere aut labefactare. Nam ut de coactione non disputem, quam omnes non stupidi & non dementati Antinomorum fascino, intelligunt, uocabulo necessitatis falso affingi, Qualis hic stupor est, si bipsi in adiecto contradicens, coactum quid & quocumq; modo extortum, meritum esse asseuerare? An cui per somnium in mentem unquam uenit, meritum esse, eum quis homicidio, adulterio, furto, aut simili aliquo scelere pollutus, ad supplicium & poenam sustinendam cogitur? Et quae causa est alia, quod & olim Pelagiani ab Ecclesia uere accusati & condemnati, nostro quoq; tempore Monachi & totum agmen Pontificium iustissime reprehensi sunt. Quod liberum arbitrium in homine finxerunt, Nisi quia intellexerunt sapientes & eruditi in Ecclesia Doctores, posita arbitrij & uirium nostrarum libertate seu ἀνεξαρτήτως tali, qua faciens quis quod in se est, non solum de congruo, sed etiam de condigno uitam aeternam mereatur, poni & confirmari Pelagiana & Papistica de merito somnia.

Nunc uero illis explosis, boni isti libertatis defensores, nouum meritorum genus somniant, ex  
repug=

repugnantium, quam fingunt, coactione. Ita uere de his prestigijs dici potest Euripideum illud: πάντα ἐν τῶτοις ᾠρίξ, ἢ πάντα ἐλίξ, Ἐὐδερ ὄσιρ ἤγιεξ. At eadem necessitas obedientie, quae quidem sic ponitur ac requiritur, ut tanquam fructus fidei & Spiritus sancti iustificationem sequatur, si promissionis gratuita certitudinem evertit aut labefactat, Quae ratio est, quod antecedens conditio Fidei illam ipsam non impedit aut labefacit? Traditur enim promissio remissionis peccatorum, salutis & uitae aeternae, hoc modo, ut fide accipiatur, Nec est aliter aut alijs rata, nisi his, qui fide eam accipiunt, sicut inquit Paulus, iustificati fide pacem habemus. Item, Ideo ex fide gratis, ut promissio firma sit. Haec antecedens conditio fidei necessariae, cum non impedit at promissionem, quo iure accusatur sequens obedientiae debitum, quod uox diuina tam adfirmat esse necessarium, quam priorem seu contritionis seu Fidei conditionem? Et in regula Paulina, quae est definitio obedientiae necessariae propriissima & eruditissime utraq; copulantur, fidei & bonae conscientiae studium & necessitas, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Sed etsi fateor ac protestor, me toto pectore ab his Antinomicis blasphemijs abhorrere, Tamen chaos prestigiarium, quibus haec portenta palliant, & inuoluunt Antinomi, uideo magis esse multi-

*multiplex ac uarium, quàm ut me ipsum euoluere inde possim. Nec tempus hoc, & mea etiam tenuitas longiorem mihi orationem hoc in loco concedit aut suppeditat. Itaq; questionem hanc defero ad Reuerendum & clarissimum uirum D. Doctorem Paulum Eberum Ecclesiæ nostræ Pastorem, Eumq; rogo & meo & Scholæ atque Ecclesiæ nomine, ut pro sua erga Ecclesiam fide & amore singulari, causam hanc dijudicandam & explicandam suscipiat, Ac nunc, quantum fieri potest, & me & scholam dehac erudiat.*

DIXI.

## RESPONSIO.

**R**euerende & doctissime Vir, recordor & rogo eorum de quibus in oratione tua dixisti, & uirum Reuerendum & Clarissimum D. Doctorem Iohannem Bugenhagium Ecclesiæ nostræ Pastorem, & nostrum omnium patrem memini, quanta cum leticia sæpe ad hos congressus accesserit. Dicebat enim, ad nullas se festiuitates scholasticas libentius, aut maiore cum gaudio uenire, quam ad has Magistrorum renunciationes, quibus mirificè se affici asseuerabat, non eò tantum, quòd ex hac uelut palestra multa excellentia ingenia, quorum opera Ecclesiæ & Respub: præcipua in Germania uterentur, prodijisse meminisset, Sed  
ideo



ideo quoque, quòd de rebus optimis & necessarijs hic differi & placida sententiarum collatione ueritatem à pijs, sobrijs & intelligentibus uiris inquiri animaduerneret, & sciret collationum ac disputationum illarum omnium Rectorem ac gubernatorem esse eum uirum, qui de thesauro optimo cordis sui non nisi selecta & optima, uetera & recentia, promere, & ad usum Scholæ ponere semper soleret.

Accedo autem ad hos congressus ego quoque non alijs de causis, nec minori cum uoluptate: Sed nunc & die præsentis & oratione tua commouens factus, dum orbitatem nostram intueor, & eos quos dixisti uiros animo & oculis desidero, dumq; statum Ecclesiæ tristissimum, qui mortem eorum subsecutus est, tacite mecum recensco, ita percellor atq; commoueor animo, uix ut recolligere me possim, & auget mihi dolorē disputatio quam proposuisti, quam ante paucos dies publico scripto expositam & defensam à Doctore Andrea Muscuolo non sine lacrymis ac gemitibus plurimis aspexi ac legi. Et quanq̄ potissimum gloriæ Dei & Ecclesiæ causa doleo, ut par est manifestè impia & falsa, & in Deum contumeliosa, & Ecclesiam huius temporis ad uniuersam posteritatem deformantia publicè spargi & defendi: tamen & eorū uirorū, de quibus dixi memoria mihi dolorem exacerbatur, quòd alterum Philippum ab homine isto audaci impudenter, allatrari & lacerari uideo,  
Alte

Alterum uerò, Lutherum uidelicet, quem omnes acerrimum & implacabilem Antinomicæ factionis hostem in uita sua fuisse, & ad extremum usq; spiritum permanfisse meminimus, disputationis abominandæ & perpetuò ab ipso refutatæ ac damnatæ, patronum ac defensore constitui ac produci præcipuum & unicum, perperam allegatis ac deprauatis scriptorū ipsius testimonijs, Id tam acerbum animo meo dolorem affert, ut uerbis eum exprimere non possim. Sed sunt hæc fatua illa & postrema tempora mundi senescentis & delirantis, & in perniciem suam furenter ruentis, de quibus in Paulo dictum est 2. Theß: 2. Quoniam charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent, ideo immittet illis Deus efficaces illusiones & errores, ut credant mendacio, ut iudicenter omnes, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam & c. Sed has querelas omitto & abrumpo, quibus nec proficimus quicquam, nec mutare quæ facta sunt, possumus, & ut meo loco, quantum in hac breuitate fieri potest, consuetudini Scholæ seruiam, ad quæstionem & argumenta à te proposita uenio.

Rectè dixisti de maiore propositione primi Argumenti: Insulsißimum figmentum esse, cogitare de necessitate, q; significet coactionem, aut torturam, aut meritum, Sed est illustrior refutatio, si ad negatiuam hanc addatur & adfirmatiua, quid propriè & quidem uniuersaliter uoce, Necessarij, significetur.

Est

Est autem Necessarium, quodcunque sapientia diuina sic sancitum est, ut impossibile sit id mutari, aut dari eius oppositum, nisi Deus ipse, quod semel sanxit, mutet, impediat, aut contrarium libera uoluntate faciat. Et quidem in hac ipsa disputatione de Noua obedientia. Necessarium significat ordinem diuinum, sancitum creaturæ rationali conditæ & redemptæ à Deo, ut sit in ipsa conformitas cum sapientia & iusticia diuina, uel integra uel inchoata, quem ordinem impossibile est mutare aut sancire aliter, quia sic à Deo sancitus est, & non mutatur in tota æternitate. Deus enim in tota æternitate nec uult nec approbat in creaturis rationalibus alium agendi ordinem, quàm qualem his naturis à se conditis & redemptis immensa sapientia sua sanxit ac tradidit.

Complector in definitione omnes gradus Necessitatis, de quibus alibi dicitur, nec possum propter temporis angustiam exemplis eam declarare, quomodo singulis necessitatis gradibus congruat. Postea in definitione Necessitatis pertinentis ad hanc propositam disputationem, Angelos & beatos homines simul comprehendo. Angelorum obedientiam affirmo necessariam esse eo ipso, quia his confirmatis in bono, alius agendi aut obedientiæ ordo, quàm ut diuinæ sapientiæ & iusticiæ conformes sint in tota æternitate, non sancitur nec sancietur, & quia impossibile est dari Angelum beatum

beatum & in bono confirmatum, huic ordini sapientie & iusticie diuinae non conformem.

Sic renatorum obedientiam dico esse necessariam, etiamsi non est ut Angelorum, integra conformitas, sed tantum tenuis & sordida inchoatio, quia homini primum à Deo condito, & postea precioso sanguine filij Dei redempto, hic ordo agendi & obediendi sancitus est, ut obedire Deo fide & conscientia bona incipiat, Et quia impossibile est dare renatum, in quo huius obedientie nulla est inchoatio.

Suntq; considerandæ huius seu Necessitatis, seu ordinis immutabilis in hominibus cause propriæ & immediatæ. Vult Deus creaturam à se conditam sibi, ut Archetypo, conformem esse. Etsi igitur in diabolis & hominibus huius ordinis conurbatio tetra & tristis facta est, tamen cum non sint abiecti homines ut diaboli, manet his perpetuò & in tota æternitate hæc obligatio, ut sint Archetypo conformes. Et Deus ipse in omnibus hominibus uniuersaliter hunc suum ordinem tuetur ac uindicat, & pœnis atrocibus destruit quicumq; hanc obligationem seu debitum obedientie negligunt, & atrocibus delictis contumaciter uiolant. Nec sola corpora talium hominum lacerant aut destruit, sed ipsis mentibus & cordium penetrabilibus ceu carnificem & uindicem seuerissimum impressit, conscientiam, quæ etiam cum foris non affliguntur aut cruciantur corpora supplicijs &

pœnis, tamen mentes excruciat, quæ tormenta in  
 infinitum corporis lacerationes exuperant. Hoc  
 debitum ex creatione reliquum non solum non de-  
 letur in renatis, sed alio seueriore uinculo confir-  
 matur. Nam cum immensa misericordia genus hu-  
 manum per & propter Filium recipiatur, Filius  
 ad redimendum ac reparandum homines missus,  
 non ideo sanguinem preciosum profundit, ut li-  
 centiam ac libertatem faciendi quilibet, & ad-  
 uersandi ordini sapientiæ ac iusticiæ diuinæ com-  
 paret aut confirmet, nec credentibus & renatis  
 hic ipse Filius & redemptor Spiritum sanctum ita  
 donat, & in corda eorum effundit, ut ociosus in  
 his, uel dormiat, uel ad quascunq; ipsorum libidi-  
 nes adsit aut conniueat, Sed hoc ipsum debitum,  
 quo conditori tanquam Archetypo obligati sunt,  
 stabilit & adimplet, & dato Spiritu sancto motus  
 tales in ipsis accendit, qualis & ipse Spiritus est,  
 Et hic ordo sapientiæ & iusticiæ diuinæ requi-  
 rit, atque ita adiuuat renatos, ut quod suis uiri-  
 bus nequeunt inchoare, isto saltem auxiliatore  
 possint.

Hæc uincula tanta sunt, ut nullus possit cogi-  
 tari furor magis teter & abominabilis, quam fa-  
 cere ex obedientia renatorum rem liberam, arbi-  
 trariam, & quod fortassis paulò post dicent, si  
 impune hæc licentia disputandi procedet, adia-  
 phoram, quæ ad placitum fidei præstari uel omitti  
 possit & soleat. Sed ô rem miseram, talia à Docto-  
 re Ec-

re Ecclesie non solum disputari, uerum etiam publicis scriptis defendi & propugnari.

Sed addo & de Minore commonefactionem necessariam ad refutationem huius Sophismatis: Non est coactum quid, nec meritum renatorum obedientia, sed spontaneo & liberrimo spiritu præstatur. Ergò non dicenda necessaria obedientia renatorum. Verum est antecedens, nec quisquam sanus id negat, Sed hinc non sequitur. Ergò libera & ad placitum fidei arbitraria est obedientia. Nam hoc ipsum, ut libero, spontaneo, & hilari spiritu præstetur, non uel poenarum metu, uel meritorum fiducia, est necessarium & diuino ordine sancitum. Vt Angelorum obedientia nec coacta est, nec meritorum fiducia præstatur, nec ulla eis maior aut syncerior uoluptas est, quam obedire Deo: & tamen est necessaria, quia hoc ipsum sciunt Angeli diuinitus sancitum esse, ut hilariter sua munia & obedientiam uniuersam præstent atque obeant. Ita in pijs & sanctis parentibus, beneficentia erga natos spontanea est, & eò ardentior ac purior, quò magis promptæ & bonæ sunt parentum naturæ, tamen re ipsa est necessaria, quia natura sic à Deo ordinata est. Ideò barbarica insulitas est, propterea necessitatem obedientiæ impugnare aut negare, quia ab hilari et spontaneo spiritu proficiscitur. Et diuersissimæ res sunt, spiritus spontaneus seu promptus, & libertas seu po-

tius licentia ad placitum faciendi quidlibet. Sed in re manifesta quid opus est immorari.

De altero etiam argumento rectè dixit tua oratio: Non euerti certitudinem promissionis sequenti obedientiæ debito. Vt non euertitur propter antecedentes seu contritionis seu fidei conditiones. Nam ut in omni uera conuersione iustificationem & uiuificationem antecedit necessario contritio & mortificatio, ut in curatione uulneris necessario antecedit doloris sensus, Nec illo antecedenti impeditur curatio aut uiuificatio: Ita accepta remissione peccatorum & Spiritu sancto sequens obedientia non modo non impedit aut laesefacit fidei & consolationis acceptæ certitudinem, sed potius dulce documentum est, ostendens certò conuersionem inchoatam, & cor tale domicilium ac templum Dei factum esse. Quomodo autem sordida illa & imbecilla inchoatio placeat Deo, et qua ratione de hac ipsa Quæstione erudiri pijs mentes oporteat, alibi prolixè & sæpe dicimus. Nam utrunq; docemus, necessarium esse pijs mentibus, ut intelligant, & quomodo persona accepta sit, & quomodo languida eius obedientia placeat. Nam has quoq; barbaricas uoces execramur: Deus nõ curat opera. Item, Bona opera salutis obsunt. An Deus non curat renatorũ obedientiam, cum horrendam iram suam etiam aduersus electorum peccata in pœnis tristissimis declaret, ut Dauidis & similium? Quare etiam hoc docemus:

Et si

Etsi Noua obedientia non est remissionis peccatorum, aut uitæ æternæ meritum, tamen & præmia habet in hac uitâ & post hanc uitam, de quibus dixi differi alibi copiosius. Quare non addo plura. Sed oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum custodem & caput Ecclesiæ suæ, ut clementer nos doceat, & dilectam Ecclesiam suam regat, seruet, protegat, et à furoribus Diabolorum liberet. Eundem quoque oro, ut uestra studia regat & fortunet, ut seruiant gloriæ Dei, & sint salutaria Ecclesiæ & uobis.

DIXI.

ORATIO DE BAR-  
TOLO IURISCONSULTO PRÆ-  
stantissimo, Recitata à Georgio Cracouio I. V.  
Doctore clarissimo, cum conferret gradum do-  
ctoris, in utroq; iure uiro Ornatissimo Phi-  
lippo Iunger Oschacensi.

7. Nonis Iulij.

QVoties iuuentus in his honestissimis con-  
gressibus publicos Academiæ ritus, disci-  
pline ordinisq; causa à maioribus sapientissimè  
institutos adspicit, non tantum templi huius splen-  
didissimè extructi atque exornati parietes, aut co-  
rum qui adsunt ora ac uultus miretur (quanquam  
& in his decet σέβας ἔχειν εἰσορόοντας, ut Ho-



meri uerbis utar) uerum multo magis de diuinis rebus, quae tractari & explicari ab ijs, qui hanc Cathedram conscendunt, solent, cogitet, ac uota sua nobiscum coniungat, oretq; ut Deus pacem & tranquillitatem toti orbi terrarum largiatur, atq; hanc quoq; Scholam, pietatis ac doctrinarum officinam, ex qua uelut ex equo Troiano infinitus penè doctissimorum hominum exercitus prodijt, eleuenter regat, conseruet ac taeatur.

Pythagoras dicere solitus est, tum maxime & pietatem & religionem uersari in animis hominum, cum rebus diuinis operam darent. Et Thales inter Graecos sapientissimus habitus, dixit, Homines existimare debere, Deos omnia cernere. Deorumq; omnia esse plena, fore enim omnes castiores & modestiores. Religiose haec sapienterq; Ethnici, uerae Dei agnitionis ignari monuerunt. Quanto igitur magis nos, quibus filius Dei non tantum è sinu aeterni patris sacrosanctam illius uoluntatem reuelauit, Verumetiam morte sua ab aeternis poenis ac cruciatibus redemptis, donauit lucem, iusticiam & uitam aeternam in cordibus sancto suo Spiritu obfignatam: Nos ergo quanto magis & doctrinam de Deo diligenter cognoscere, & omnium liberalium disciplinarum studijs, Ecclesiae ac Reipub. maxime necessarijs summa cura atque diligentia inuigilare, ac in omnibus uitae ciuilibus officijs modestiam coetu literario dignam praestare decet.

Multo

Multorum (proh dolor) in animis, sincere religionis agnitæq; ueritatis amor idcò nūc frigescit, imò extinguitur penè, quòd uel palàm Epicurei fiunt, uel studia doctrinæ cœlestis, iuris & honestarum artium negligunt, uel petulantia ac malitia ingeniorum nouas ac portentosas opiniones gignunt, nec tam eruendæ ac defendendæ, quàm oppugnandæ & euertendæ ueritas in omni disciplinarum genere, studio tenentur, incensi scilicet emulatione & inuidia. Quam seculi nostri infelicitatem non immeritò omnes boni & intelligentes profundis gemitibus deplorant. Quàm squalida enim, quàm tristis & misera Ecclesiæ ac Reipub. facies paulò post futura, quamq; tetra barbaries secutura sit execrandam atatis nostra licentiam & peruersitatem, non difficile est æstimare ijs, qui uel præsentem orbis terrarum statum animo complectuntur, uel de posteritate solliciti, exorituræ confusiones maiores præfagiunt, Quæ ipsa cogitatio, nunc spe, nunc metu permixta non rarò animum quoq; nostrum grauiter percellit:

καὶ ὅτι ἐμοὶ νόος ὄστιν ἐναΐσιμος, οὐδὲ μοὶ αὐτὴ, θύμος ἐνὶ στήθεσι σιδ' ἤρεος, ἀλλ' ἐλεήμων.

Vt Homericæ utar sententia. Deum autem æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ne misericordiæ suæ obliuiscatur, Sed ut semen alicubi pium seruet, ac pœnas imminentes pro immensa bonitate sua mitiget, atq; impios & hostiles conatus eorū qui orbi Christiano, Ecclesiæ ac Reipub:

exitium moliantur, reprimat, καὶ ἐπι κακῶν, ἐπὶ πύρρα, ut in Græcorum est prouerbio.

Proinde cum partim Scholæ consuetudo, partim officij ratio dicendi necessitatem hoc tempore mihi imponat, Etsi cum propter ingenij doctrinæq; tenuitatem, tum uerò etiam propter occupationum ac studiorum ab hoc diserte eloquenterq; in hac doctissimorum uirorum corona dicendi usu quodammodo alienorum uarietatem, ac temporis (quo hæc scribenda erant) angustiam, nihil expectatione & auribus uestris dignum adferre possim, pauca tamen ex hoc loco dicam, ne ab usitata Scholæ consuetudine discedere, aut erga eum qui publico testimonio nostro ornandus est, parum officiosus fuisse uidear.

Sæpè autem aliàs de Legum ac professionis nostræ utilitate & dignitate dici audiistis, nec dubium est Iuris doctrinam ex Decalogo extractam lumen ac præsidium esse humanæ societatis, quæ nihil unquam boni optabilius, nihilq; præstantius mortalium generi dari potuit. Nunc uerò aliud deligam argumentum, ac de uita, ingenio, & doctrina BARTOLI Legum Doctoris ac interpretis clarissimi pauca recitabo. Quæ, ut spero, in hoc præsertim cœtu, in quo non nisi uiros doctissimos & æquissimos de Iuris scientia censores cerno, neminem offendent.

Barbara enim & peruersa eorum iudicia qui

ceū Gorgias apud Platonem legem tyrannum esse censent, uel morosis & iniquis iudicijs, interdum etiam calumnijs, professiones alias prægrauant, ac genuino mordent, adeò non moror, ut morbo illorum potius remedium quærerere, quàm æmulatione uel inuidia mutua cum eis certare uelim. Esse enim singulis disciplinis earumq; professoribus sua dona & ornamenta, non nisi Theonimo dente rodentes omnia, inficias ibunt.

Ceterum quod Cicero inquit: Nullam unquam magnam uirtutem sine adflatu diuino extitisse, id cum de togatis, tum bellicis artibus uerum esse, nihil dubium est.

Heroicæ enim nature principaliter & immediate ab ipso nature impetu diuinitus incitantur. Sic Alexander, Scipio, Cæsar, non populari laude, uel commodis, sed natura duce ad fortitudinem accenduntur, ac opera faciunt alijs inimitabilia. Archimedem & alios in Mathematicis disciplinis artifices, motus cœlestes tam exactè sine diuino ingenio imitari non potuisse, quis negabit? Nec Poëtam graue plerunq; carmen sine cœlesti aliquo mentis instinctu fundere, nec eloquentiam sonantibus uerbis uberibusq; sententijs abundantem, sine ui quadam maiore fluere, docti omnes ut fateantur, necesse est. Ac plerunq; tunc, cum Deus uel res magnas geri & politias constitui, uel studia religionis, iuris, Medicinæ, & literarum excitari uoluit, ingenia quoq; tantis rebus paria (quemad-

modum uniuersa mundi historia plurimis exemplis testatur) exuscitauit, Nam ut sacra hic exempla Moysis & aliorum prætereamus, quis nescit diuinam & immutabilem Platonis & Aristotelis in Philosophia doctrinam? Quantam Galeno in arte Medica præstantiam Medicorum schola tribuit? Nostra quoq; ætate cum Deus pulsus errorum & inscitæ tenebris, doctrinæ puritatem ac literas instaurari uoluerit, quàm heroica ingenia pietate, sapientia, eruditione alijsq; uirtutibus præstantissima excitauit?

Sic diuinitus excitatum esse Lotharium Imperatorem, Saxonum ducem, ut leges Romanas, non multis annis post Iustiniani imperium, Italia intestinis bellorum motibus, flagrante, iniquissimis Longobardorum constitutionibus oppressas, in Scholas ac forum reuocaret, grati agnoscimus.

Inter eos uerò qui illustrandis explicandisque postea legibus operam nauarunt, diuina quasi uocatione, principem obtinere locum BARTO=LV M, de quo nostra est instituta oratio, cum scripta illius, tum omnium eruditorum testimonia comprobant. Nec dubium est, absq; diuino adflatu ac motu, tam sanos, tamq; iustos, legibus, rationi, & equitati congruentes intellectus, illum parturire aut gignere, ac difficillimarum controuersiarum nodos dissoluere & explicare minime potuisse.

Natus est autem Bartolus Anno 1309. Ac ut ipse alicubi refert, puer præceptore usus est Petro de Assisio, cuius eruditionem & integritatem magnopere prædicat. Ab eo prima elementa tanta felicitate, & celeritate didicit, ut uix annum ætatis 14. egressus, ad Iuris ciuilibus studium in urbe Perusiana animum applicauerit, ac annis postea sex elapsis, cum Cyni, Iacobi Butrigarij, & Reyneri Forouliensis discipulus fuisset, Bononiæ publice de iure summa cum laude responderit, Anno uerò sequenti ætatis suæ 21. titulum ac insignia doctoratus, incomparabilis ingenij, doctrinæ, & industriæ suæ præmia à Gymnasio Bononiensi acceperit. Id excellentis naturæ & admirandi ingenij argumentum esse facile quiuis concedet. Cumq; (ut Q. Mutus Seruio Sulpitio respondit) turpe sit patritio & nobili uiro causas oranti, ius in quo uersatur ignorare, quantum in Bartolo decus fuisse censemus, tam solidam perfectamq; iuris scientiam? Paulò post, cum ea quæ magno studio libris Iurisconsultorum hausisset ad usum transferenda, & in praxi negotijs applicanda esse intelligeret, ad fori actiones sese contulit. Tuderigitur, cum criminalium causarum assessor factus esset, & iudicis prudentis & Iurisconsulti peritissimi officio eo usq; functus est, donec res illi sanè peracerba accidisset. Cum enim uel sua culpa, uel inuidientium calumnia malè audire cœpisset, quòd legibus non satis perpensis, sententiam durio=

duriorem aduersus reum ad furcas immeritò con-  
 demnatum tulisset, siue conscientia, siue calumnia  
 illa perturbatus, functione deserta, rursus ad li-  
 bros ac studia secessit, in locum sancti Victoris,  
 non procul à Bononia situm. Ibi cùm euoluendis  
 legum uoluminibus aliquamdiu tempus consump-  
 sisset, ad publicam professionem accersitus Pisas  
 concessit, ubi anno ætatis suæ 25. celebrem illam  
 repetitionem L. Si is qui pro emptore ff. de usuc-  
 cap: conscripsit. Postea Perusium sese contulit,  
 ubi maritus factus, tanta cum celebritate & ad-  
 miratione iuris doctrinam in Schola tradidit, ut  
 summam nominis famam ac gloriam adeptus, præ-  
 stantissimi I. C. nomen in Italia solus, dum uiue-  
 ret, tueretur, & ad illum audiendum maxima un-  
 dequaq; studiosorum turba conflueret. Præcipuus  
 uerò ex discipulis illius fuit Baldus, qui non tan-  
 tum excellentem ingenij sui ac memoriæ uim in  
 disputationibus, Bartolo uiuo probauit, uerum e-  
 tiam mortuo eo in doctrinæ & honoris ipsius  
 quasi possessionem præ reliquis successit. Tantam  
 enim Baldus iuris cognitionem consecutus est, ut  
 nihil in iure ignorare à plerisq; dicatur. Ac re-  
 fert is Bartolum præceptorem suum semper te-  
 nuisse opiniones Laicis placentes, hoc est, quæ ad  
 intellectum communem & æquitatem propius ac-  
 cedunt, unde multum sibi honoris conciliauerit.  
 Sapiens omnino ea in re Bartoli consilium fuit,  
 quod in obscuris iudicium potius rectæ rationis

Et æquitatis prudenter sequi, quàm nimiam præcisionem aut subtilitatem sequi uoluit, cum ut I. C. inquit: In quæstionibus de bono et æquo, plerumq; sub autoritate scientiæ iuris, periculose eretur. Fuit enim uerè in Bartolo sapientia excellens, summa bonitate temperata, quo temperamento pulchrius nihil est et dulcius.

Non fuit tamen Bartoli quantumuis diuino ingenio præditi fama à calumniatoribus tuta. Solet enim inuidia (quam eleganter Socrates ulcus animæ appellauit) doctrinam ac uirtutem non aliter atque umbra corpus comitari, atque ut apud Pindarum dicitur: πρὸς τὸν ἔχοντα ὁ φθόρος ἔπειτα. Famæ igitur illius inuidentes. Alij memoriæ firmitatem in eo desideratam, Alij alienæ laudis occultatorem eum fuisse calumniantur, propterea quòd Francisci Tigrini legum professoris opera in Perusio frequenter uti consueuerit, sibiq; aliena industria laudem comparauit. Nonnulli illud quoque uitio ei uertunt, quòd similiter ueterum quoq; nomina tacuerit, eorumq; inuenta sibi uendicari, quod an sugillandi illius causa tantum, an uerò merito eius fiat, incertum est. Verum cum fieri nequeat, quin multa scribens, ab alijs quoque aliquid mutuetur, et inuentis quædam uel addat, uel detrahat, nullam prorsus ea reprehensio labem Bartolo asperget, ac si quid hac in parte deliquit Bartolus, iustus multò uituperandi sunt pleriq; ex eo numero censores, qui cum prolixos commenta-



rios ex alienis consuant, & centones compilent, raro aut nunquam furta ipsi sua produnt, Sape etiam non ueritatis inuestigande & querende studio, Sed stulta emulatione, *Ἐλαυνεῖα* & *Ἐλαυτιὰ*, interdum etiam iudicij errore, Bartoli decisiones, legibus & æquitati consentaneas, sophistice oppugnant, & rectis sententijs caliginem inducunt. Vsitatus is quidē prauis ingenijs morbus est, ab alijs rectē dicta cauillari Pyrrhonio more, omnia in dubium uocare, & nullius quantumuis benē dicta aut facta probare, Sed falsa sapiētiæ persuasione omniū utiles labores ac conatus inuidiose carpere, ac præ se cōtemnere, quibus tandē accidit, ut nec secū ipsi consentiant, iuxta Menandri uersum, *ὁ φθόνος ἄντῳ πολέμιος καθίσταται*. Sed cum bonos ac sapientes uiros candor & integritas maximē deceat, non è scholis tantū, (in quibus candidas esse Musarum ianuas Græci uoluerunt) Sed ex uniuerſa quoq; hominum consuetudine sophistica redegetur & exterminetur.

At in omnibus an Bartoli decisiones probemus, nec ulla in re ab illius iudicio & calculo discedendum putemus, quæris? Quantum illius cum ingenio omnibus numeris absoluto, tum autoritati longa annorum serie confirmata tribuamus, non obscure ostendimus, ab opinionibus tamen illius, ut quibusdam in causis non satis ab eo explicatis discedamus, legum ac rationum autoritate mouemur. Nec probamus quorundam sententiam, qui uel à  
glossis

glossis uel à Bartolo nunquam discedendum arbitrantur, etiam in his, ubi proprio eorum constet iudicio, diuersum in iure uerius esse, imò ipsas communes opiniones (ut uocamus) tunc demum recipiendas censemus, si ex ueritate, textibus scilicet & rationibus, non autem ex conspirato fauore eorum prodeant, qui nō satis perpensis rebus ambitiosè suis blandientes sententijs communis sententię titulo ac prętextu, uelut Gorgone, ad ueritatem terrendam abutuntur, Neq; ideo minus honorificè de Bartolo sentiendum est. Nam ut nec Homeri Poëtę, nec Apellis pictoris præstantissimi uel poëma uel tabulam ideo contemnimus, si impar unius uersus sit elegantia, aut in aliquo picturę παπέργω macula appareat, Sed corpus totum propter artis præstantiam ac dignitatem suspicimus & admiramur: ita Bartolo ueritatem iuris ex magna opinionum confusione & obscuritate religiosè ac candidè inquirenti, ac corpus quoddam iusticię ac æquitati conforme colligenti, ignoscendum est, si alicubi, uelut lōgo itinere defessus pede altero impingens hallucinetur. Nam ut in ueteri est uersu, ὀυδὲ ἴσ' ἀνθρώπων ὄσιπ' ἀπὸ τὰ σοφῶς.

Sed & aliud grauius crimen Bartolo à recentioribus quibusdam scholis obijcitur, quę illum ceu barbarum ex Gymnasijs relegandum censent, de quo paulò post dicemus.

Ceterū ut prætereamus plurima alia illius ἐγκώμια, quę prolixè à Iafone & alijs cōmemorantur, (neq;

(neque enim libet hic scripta Bartoli, in quibus ingenij, doctrinae, ac sapientiae suae magnitudinem expressit, recensere, & quae illius γνήσια, quaeque supposititia sint, ostendere, cum alterius id sit loci ac temporis) summam in Bartolo iam senescentate discendi auiditatem, iuuenes non admirari tantum, sed & imitari decet, uel alio quoque Iuriconsulti Iuliani exemplo, qui se etiamsi alterum pedem in sepulchro haberet, addiscere uelle dixit, Quod ea sola recta uiuendi ratio esset. Nam cum prouentiore iam esset etate Bartolus, didicit tamen Hebraicam linguam & Mathematica, (quorum usum ad Iuris quoque ciuilis interpretationem in commentarijs suis transtulit) nec alia liberalia studia, ut μισόκαλοι fastu turgentes, & insulsi nunc quidam faciunt, contempsit. Quod ipsum arguamento est, eum si in feliciora et eruditiora tempora, ac praecipuos doctiores incidisset, humanitatis, linguarum ac historiarum studia minime neglecturum fuisse ac iniuriam fieri Bartolo ab istis, qui eum uel ignauiae uel malitiae suae, quod nihil liberalium artium discunt, & ingenuas disciplinas odio habent, pretextum ac patronum querunt.

Postremo non in scholis tantum Bartolus clarus, sed & in admiratione apud summos principes fuit. Imperatoris enim Caroli IIII. consiliarius factus, praemia ab illo doctrina ac uirtute sua digna tulit. Nam non solum ipsum, sed & totam eius

eius posteritatem insignijs alijsq; egregijs priuilegijs Imperator Carolus quartus ornauit & illustrauit, ac ut ipse meminit in tractatu suo de insignijs & armis, Leonem rubeum cum caudis duabus in campo aureo, ceu uirtutis ueraeq; nobilitatis, (quæ ex uirtute non ex pagorum septis, aut agrorum pulueribus nascitur) testimonium, Caesar illi donauit. Cursu uerò suo feliciter absoluto mortuus est Bartolus Perusij, Anno Domini 1355. ætatis uerò suæ 46.

His breuiter de uita ac studijs Bartoli commemoratis, calumnia eorum, qui Bartolum ideo à pulpitis Iuriconsultorum arcendum et explodendum putant, quòd eloquentiæ, elegantiorisq; literaturæ studia cum iuris scientia non coniunxerit, nobis refutanda est. Est enim hac de re inter nostri præsertim seculi Iuris professores bellum paulò minus Troiano. Cœpit autem hæc contentio statim cum legum interpretatione, ut ex uetustis autoribus & scriptis Ciceronis quoq; apparet. Is enim suo quoque tempore questus est, dissimilem Iuriconsultos docendi rationem sequi, & indoctorum tabularum inscitiam non rarò taxauit. Sic in inscitiam Publij Consiæ, qui se Iuriconsultum iactabat, cum tanquam testis interrogaretur, & se nihil scire diceret, Cicero iocatus est. Disce quæso ait, fortè de iure te interrogatum credis. Ac scribit idem, Iuriconsultos siue erroris obijciendi causa, quo plura & difficiliora scire uideantur,

siue ( quod similius ueri est ) ignoratione docendi. Nam non solum scire aliquid, artis est, sed quaedam ars etiam docendi ) saepe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartiuuntur. Fieri id nostra quoque aetate ab ijs qui nulla prorsus humaniorum literarum cognitione tincti sunt, salua quis fide haud neget. Accidit tamen Ciceronis quoque seculo, ut non obscura inter Oratores, & Iuriconsultos esset emulatio, tergiuersationum & reprehensiuum nutritrix, cuius, nec ipse prorsus expertus fuit. In oratione enim pro Murena, Iuris scientiam tanquam cognitu non difficilem extenuare uidetur, sed tempori ut arbitror, inseruiit, nec tam ex iudicio quam ex clientis commodo pro tribunali dixit, siquidem alibi, & in oratione pro Cluentio ius ciuile uehementer extollit, & ad Trebatium scribens eam scientiam ex libris per sese cognosci non posse, doctoremque & lumen desiderare testatus est, Imò perfectum oratorem absque solida iuris cognitione existere haud posse, pluribus in locis contendit.

Valla autem suae professionis oratoriae, in qua excellere poterat oblitus, non uulpis ut Lysander, sed Leonis, ut sibi persuasit, pelle adsuta, Ciceronis κακοζηλία, aut nimio ingenij feruore seductus, aut contentionis rixandi que studio, ut existimo, nimia in reprehendendo παρρησία usus ( ne quid grauius dicam ) non tantum Bartolum aliosque legum interpretes, sed & ipsos ueteres illustres Iuris  
autores

autores exagitare non erubuit, quasi & Latini sermonis puritatem neglexerint, & inter sese dissideant, cuius Thrasionismos ab Alciato, Zasio, & alijs doctissimis uiris satis refutatos, ne φῶς τῶ ἡλίου φανίζεσθαι uidear, nunc quidem prætereo. Budæus quoq; nulli doctrina secundus, longius interdum animi commotione uectus, ac fortè in suo theatro ab indoctioribus irritatus, satis acerbè in Accursium & Bartolum inuehitur, cui ideò facilius quàm Vallæ ignoscendum est, quòd in aliquibus Iuris partibus illustrandis non contemnendam præstitit operam, ac multis tamen in locis de feruore suo nonnihil remittit, eosq; tantùm Accursianos (sic enim nominat) à se reprehendi & taxari ostendit, qui nullum Iuris peritum esse posse putant, uel uolunt potius, non eundem latinitatibus contemptorem, quiq; in obreclationem meliorum literarum præcipites acti, nullo delectu autores omnes Latinos, præter Iurisconsultos antiquos, interdiceret suis solent.

In hoc Budæi iudicio nihil ego quidem reprehensione aut inuidia dignum animaduerto. Infelix enim (ut mollissimè dicam) in Germaniæ quoq; scholis superioribus annis, quorundam Iuris Professorum fuit opinio, artium linguarum et historiarum studia non tantùm Iuris scientiã minimè decere, sed ut pestem legum omnibus fugiendam esse, cum reuera non aqua & igni pluribus locis uti possi-

mus, quàm Oratorum, historiarum & Poëtarum  
 autoritate, quod ipsum erga liberalia studia odium  
 non nisi ex ignorantia natum erat. Neque tantum  
 ipsa studia oderant, ut Alciatus in Paradoxis  
 queritur, sed & iudicibus & Causidicis eruditio-  
 ribus tanquàm transfugis aut deliris, qui à uera  
 germanaq; Accursianitate (ut Budæus falsè lo-  
 quitur) descuiissent, insensissimi erant. Seculi ta-  
 men illius crassioris infelicitatem potius accusan-  
 dam, quàm Professores ipsos, qui sic sentiebant,  
 notandos censeo, propterea, quòd in eo numero  
 multos uirtute, doctrina & integritate præstan-  
 tes fuisse uiros meminimus, qui etiamsi arte desti-  
 tuerentur, naturæ tamen scelicitate ac dono, sum-  
 mam prudentiæ, dandorumq; consiliorum, ac re-  
 gendorum iudiciorum laudem reportarunt. Hi si  
 in tempora scelicitiora & cultiora incidissent, nec  
 communi eius ætatis errore, qui (ut leges alicubi  
 loquuntur) Ius illis pepererat, persuasi ac seducti  
 fuissent, pro excellenti ingeniorum suorum ui,  
 longè aliam sententiam secuti fuissent. Porro, ut  
 ad propositum reuertar, non tantum ab Oratori-  
 bus seu Rhetoribus, ac Sophistis potius hæc mo-  
 ta, sed in ipsis Iurisconsultorum gymnasijs infeli-  
 citer nata est, adeoq; multorum nunc occupauit  
 animos ac sensus, ut nullus stylo pugnandi ac ma-  
 ledicendi modus aut finis sit, Imò absque his libris,  
 Bibliothecæ typographorum prorsus frigere ui-  
 deantur. Fitq; ut non sine magno Reipub. malo,  
 nimium

nimum altercando uera discendi ratio, imò ipsa iuris ueritas penè amittatur.

Galliæ Iuriconsulti, qui Biturigibus, alijsq; eius regni in scholis docent, cum Tholosanis, Pictauiensibus & Aurelianensibus, de Iuris discendi & explicandi ratione multos iam annos rixantur, & subinde id bellum nouis editionibus recrudescit. Hi enim, cum Bartoli uestigia aliorumq; Italiæ Doctorum, qui nostra quoq; ætate floruerunt, docendi interpretandiq; Iuris rationem sequantur, malam apud illos, qui Bartolo iniquiores, exactam latinitatis potius, quam doctrinæ salubrioris curam in Iuriconsulto requirunt, gratiam incunt, quasi à recto iudicio ac uero discendi docendiq; tramite prorsus aberrant. Ac habet utraq; pars suæ sententiæ non rationes tantum probabiles, sed & diuersa doctissimorum passim hominum studia. Quæ igitur inquis, in ea docentium dissensione uerior sententia & melior tractandi Iuris ratio est? Difficile mehercle, imò & periculosum est, mari hic sese committere. Neq; ego mihi iudicium de uarijs eruditissimorum hominum scriptis, deq; eorum certamine, quod antehac doctissimi uiri alij dirimere aut sopire nequiuerunt, sumo, ne uel Δελφῖνα ἢ Χεῶνα δῖδασκειν, ut est in pro- uerbio, uel audacter aut temerè autoritatem interponere meam uoluisse uidear.

Veniam tamen, ut spero, mihi dabit, si pro ea, qua Iuris studiosos complector beneuolentia huius



controuersia summam in gratiam illorum paucis  
 exposuero. Consistit autem, meo quidem iudicio,  
 hæc disceptatio in tribus discentium aut docentium  
 generibus. Quidam enim relictis ac spretis  
 prorsus fontibus, ad lacunas, ut dicitur, aquatum  
 eunt, nihil eruditionis aut literarum curant, imò  
 eas Iuriconsulto euasuro dedecori ac impedimen-  
 to futuras opinantur, seq; tunc Vlpianos aut Sce-  
 uolas esse censent, cum interpretum Iuris scripta  
 obiter & per transfennam adspiciunt, totiq; in re-  
 pertorijs conficiendis & peruoluendis sudant, uel  
 inter hos diligentiores etiam cōmentatorum libris  
 omnibus absq; iudicio peruolutis, in cathedra &  
 subsellijs sine modo rixantur, seq; tunc subtiles præ-  
 dicant, cum opiniones opinionibus accumulunt,  
 nouisq; sententijs ab antecessorum doctrina alie-  
 nis, paginis replent, ac pro ueritatis explicatione,  
 uanitatum plaustra Scholis obtrudunt. Sic uide-  
 mus non paucos etate posteriores, seniorum sen-  
 tentijs aduersari, rectè dicta labefactare, & in spe-  
 cimen excogitatis argumentis conuellere, hancq;  
 summam ingenij laudem ducere, si in omnibus e-  
 gregiè sint *Ἐξαρνήτικοὶ καὶ ἀνυλογοικοὶ*, ut de  
 filio suo ille apud Aristophanem inquit, cum nec  
 uulgaris ingenij Professoribus difficile sit nouas  
 excogitare sententias, & Academico more omnia  
 in controuersiam uocare. Facilius est enim destru-  
 ere, quàm construere, ut Aristoteles inquit. Hi dum  
 Accursij & Bartoli imitatores, imò & his similes  
scse

se se iactitant, longissimè tamen ab ingenijs & doctrina illorum absunt, propterea, quòd illi certis doctrinarum limitibus ac cancellis Ius nostrum concluderunt, ac interpretationis modum seruarunt, Non igitur solidam Iuris scientiam, quæ præsertim apud doctos & literis excultos in admiratione sit, & legum non barbaricè aut insulsè, sed eleganter, & ex ipsis Philosophiæ ac doctrinæ liberalioris et secretioris fontibus conscriptarum Professores deceat, primi generis Doctores assequuntur.

Ac tametsi umbram Iurisprudentiæ aucupantur & consequuntur etiam, et in foro suos habent applausus: tamen infaustus ille omnis literaturæ contemptus facit, ut prudentum, bonorum & solidè eruditorum Iurisconsultorum nomen in scholis tueri haud possint. Sæpè enim historiarum ac linguarum inscitia in re penitus clara eos hesitare, & dum lucem rebus adferre conantur, tenebras accersere necesse est, sicut in editis quorundam, repetitionibus & lecturis uidere licet. Eam igitur cognoscendi aut docendi Iuris rationem iuuenibus per omnia sequendâ non esse, nemo ut reor, intelligens negabit. Artium enim & linguarum cognitio quæ ueram methodum ostendit, ac hominum iudicia format, non ornamentum tantum, sed & præsidium est singulare religionis ac Iuris. Nec uideo qua ratione, absq; impudentis calumniæ nota, quidam male feriatum errorem suum honestis ingenijs probare queant, qui censent, nullum esse

Iureconsultum posse, qui latinè & eleganter loqui  
 sciat, cum antiquos uel 12. tabularum, uel rescrip-  
 torum uel edictorum interpretes, uideamus &  
 doctè & eleganter scripsisse. Atque eorum ex nu-  
 mero Herennius Modestinus non solum quedam  
 Græcè à se scripta edidit, uerumetiam condendi  
 carminis gnarus in Vergilij opus Periochen com-  
 posuit. Antistium Labeonem omnium disciplina-  
 rum cognitione excelluisse Gellius tradit. Atte-  
 um etiam Capitonem, non minus eloquentia, quàm  
 reliquarum artium scientia claruisse Tacitus me-  
 minat. Solon legislator, humaniorum studiorum  
 autoritate Reipub: Atheniensi causam obtinuit.  
 Cum enim Athenienses & Megarenses de Salami-  
 nos Insulæ possessione contenderent, Solon sue  
 Reipub: causam ( ut Plutarchus, & Demosthenis  
 interpretes refert ) Homericò uersu, cui aliud simul  
 carmen ex sua subiunxit Minerua, defendisse di-  
 citur, propterea quòd posteriorem illum à Solone  
 recitatum ac factum uersum Homeri esse iudices  
 arbitrati, autoritate uatis moti, ac si Salamin omni  
 memoria hominum Atheniensium propria fuisset,  
 pro Solone sententiam tulerunt, quæ ingeniosa  
 fallacia ab eruditione nata, fructuosa Atheniensi-  
 bus, Soloni uerò honorifica semper fuit.

Contra alij delicatiores nimium uerborum le-  
 nocinium sectantes, res ipsas deserunt, Glossas,  
 Bartolum, Baldum, & hoc genus alios scriptores,

(in quibus etsi minor Latinae linguae elegantia, rerum tamen pondus admirabile est) odio habent. Hi superficiariam Iuris cognitionem habentes, si uerba quaedam Latina aut Graeca, in textibus paulo quam ceteri commodius & elegantius interpretantur, uel historiam fortè aliquam, aut scriptoris antiqui sententiam ad id quod explicandum susceperunt, bellè detortam in medium adferunt, uel Graeca aliqua sententia locum Iuris illustrant, hic cristas erigunt, altoq; supercilio aliorum scripta contemnunt, nec tamen difficilem aliquem Iuris articulum attingunt, aut usum legum auditoribus suis, rerum omnium foriq; actionum ipsi ignari, ostendere possunt, unde fit, cum recta fundamenta non iecerint, ut raro ad frugem bonam perueniant.

Horum morositatem, nimisq; teneram & delicatam de legibus foriq; actionibus censuram nequaquam studiosis probandam esse iudico, quantumuis magno ardore ac amore literarum humaniorum studia ab ineunte usque aetate ego quoq; persecutus sum, atque nunc etiam haud fucato ea complector fauore. Solidam enim, non mancam aut mutilam Iurisprudentiæ cognitionem requiro, nec moror querelas aut contentiosa scripta eorum, qui in hoc doctorum genere, multorum quidem bonorum scriptorum, quibus historiae, tum Latinae tum Graecae illustrantur, in publicum emittunt, sed parum succi, quo Reipub: obscuris in

causis, aut reis laborantibus, succurri queat, è legibus sugunt ipsi, aut discipulis suis instillant.

Tertium ac postremum genus eorum est, qui cum rerum cupidissimi ac studiosissimi sint, uerborum tamen ita curam habent, ut interim res non minus expendant, Glossas quoq; Bartolum ac ceteros interpretes, etiamsi alicubi literarum & historiarum imperitia lapsi sunt, adeò non fastidiunt, ut & familiarissimos illos sibi esse cupiant, & debitum eis honorem tribuant, cum in textuum ac materiarum explicatione, uelut Mercurio quodam ad Iuris Iusticiæq; custodiam ducti, perpetuis uehendam laudibus operam præstiterint, Ac temporis potius iniquitatem quam illorum culpam, quòd latinitatem puriorem non retinuerint, accusant, nullum cum Plinio librum tam malum esse existimantes, ex quo aliquid boni decerpi non queat, atque ita ex illis optima quæq; colligunt, non alienum à Lucretij præcepto facientes, cum inquit:

Floriferis, ut apes, in saltibus omnia libant,  
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Hanc cognoscendarum, tradendarumq; legum rationem, primus nostra ætate in Italia Alciatus, in Germania uerò Zasius secutus est, qui quidem in eodem curriculo ἐν σοχέζοντες, summa cum laude contenderunt. Ac imprimis Alciatus eam tanta felicitate absoluit, ut pauci hactenus eam perfectionem adfectare, nedum assequi potuerint.

Nec

Nec improbat is eam interpretandarum legum rationem, cum pronunciata seu notabilia quædam ex textibus colliguntur, glossæ excutiuntur, & Bartoli oppositiones explicatur, imò pinguioris Mineruæ scholasticis utilem esse affirmat, si modus adhibeatur, nec nimis longa interpretatio studiosorū conatus remouetur, atq; eandem exponendarum legum rationem eum secutum esse, commentarij illius ab exactione, iudicio & annis maioribus profecti testantur, in quibus nec ordinem Bartoli sequi, nec reliquorum Doctorum antecessorum suorum auctoritatem adducere, illum puduit, quod ipsum quoq; ab Angelo Aretino, (Alciati testimonio) Græcè ac latine disertissimo, & Iasone eloquentissimo Iureconsulto factum esse, lucubrationes illorum ostendunt.

Etsi autem non desunt è medio illo Doctorum genere (quorum nomina sciens prætereo) qui clarissimos illos nostræ ætatis Iuris interpretes, q; in alteram Bartolinæ, scilicet scholæ partem nimium inclinarint, scenæq; ac tēpori inseruerint, fugillent, ac quodammodo fidem et constantiam illorum suspectam reddere conentur, Eas tamen ab inuidia magis q̄ incorrupto iudicio profectas reprehensiones leuiter curandas esse censeo, cum scripta eorū, quæ ab hac calumnia illos facile uindicant, in oculis & manib. sint omnium, nec dissimiles sunt aliqui, qui imitatione Alciati aut Zasij gignendis nouis legū in intellectib. sese excruciant, Simijs humanas  
operas

operas imitantibus. Alciatus enim non tantum Latini sermonis elegantia leges illustrat, sed ipsa Iuris medulla ex Bartolo alijsq; scriptoribus hausta ac in succum quasi suum conuersa, quæ in foro, iudicijs, ac difficilimis controuersijs usui esse queant, perplexis opinionum labyrinthis discussis, in medium profert, nec adeo uel superstitiosus uel tener est, ut scriptorem rebus abundantem optimis ob uerborum simplicitatem aut tenuitatem fastidiat. Imò de Accursio, Bartolo & id genus alijs Doctoribus scribit, fuisse eos maximos Iurisconsultos, qui etiam apud ueteres locum suum tenere potuissent, etiamsi ne summis quidem labris alias artes attigerint, ac mirari sese ineptam censuram eorum, qui grauisimo supercilio & fluentissima scaturigine hoc solum nomine in eos inuehuntur, quòd bonarum literarum fuerint rudes, quasi quisquam sanus ideò minoris excellentem Astrologum faciat, quòd Musicam ignoret, aut Galenum præstantissimum Medicum damnet, quòd Euclidis circinum nunquam in manus sumpserit. Fuit in Bartolo diuina quedam ostendendæ uerioris iustiorisq; in rebus obscuris sententiæ dexteritas, & summum in conferendis legibus, earumq; casibus distribuendis iudicium, ut ex distinctionibus illius uidere licet, quibus non aliter ac Lesbia regula in difficultium controuersiarum decisionibus utimur. Has ideò contemnere, quòd alicubi minus latina sit oratio, stultitia est. Nam cum qualibet ars sua ha-

beat

beat uocabula, Iureconsultis quoque suis uocabulis necessario utendum esse quis negabit? Quæ licet aliquibus barbara et incondita esse uideantur, non idcirco tamen noua prorsus fingenda sunt, quæ nemo intelligeret.

Quemadmodum igitur Poëtices aut Oratorie studiosi optimum quemq; autorem sibi imitandum proponunt, Ita legum tyrones postremam hanc discendi Iuris uiam sequantur, ac quantum cuiusq; ingenium & Minerva concedit, eorum qui medicum inter prima duo doctorum genera (rerum scilicet ac uerborum pondere coniunctio) tenent, exempla sibi imitanda proponant, ita scilicet, ut à Bartolo ueritatis in Iure magistro, reliquisq; probatis scriptoribus res ipsas gnauiter discant, & literaturam elegantiore, quæ in linguarum & historiarum cognitione consistit, & egregium Iurisprudentiæ ornamentum est, Alciati, Zasij, Viglij, Tiraquelli, & aliorum nostri seculi eruditissimorum Iureconsultorum exemplo non omnino negligant, Nec si statim ad perfectionem adspirare nequeant, ideò odium aduersus literarum ac linguarum mitiora studia concipiant, aut prorsus de progressu in legum cognitione desperent. Nam & in secundis consistere sufficit, si prima assequi nequeamus, & Oratoriæ scientiam ita Iureconsulto necessariam esse censendum est, non quòd corpus efficiat, sed superficiem potius Iuris colore.

Verum



Verum conciliatione hac nostra fortassis secundo illi docentium generi nondum satisfactum est, propterea, quod hi non tantum nouam Iuris elegantius tractandi artem proponere, sed & antiquum Romanorum ius, actionumq; ueterum formam in forum reuocare, et legum intellectus multis iam seculis communiter in Scholis & iudicijs obseruatos è medio tollere, ac nouum quodammodo ius constituere uelle uidentur. Speciosa equidem huic proposito argumenta quærentur, partim ab antiqui Iuris ac processus æquitate & simplicitate, partim uerò ab inuectis contra genuinum ueterum legum sensum opinionibus sumpta, quibus Bartoli iugulum petitur.

Quapropter non tam defendendi Bartoli causa, quem & meriti sui erga Rempub: magnitudo, & consentiens tot seculorum approbatio absque nostro patrocinio facile tuetur, quàm ut eorum qui in legum tyrocinio uersantur, & scripta quorundam cruditiſsimorum sanè in literis hominum in hanc sententiam euulgata legunt, iudicia formentur, pauca de his subiicienda censeo.

In singulis enim eorum qui huic sectæ addicti sunt, paginis, penè inuenias repetitum, nullam esse utiliore[m] Iuris tractandi rationem, quàm si eorum simplicitatem imitemur, qui id nobis scriptum reliquerunt, ac pro exemplo sufficere posse, unum Ulpianum in commentarijs ad edictum Prætoris urbani, quibus nihil purius, simplicius aut elegantius

gantius reperiri queat. Nihil eos quoq; diuino Vlpiani & reliquorum eius ætatis clarissimorum Iurisconsultorum ingenio, incredibili doctrinæ & sapientiæ detrahimus, imò horum monumenta omnia, cum ipsa Repub: Integra posteritati seruata esse maximè optaremus. Verùm illud quoq; ut fateantur, nobisq; largiantur Critici illi, necesse est, veterum Iurisconsultorum quoque tantam fuisse dissensionem, tantamq; pugnantium opinionum uarietatem, quibus referti fuerunt illi, ex quibus Pandectæ descriptæ sunt, libri, ut uix ulla pagina esset, quæ non aliquot Iuris controuersi capita contineret. Ac conqueritur ipse Iustinianus Imperator talibus commentarijs factum esse, ut rursus confusa & in immensum producta fuerit Iurisprudentiæ.

Multò antè Cicero quoq; idem questus est. Nam in oratione pro Cecinna, de uario iure loquens (sic enim appellat) significat iam suo tempore rem eò redactam fuisse, ut qui uni Iurisconsultorum placeret, alteri displiceret, Suntq; similes apud illum querelæ multæ, Idemq; Iurisconsultorum inter se pugnantium sectæ et familiæ, hinc Sabianorum, illinc Proculianorum, satis comprobant. Hanc ne simplicitatem imitabimur, aut in Respub: nostras reuocabimus? Aut quod doctissimo illo seculo eloquentissimi sapientissimiq; tentare ausi nō sunt, nostræ ætatis sciolos, Ætæ restinguendæ laborem molientes præstituros speremus?

Fatetur

Fatetur ipse I. C. Caius, latis primis legibus, cœpisse (quemadmodum naturaliter euenit) ut interpretatio desideraret prudentum autoritatem necessariamq; disputationem fori. Quid futurum existimamus, si mutatis iuribus, conuersoq; cognitionum ordine, ac communium decisionum sublato consensu, uel ius antiquum restitueretur, uel nouum prorsus corpus (quod necesse foret) conderetur? An non noua interpretatio & disputatio fori secutura, nouiq; commentatores (ut ante Iustiniani tempora accidit) leges explicaturi, eademq; nobis querela, quarum supra mentio facta est, oboritura essent?

Atqui inquirunt, multa à Iustiniano, eiusq; consiliario Triboniano perperam intellecta, confusaq; in Codicis librum, & Pandectas relata, earum correctione digna esse concedes, nec discendi iuris rationem ueteribus Iurisconsultis usitatam, noua meliorem eruditioemq; esse negabis? Sint hæc sanè, (neque enim ignorant hi quoq; qui Bartoli scripta diligunt, multos passim in iure locos censura dignos esse.) Verùm quod partium quarundam neui uniuerso officient? Pulchrè quoq; sibi placeant scriptores illi, qui optimam iuris rationem ab Hermagora, Cicerone, Cornificio, & Quintiliano traditam in scholis reuocandam censent, suusq; oratoribus & Grammaticis in instituenda præparandaq; iuuentute locus sit. Sed ubi nunc sunt Hermagoræ, ubi Cicerones, ijsq; similes præ-

præceptores, quibus nostra iuuentus instituat? Aut quam (omnis absit assentatio) nobis illi ipsis iurisprudentiam tradiderunt aut reliquerunt, quas leges tulerunt, quas in foro causas solida iuris explicatione defenderunt aut obtinuerunt?

Sunt omnino scriptores isti laude dignissimi, atq; ab his qui ad solidæ eruditionis fastigium contendunt, studiosissimè perdiscendi. Aliorum uerò de Repub. præclare meritorum laudibus præconia illorum fraudi esse minimè debent. Cùm enim Bartolus & id genus alij doctores maximi iurisconsulti fuerint, qui locum etiam suum apud ueteres illos iuris uertices tueri potuerint, non dubium est uel Hermagoram, uel Ciceronem, si superstites essent, de illorum laboribus æquius iudicaturos fuisse, quàm noui hi Catones, quibus adeò nomen Bartoli sordet, ut à scriptis id suis, non aliter ac foetentes odores à grauidis medici arceant. Ceterum ut controuersia huius fundamentum & cardinem attingamus, illud nobis prætereundum non est.

Cœlestis quidem doctrina & Ecclesiæ ea conditio est, ut nullam diuini dogmatis mutationem, nulla decreta ab æterni conditoris decretis ac præceptis aliena uel his contraria admittat, imò aliud Euangelium docens, anathema habendus est, ut sacræ testantur literæ. Protulit enim Filius Dei ex sinu æterni patris immotam & immutabilem illius uoluntatem, quam nec angelis, nec ulli creaturæ

mutare, aut inflectere licet, Imò coeli terræq; prius moles concidet, quàm ut mandatorum diuinorum uel apex minimus labefactetur. Quam ob causam, unum ac perpetuum doctrinæ genus Prophetiis & Apostolicis libris comprehensum Ecclesiam sanctè custodire, nec noua uel dogmata gignere, uel traditiones humanas in Ecclesiam inuehere cuiquam, mortalium licet. Dissimilis uerò politiæ gubernandæ ratio est. In illa enim perpetuò easdem tantum & esse & durare leges, nec rerum humanarum fert conditio, nec temporum concedit ratio. Paulatim à condito mundo usq; leges humane creuerunt, nunc sublatæ, nunc mutatæ & emendatæ, nunc auctæ, nunc diminutæ sunt. Alias Solon, alias Lycurgus, alias posteriores eorum leges inueniunt. His tantus legum uelut Oceanus, qui adhuc extat, successit, quæ à summis magistratibus in hunc usq; diem non rarò pro temporum aut negotiorum circumstantiis, probabili aliqua ratione, corriguntur. Hanc condendi seu renouandi positio in iuris cum iure naturali & diuino non pugnantis mutabilem rationem Euangelium minimè improbat, nec politiam abolet.

Tametsi igitur ab antiqui iuris ratione, eiusq; simplicitate discessum, atq; alia uel tradendi, uel pronuntiandi iuris ratio, quam fuit quondam, à Bartolo eiusq; antecessoribus & successoribus suscepta, & longo nunc usu introducta esset, Vetustas tamen nullam iustæ querelæ, nec morosæ criminatio-

minationis aduersus iuris iudiciorumq; hactenus seruatorum rationem & ordinem (si candor in hoc æuo res intermortua penè adhiberetur) seruentioris Mineruæ homines causam habituri essent, præsertim cum posterior hæc Iurisperitorum schola, nec impias nec à rectæ rationis iudicio & equitate aberrantes sententias defendat.

Si quis autem in hanc professionem (quod & alijs accidit) abusus irrepserit, aut si quæ artificum errata inciderunt, ea in artem iuris transferenda non esse, sani omnes intelligunt. Nec si quorundam interpretum nimia prolixitas legibus obscuritatem & caliginem induxit, ideo Bartoli labor, qui hæc in re modum seruauit, & difficilissimas materias singulari dexteritate & fide explicauit, ac sententias iuri & equitati consentaneas ex magna illa disputationum confusione tradidit, extenuandus aut contemnendus est. Cumq; iuris ars tunc demum requirat artificem, cum negotijs accommodanda est, propterea quòd singula negocia suam quandam habent uarietatem, et raro generalibus formis iuris prorsus conueniunt (Tantum enim, ut Aristoteles inquit, difficilius est ars, quantum magis circa singularia uersatur) & in decisionibus singularium casuum Doctores nostri, uiri in Reip. et fori negotijs exercitatissimi (quos Barbaros illi insolenter uocant) plurimum præstiterint, ac in sedibus, ut dicitur, ordinarijs nihil quod aliquando usu uenire queat, intactum, inexplicatumq; relinquunt,

magna profecto illis gratia habenda est. Ab his enim, qui eam tractandi iuris uiam, quæ in inquirenda antiquitate potissimum uersatur, sectantes, intra priuatos tantum parietes delitescunt, nec in aciem prodeunt, & circa quorum pulpita, basia sola crepant (ut Martialis utar uerbis) nec contro- uersiarum obscurarum decisiones, nec ulla Reipub. aut iudiciorum fœlix gubernatio nobis speranda aut expectanda est. Quod si oratores illi & Βαρτολομαίσιγγες, antiquitatis tantum admiratores & presentium contemtores, seculum illud nobis antiquum reddant, Romanamq; illam Rempub. suo fato ac senectâ quasi languentem, Deniq; Iurisconsultos illos Vlpianum, Papinianum, Sceuolam & alios restituant, atq; (ut ille ad Quintilianum exclamabat) legiones nobis amissas reddant, ne illi multos in sententiam suam pertracturi & facile nobis persuasuri essent, repurgandi reformandiq; iuris eximiam spem reliquam esse. Sed de effœta hac mundi senectâ, quid queso nobis pollicebimur? Declamatores certè μεμψιμοίρους eruditione quidem uaria, quæ suam in scholis laudem meretur excultos, sed usu rerum exiguo instructos, qui de casuum decisione & iuris apicibus interrogati hoc sese nomine excusant, quod non forensam illam seu practicam, sed speculatiuam Iurisprudentiam didicerint, reformatores ἤτοι νόμοις nemo, ut arbitror, constituet.

Vident

Vident non illi tantum, sed alij quoq; uiri in iure præclare uersati, qui etsi cogitata à se non cartis statim illinunt aut prælis submitunt, cura tamen Reipub. maiore etiam fortassis quam Κισιόλογαφοι isti tanguntur, desiderari non pauca in eo labore posse, quem Iustinianus eiusq; consiliarij præstiterunt, & in commentarijs eorum, qui postea Ius explicarunt, Nec ignorant, quæ olim ueteris Iuris ratio fuerit, sed uel exemplo Iustiniani, uel rationibus etiam non leuibus moti, non temere hoc saxum, Sisyphi grauius, mouendum, iudiciorumq; ac cognitionum in iure formam tot annis mediocri foelicitate seruata, conuellendam censent, memores præcepti Græcorum, τὸ κακὸν εὖ κερδύον, καὶ κίνησον. Neq; enim semper tam quid fieri expediat, quàm quid præstare possibile sit, cogitare prudentis est.

Hæc cum ita se habeant, non possumus non ab eorum discedere iudicio, qui nimio antiquitatis, eruditiorisq; literaturæ zelo seducti, & interpretes Iuris in suo genere præclaros contemnunt, & uniuersam Iuris hæctenus seruati formam, imò & substantiam euersam cupiunt, Eamq; optimam Iuris discendi & tradendi rationem esse censemus, si studia humanitatis cum legum cognitione atq; eorum interpretum, de quibus nostra instituta sunt oratio, scriptis ita coniungantur, ut illa magnum huius ornamentum, hanc uerò illorum atq; adeò uniuersæ Reipub. summum præsidium esse persuasissimum



siſſimum habeamus, atq; ita eas res coniungamus, quæ etſi ſole per ſe ſuo loco plurimum momenti ac ponderis habent, coniuncta tamen, neruum Reip. in hac ſqualida mundi ſeneſta non leuiter luxatum & conuulſum, tantò fortius corroborabunt. Nam ut de eloquentiæ & Poſſeos collatione Ouidius inquit:

Utq; meis numeris tua dat facundia uires,  
Sic uenit à nobis in tua uerba tutor.

Ita dubium non eſt, Iuriſconſultum eloquentiæ humanioribusq; literis excultum, non tantum plurimum ab illis adiuuari, uerum etiam uel Ciceronis exemplo laudabiliorem in ueritate inquirenda, negotijsq; adminiſtrandis, & reis defendendis operam præſtare. Is enim pro Ligario contra uehementem Tuberonum accuſationem, quem Iudices (& inter hos Iulius Cæſar quoq;) pro condemnato iam habebant, adeò ut ad amicos Cæſar dixerit, Reum quidem condemnare certiffimum eſſe, nihil tamen prohiberi Ciceronem audire, Iure in ea cauſa eloquentiſſimè explicato, in Senatu maxima omnium cum admiratione dixit, fuitq; is in Cicerone deſenſionis torrens, ut Cæſar uelut impetu dicentis à propoſito detruſus, quem animi ſua deſtinatione damnauerat, per ſententiam abſolueret non dubitarit. DIXI.

## ORATIO DE ORIGI-

NE, MUTATIONIBVS ET MI-  
grationibus gentium quæ Germaniam tenuerunt.  
Recitata à Magistro Henrico Mullero Hambur-  
genſe, collegij Philoſophici Decano  
8. Calend. Septemb.

**Q**uoties in his publicis congreſſibus conue-  
nimus, toties primùm omnium de hoc ipſo  
cœtu ſcholæſtico, quem cernimus, ipſi nobiſcum  
cogitemus, quod præcipua ſit pars ueræ Eccleſiæ,  
in qua certò præſens Filius Dei ex promiſſo effun-  
dit Spiritum ſanctum in corda audientium uocem  
ſalutaris doctrine, & quod omnibus temporibus  
talis aliquis coetus Eccleſiæ fuerit adiunctus, in  
quo rudior ætas à teneris rectè inſtituta ac præ-  
parata eſt ad gubernationem generis humani in  
Eccleſiis & politijs. Deinde, ut in templis,  
gratias agamus DEO, quod immenſa bonitate  
patefecerit ſe generi humano per Filium, & ne  
extingueretur doctrina de ſua uoluntate, re-  
purgari eam à cœno impiarum opinionum ſub-  
inde, ac reſtitui. Præcipuè uero quod in hac  
poſtrema mundi ætate, cum proſtrata iaceret &  
obruta uulgi ſuperſtitione, impijs decretis Pon-  
tificum & commentis Monachorum inſtaurari  
eam in hac ſchola uoluit, Deniq; quod et doctrinam  
ipſam & hanc ſcholam clementer protexit ac  
ſeruauit inter inteſtinorum bellorum periculoſos

conflictus, & pernicioſa certamina nouarum opi-  
 nionum, quarum, quod non pauca, Dei beneficio  
 ſuo, quo in ueritatem inuectæ ſunt impetu colliſæ,  
 magna ex parte iam rursus diſilierunt atq; eua-  
 nuerunt ſingulari prouidentia Dei, qui ueritatis  
 uindex eſt, perfectum eſſe, gratis mentibus agno-  
 ſcamus. Poſtremò etiam uota faciamus, ut porrò  
 Deus hos nidulos & hæc aluearia tueatur aduer-  
 ſus bellorum ac diſidiorum tempeſtates, & no-  
 ſtras mentes, qui collocati ſumus in hanc ſtatio-  
 nem, ut cuſtodes ſimus doctrine magnis certami-  
 nibus ac periculis innouatæ atq; adſertæ, ut ergo  
 mentes noſtras accendat, & regat conatus ac ſtu-  
 dia, ut labores noſtri illuſtrent gloriam Dei, ſerui-  
 ant Eccleſiæ, & profint poſteritati. Hæc eò &  
 initio præſatus ſum, & ſepè inculcanda eſſe ado-  
 leſcentibus ſentio, ut admoniti cogitent de digni-  
 tate uitæ ſcholæſticæ, & de conſilio ac uoluntate  
 eorum, à quibus huc miſi ſunt, ne exiſtiment pu-  
 blicas ſcholas eſſe licentiæ ac petulantia gymna-  
 ſia, ſed huc uenientes cogitent, ſe in ſacraſſima  
 templa ingredi, in quibus de Deo & rebus maxi-  
 mis erudiantur, & ut ad has tantas res adferant  
 animos excitatos ac præparatos inuocatione Dei  
 ad ſtudium audiendi & obediendi.

Eſt autem conſuetudo in his congreſſibus uel  
 præconia artium recitare, aut exempla uirtutum,  
 uel aliquam doctrine partem illuſtrare, quibus aut  
 iudicia adoleſcentum formentur, aut animi exuſ-  
 citentur

citentur ad uirtutis & necessariorum doctrinae amorem & studium. Quare cum & de Philosophia & de doctrina sacra, & de praestantium uirorum praecclare meritis, saepe ex hoc loco dictum sit ab alijs, & uarietas uel nouitas interdum grata sit, delegi argumentum historicum, quod etsi nouum uidebitur, non alienum tamen ab hoc loco & a studijs nostris, neque indignum esse duco consideratione eruditorum. Dicturus sum enim aliquid de ueteris Germaniae primis Colonis, harum origine ac propagatione, & de mutationibus, quas nouarum gentium ex Oriente migrationes, cum sese alias alijs occasionibus è pristinis sedibus commotae in Europam infudissent, postea attulerunt, & has mutationes trifariam partiatur.

Delegi autem hoc argumentum non eò tantum, quod pius est patriae facta referre labor, sed etiam, quod iucundum est & utile considerare, quae fuerit maiorum nostrorum prima & uetus patria, unde prodierint, et quibus seculis, aut quibus occasionibus in haec loca commigrarint, denique à quibus sint orti progenitoribus. Quantum progenitores suos Iones, Aeoles & Dores iactitat Graecia? quam operose & sollicitè mutationes quae euenerunt describit? ut originem primam agnoscat posteritas, ac grata memoria celebret: cum tamen sua sequuta somnia pleraque fabulis implicet & corrumpat. Imò quae non gens fuit occupata in inquirenda origine sua? Quanto id magis nos  
 X Y 5                      facere

facere decet, quibus certam, quam sequamur in inuestigando normam literæ sacræ proponunt? quarum indubitata fides & immota atq; inuiolabilis autoritas. Non recensebo fabellas Berosi, Cornelij Taciti & aliorum de Tuiscone, Manno, Vandalo & similibus, quos illi uel sua opinione & arbitrio, uel ex aliorum falso iudicio nostræ gentis autores statuunt. Sed altius repetita uera origine à posteritate Nohe, quem omnes scimus fuisse *ut islw* & patrem generis humani post diluuium, propagationem inde nostri generis, ac deinceps gentium ex Asia in has terras transitum ac distributionem, cum ex recentiorum historiarum non fictis annotationibus, tum ex coniecturis alijs atq; argumentis non leuibus ostendam, quæ cum monumentis Biblicalis congruant, testantur narrationem Mosi de originibus gentium ueram esse, & confirmant in animis adfensionem de antiquitate & certitudine doctrinæ, quæ semper in Ecclesia sonuit, scilicet, quod prima & antiquissima de Deo doctrina hæc sit, quæ ex patefactione diuina à sanctis Patribus accepta atq; conseruata, & ad posteros certissimis & grauissimis testimonijs transmissa est, cuius ceu epitomen exposuit Moses, quam postea Prophetarum conciones & scripta sæpè repetuerunt & copiosius declararunt, ac propterea testimonia Moyfi, ut de alijs rebus, ita de originibus Gentium anteferenda esse anilibus fabulis cæterorum, qui doctrinæ sacræ fuerunt ignari.

Scriptores

Scriptores Græci κέλτασ nomindrunt uno nomine gentes illas, quæ uersus occasum & Septentrionem longo tractu à Pyrenæis mōtibz penè ad pontum Euxinum usq; & Mæotidem paludem habitârunt. Et est hæc de his gentibus appellatio uetustior multò quam Germanorum, quæ postea inuecta à noua gente serius innotuit Occidenti, & hanc nouam gentem à Celtis distinxit. Celtarum enim nomen retinuerunt, qui intra Pyrenæos & Rhenum ad mare utrunque & ad Alpes Danubiumque accoluerunt. Inde & Gallorum exigua mutatione nomen defluxit, & Galliæ Celticæ appellatio reliqua mansit. Germani cæteri nominati sunt, qui Rheno fluuio à Celtis seclusos, Pontoque Euxino ab ortu, mari Arctico, à Septentrione continuis montium Sudetum & Sarmaticorum iugis à Meridie inclusos tractus possederunt. Sed unde & gentium & appellationum harum origo est? De Germanis iam dicam.

Inter filios Iapheti, qui est Iapethus Poëtarum, recenset Moses Gomerum patrem Ascanis, & Semi filijs liber Ἰσραηλινῶν annumerat Masen & Getherum. Tradunt autem magno consensu ueteres scriptores Gomerum Cimbròs: Ascanem Tuiscones: Masen & Getherum Massagetis celeberrimam & bellicosissimam Asiæ gentem, Getherum Getas condidisse. Massagete certo Herodoti & aliorum testimonio tenuerunt loca ad montem Caucasum & mare Hircanum, quibus in locis  
sedes

sedes continuas habuisse, uel potius mixtim habitasse produntur plures alie gentes ex eadem cum Massagetis origine. Nam & Germani & Dai & Sacæ inter illas nominantur ab Herodoto, Xenophonte & alijs tempore Monarchiæ Persicæ, & ex Massagetis Dion producit Alanos, qui regem eorum appellat Pharasmanum, uoce, ut coniecto, ex Vuarmando uel Vuarmano deprauata. Ptolemeus Sacis locum tribuit ad fluuium Iaxartem, qui tenetur hodie à Tartaris Zagathais, quorum metropolis est Samarcanda, omnium orientis urbium amplissima & populosissima post Cataiam regiam magni Chami, Idem Massagetis Daos adiungit & illos uicissim Sacis etiam inserit, & in uicinia horum collocat Alanos, Sassones & Syeuos, sicut nominat, à quibus nomen traxerunt Sueuici montes. A Massagetis Cyrum acie uictum & interfectum esse tradunt, quod argumento est, magnum fuisse gentis illius robur, cum tantæ ausæ fuerit sese opponere potentiæ.

Germanos sicut in Herodoto nominantur, non discerno à Carmanis, quod nomen diu reliquum fuit in illa parte Asiæ, & Alanos ab Elam deriuo, quod nomen genti Persicæ & uicinis alijs tributum est in literis sacris. Cum ergo testetur Moses posteritatem Sem ex Armenia, quæ Arcam excepit, & primum familiæ Nohæ hospitium aquis elapsis præbuit, inuasisse & occupasse terram in ortum per amplissimas solitudines porrectam,  
coniectio

conijcio ex his argumentis & congruentia ueterum appellationum Masen & Getherum ad Hircanum mare has cognatas gentes, quas eommemoravi, magna uarietate condidisse.

Sed quando ex illo Asiae angulo has gentes effusas esse in Asiam anteriorem, atq; inde etiam in Europam porrò sedes ad Istrum & Pontum translatis paulatim promouisse uersus occasum, secundum littus maris Arctoi, existimem, postea referam, cum de Cimbris prius & Tuisconibus dixero.

Cimbros ex Gomerio progenitos Bosphoro Cimmerico ad Tauricam Chersonesum: Tuiscones ex Ascane terrae Ascaniae in Phrygia nomen dedisse, deniq; ex horum posteritate Caucones ortos, propè utrosq; sedes fixisse, sicut et nomen ad Tuiscones aludit, cur dubitè non uideo. Nec causas reperio cur non assentiar, Cimbro, Tuiscones & Caucones siue Caycos, qui celebrantur inter primos & uetustissimos colonos meae patriae, quae fuit antiquae Germaniae pars occidua, illorum in Asia posterorum Noë sobolem esse. Hoc certum est testimonio Herodoti & Plutarchi ex sententia uetustissimorum scriptorum, Cimbro Asiaticos nomen dedisse Cimbricae Chersoneso in Europa, quo de hac regione nullum reperitur antiquius: Tuiscones horum uicinis ad mare Balthicum: Caucones mediterraneis Caycis ad utranq; ripam Albis. Neq; his uetustiores harum regionum Coloni in ullis  
historijs



historijs indicantur. Imò penè Romanæ historiæ solæ sedem in his terris Cimbrorum primum patefecerunt, sicut uirtutem nobilitarunt difficiles de deuictis iisdem uictoriæ, fueruntq; horum ad mare Germanicum uicini Gambriuij, quorum memoriam conseruauit nomen meæ patriæ Hamburgum, & Sicambrorum.

Etsi uerò quid de harum gentium omnium, quas attigi, autoribus fabulentur ueteres, quid probent recentiores, qui unum Septentrionis ad mare Balthicum angulum somniant, uelut equum Troianum, edidisse gentes uniuersas, quæ postea Germaniam nostram, Italiam, Galliam & Hispaniam compleuerunt, non ignoro, nec certa definire tempora possum aduentus earum ex Asia in Europam: tamen cum uideam antiqua illa Berosi & Taciti aut commentitia prorsus aut fabulis inuoluta esse, libenter amplector & sequor, quæ de his annotauit Herodotus, cum ueritati maximè consentanea sint. Ait Herodotus, regnante apud Lydos Halyatte rege, ante Monarchiam Persicam Cimbroſ eiectos sedibus suis à populis Scythicis descendisse in Asiam. Inde repulsos ab Halyatte descendisse in Europam. Etsi uerò quos Scythas intelligat non declarat: tamen cum notum sit Græcos gentes Hyperboreas Scythas appellare consueuisse nomine non græco, sed prorsus ut mihi uidetur gentis proprio ac patrio, nimirum Germanico (Scytha enim nostra lingua τὸ ἄνω σημαίνει, & eadem

eadem prorsus est quæ Scotorum appellatio) mo-  
 ueor ut Cymbros cum uicinis Tusconibus & Cay-  
 cis exturbatos esse solo patrio credam ab illis, quos  
 antea enumeravi Germanis, Alanis, Sueuis, Dais,  
 Getis, Sacis, qui ex Oriente & locis altioribus atq;  
 asperioribus septentrionis in amœnissimam Asiæ  
 anterioris planitiem descenderunt. Huius conie-  
 cturæ cum alia argumenta habeo, tum hoc quod  
 præcipuum est et euidentissimum, quod paulò post  
 longè ante Monarchiam Græcorum in Asia et Eu-  
 ropa ad Pontum Euxinum et Istrum in ueteri pa-  
 tria Cymbrorum, hæ gentes potentes fuerunt ac ce-  
 lebres, cum ante illarum irruptionem eadem loca, ut  
 dixi, incoluerint Cimbri, Tuscones & Cayci.

Herodotus sub Darij Persæ imperio Gethas in-  
 ter Thraces in confinio Mysorum tali prædicat  
 elogio, ut ἀνθρασιότατες & δικαιοτάτες θρακῶν  
 uocet. Postea Alexander & successores, qui Maccæ-  
 donie imperarunt, continenter cum illis bella gef-  
 serunt usq; ad Romana tempora, cum deuictò Per-  
 sœ Macedonia redacta est in formam prouinciæ.

Ex Romanis primus M. Crassus bello ten-  
 tauit utrosq; Dacos & Gethas, quos ad utranque  
 Istri ripam Strabo limitibus & societate eius-  
 dem seu cognatæ linguæ coniungens, & inter se  
 & cum uicinis Tyrigethis ad Tyram fluum, ac  
 Μυσις ὁμοῦρος καὶ ὁμογλώττης facit. Diu autem  
 multumq; Romana arma ad Istrum exercuerunt  
 utriq; et alio tempore alij potētia antecelluerunt.

Getha-

Getharum fuit notior uirtus tempore Monarchie Græcæ. Postea Romanis imperantibus Dacorum sese extulit potentia, quam Decebalus illustrauit. Hac discessu & migratione gentis ex locis illis, de qua dicam, paulatim languesfacta, rursus inclaruit Gotthorum nomen, quorum armis atq; uirtuti cesit totus sermè occidens. In omnes enim serè occidentis prouincias Gotticæ sese familiæ disseminârunt & extenderunt, & regna incolis subactis constituerunt in Germania, Italia, Gallia & Hispania. Nec dubium est & gentem esse eandem, & gentis eiusdem appellationes easdem Gethas, Gotthos, & Guttones, sicut eandem gentem denotant Dai, Dacæ & Dani ubicunq; hæ appellationes reperiuntur.

In Getharum confinio ab occasu Strabo reponit Sueuos, quos Plinius amplissimam Germanorum gentem facit discriminibus penè innumeris, sicut & Tacitus. Germanorum appellatio, ut cæterarum gentium, quæ ex Asia aducnerunt, post migrationem sub Halyatte factam, & post occupatas has terras ab Istro ad Rhenum usq; primum in occidente celebrata est, & consuetudine populorum usurpari de uniuersis communiter cæpit, uel propter potentiam qua antecelluerunt Germani cæteris, uel quod loca cultis gentibus uicini ora obsederunt, quibus propter irruptiones terribiles nomen fuit formidabile. Sic igitur de hac migratione existimo, Cimbros cum uicinis Thusconibus

nibus et Caycis, multitudine gentium orientalium, à quibus infestabantur ac premebantur continuis incursionibus coactos quæsiuisse nouas sedes in Europa. Hos inter Orientales è uestigio insequutos esse & ursisse ad ripas Rheni usq; et Oceanum seu Germanos seu Carmanos: his rursus mox inhaesisse Sueuos: post Sueuos tandem seu bello seu sorte partitis terris inter Istrum, Pontum Euxinum, montes Sarmaticos, & sinum Codanum consedisse Gethas, Dacos, Alanos, quos Gethas esse constat, & Sacas ac Saffones. Plinium cum Germanorum quinq; genera facit, iudico non tam naturarum quam morum studiorumq; dissimilitudinis, at situs diuersitatem exprimere uoluisse, uocibus id indicantibus. Isteuones enim Bastarnis opponit, quorum hi colonos ad ortum habitantes, illi occidentuos exigua mutatione literarum significat, Vuest woner & Ostarnen. Ingeuones Vuandalis opponit, & utrisq; Hermiones. Ingeuones indigenas, uel potius domi uictū terra colenda quærentes: Vuandali negotiatores seu mercatores: Hermiones belatores significant. Cætera discrimina omitto.

Hæc de primis colonis Germaniæ, quæ ex autoribus ipsis peti possunt, eo prolixius exposui, quòd de his in plerisq; uel obscura uel fabulosa recitari animaduerto, ut exemplo commonefacta adolescentia discat repudiatis fabulis sese ad inuestigationem & considerationem uerarum historiarum adsuefacere.

Nunc de reliquis duabus mutationibus pauca addam, quarum una commota irruptionibus Sueuorum, Alanorum, Vuandalorum, Gottorum & Dacorum incidit, ut ratiocinor, in tempora Traiani, Adriani & Antoninorum. Altera Henetorum & Sarmatorum sequuta est etatem Heraclij. Illa ex Romanis historijs, quæ accuratè descriptæ sunt, nota per sese satis est, hæc obscurior est: Ante Antoninum, neque in Cimbrica Chersoneso Danorum, neq; in insulis maris Arctoi & littore Boreo maris Balthici Gottorum, neq; in Teutonum ueteri sede Vuandalorum & Saxonum, neq; in reliqua Germania Tyrigetarum & Mysorum, deniq; neque in Norico & Rhetia Almannorum & Francorum ulla fit mentio, ut historie Romanæ & Geographicae descriptiones testantur. Italia uerò, Gallia, Hispania & Africa prorsus tunc ignotæ hæ gentes fuerunt. De his igitur sic statuo, partem Getharum & Dacorum, qui ad Istrum sederunt continuis, partim Romanorum, partim ferarum gentium Orientis armis diuexatam, relicto Oriente, conuertisse se ad Occidentem quesitum nouas terras, & cum utrisq; uicinos Sueuos, quos Strabo autor est sepè cum Gethis ad Istrum dimicasse. Hæ gentes ergo maris Arctoi littora & Insulas adortæ sunt certatim, interque sese & cum Sueuis, qui illa loca iam olim tenebant ante horum irruptionem, armis de possessione contenderunt, donec Dani Cimbricam Chersonesum

fonesum abolito ueteri nomine : Gotthi infulas &  
 magnam partem Suediæ, in qua Ostgottorum &  
 Vuestgottorum sedes est, suam fecerunt : partem  
 regionis aliquam retinuerunt coloni ueteres Sue-  
 ui, à quibus nomen cum gente Suedica propaga-  
 tum est. Reliqua Sueuorum multitudo coacta in-  
 iurijs partim nouorum uicinorum, partim Sarma-  
 tarum & Henetorum, quæ gentes Germanicis ui-  
 cine semper, & alicubi etiam admixtæ fuerunt,  
 paulatim progressa accessit ad Rhenum. Hos cæ-  
 teræ ad istrum gentes secutæ Vuandali, Burgun-  
 di, Alani, Sassones, Tyrigethæ, Mysi relicto solo  
 patrio, ingentibus agminibus in hanc ueterem  
 Germaniam proruperunt, & successu incitate,  
 mox in uicinas etiam Romanorum prouincias in-  
 uolarunt, quas edomuerunt, ueteribus incolis &  
 Romanorum colonijs ac præsidijs ad Rhenum  
 Danubiumq; partim deletis, partim oppressis, par-  
 tim profligatis, præter eos, qui coniunctis uiribus  
 sese & libertatem tutati suam, à retenta defensioneq;  
 libertate nouo & glorioso nomine Franci appella-  
 ri uoluerunt, inq; Noricorum, Cattorum, & Vsi-  
 petum ueterum regione ad Vbios & Menapios  
 usq; confederunt. Longobardi enim Albis accolæ,  
 qui è ueteri Sueuorū gente fuerunt, in Pannoniam  
 secesserunt, unde in Italiam postea commigrârunt.  
 Boij cum Hermunduris & pluribus alijs Norici  
 montana, Anglicū multis Sueuorū gentibus Britan-  
 niam occupârunt. Harum inter se gentiū cōfluctus

durârunt eousq; , donec Mysi Hermandurorum, Tyrigetæ partim Cattorum partim Cheruscorum ueterum sedes, Saffones totam intra Rhenum & Albin terram cis saltum Thuringicum, Alanis uerò admixti Sueui Rhetie partem nouo Almanorum nomine importato, Burgundi Heduarum agros in Gallia obtinuerunt. Et Vuandali socijs Sueuis & Alanis superato Rheno in Gallias euaferunt, hisq; peruastatis Hispaniam etiam percurserunt, & tandem in Africam traiecerunt. Dentique donec paulatim confirmata rursus Francorum potentia magnam Gallie partem cum Germania, quæ Boijs & Saffonibus interiacet, coniunxit & regnum constituit, Gottis, Burgundis, Alemannis & Tyrigetis subactis. Extant adhuc in his terris cum alia Francorum monumenta, tum Benedictinæ familie Cœnobium in urbe Erphordia, quod opus est Dagoberti regis Francorum.

Nec uel obscurum uel incertum est, quibus temporibus has gentes historie primum celebrent. Franci, Galieno, Alemanni Probo, & penè iisdem temporibus Vuandali ac Burgundi, Saffones Valentiniano imperante ex irruptionibus factis in Romanorum prouincias inclarauerunt. Tardius innotuit nomen Tyrigetharum & Mysorum ex Francorum historijs, cò quod longius à Romanorum prouincijs absuerunt. De Gottis qui ad Istrum remanserunt, notum est à quibus in Italiam & Galliam Narbonensem introductæ sint, & quibus

bus occasionibus Romanis oppressis, illas sibi provincias uindicarint, denique ut hinc tandem à Francis excussi in Hispania regnum condiderint, è quorum posteritate longa regum series prodijt.

Hanc alteram mutationem sequuta est tertia, non ita longo interuallo, quæ à Sarmatis extitit & Henetis. Hæ gentes cum prioribus ad Istrum ab ortu & Septentrione perpetuo incumbere, easdem uel sua sponte inde digressas uel propulsas insequi urgereq; à tergo non destiterunt, donec omnem intra Pontum & sinum Venedicum in mari Arctoo terram, ad Borysthenem, Tyram & Istrum flumina, in qua latè priores gentes regnârunt, ceperunt, & ibidem uelut arce belli aduersus Romani Imperij populos & gentes Germanicas constituta, non tantum ad occasum amplissimas terras usque ad Albim & Salam intra mare Arctoum & montes Sarmaticos Carpatum, Sudetos, sed & meridiem uersus Thraciam omnem, Mysiam, Macedoniam, Epirum & Illyricum compleuerunt. Inde ad meridiem Seruiorum, Rasciorum, Bulgarorum, Bossinorum & Croatorum ad occasum Polonorum, Boëmorum, Silesiorum, Pomeranorum, Cassubiorum, & in extrema ad Albim & Salam ora Soraborum & Henetorum prouenerunt discrimina, quæ gentes & inter sese & cum Rossis ad ortum habitantibus eadem utuntur lingua, sed dialecto discrepante. Cùm Sorabis Franci: cùm



Henetis Saxones perpetua bella gesserunt, usq; ad translata[m] Monarchiam Romani imperij in Germanos, qui illas gentes paulatim bello fractas, & religionis Christianæ, & aliorum officiorum communicatione mansuefactas, imperio Romano partim subiecerunt, partim amicitia & fœderibus coniunxerunt. Domitorum à Francis Soraborum monumentum extat in Mysnia Cœnobium familie Benedictinæ ad urbem Chemnicium, quod fertur conditum esse à Lothario Franco.

Sarmatarum origo refertur in Riphath filium Gomer. Hic enim nominatur Pater Paphlagonum, quos Henetos esse constat Homeri & Apollonis testimonio. At Henetos esse & fuisse maximam gentem Sarmatarum omnium historiarum consensu traditur.

Hæc de mutationibus colonorum quas fecit Germania inde usque ab initio, quantum sciri potest, breuiter recensere uolui, cum de more scholæ hoc in loco aliquid dicendum esset, quæ legentibus historias ueteres & recentes hoc præstitura commodi esse spero, ne inter fabellarum commenta uelut in ignota sylua ita oberrent in posterum, ut quoeuadant aut ubi consistant non reperiant. Recentiores Hunnorum, Tartarorum & aliarum gentium, cum neq; exilia noua pepererint in Germania, nec sedibus suis totas gentes emouerint, omitto. Utile est autem has tam stupendas gentium nostrarum

strarum dispersiones atq; oberrationes cognoscere etiam eam ob causam, quod in his uel maxime conspicitur rerum humanarum instabilitas. Vbiq; terrarum omnibus seculis, omnes gentes, omnia imperia, imò priuata familia, uelut Euripi, subinde nouis & calamitosis mutationibus distrahuntur ac dissipantur, ut nos de exilio & de fugacitate uitæ presentis in qua incerta, fragilia & caduca sunt omnia, deq; huius exilij causis admoneant, quæ sunt peccata primorum parentum, quæ singuli proprijs peccatis indies cumulamur: & testentur genus humanum non tantum ad ingentes calamitates huius ærumnose uitæ conditum esse, sed restare aliam uitam meliorem, in quam transferentur pij ex ærumnis presentibus uelut ex tempestate quadam ope diuina erepti, ubi in Deo uera & æterna lætitia exultabunt & acquiescent.

Cum ergo legimus has mutationes, & cum totas gentes uel deletas, uel dissipatas, uel patria exutas cognoscimus, præparemus animos ad excipiendos ac perferendos omnes fortunæ casus, & cogitemus hanc uitam aliud nihil esse, nisi tristissimum exilium erroribus obnoxium ac iactationibus perpetuis, nec tranquillam sedem ullis uspiam fore, nisi in illa æterna & cælesti patria, ad quam nos uocat & ducit ministerio Euangelij Filius Dei ἀρχηγός Ecclesiæ. Et tamen semper mansuram esse Ecclesiam aliquam etiamsi non florebit opibus

bus & potentia, sed inter ruinas dilaceratarum  
 politiarum uagabitur sine sede & sine hospitij  
 certis, miserè dispersa, uel etiam crudeliter &  
 Tyrannicè oppressa, quam coniunget una & con-  
 sentiens doctrinae uox, & unius ueri Dei in agni-  
 tione & fiducia Filij Dei IESV CHRISTI in-  
 uocatio. Hunc uerum Deum assiduis gemitibus  
 precemur, ut inter imperiorum collisiones fluctu-  
 antem Ecclesiam regat & seruet, ne horum rui-  
 nis obruatur aut mergatur, in quibus ipsa moles  
 periculorum ostendit, humanis consilijs & prae-  
 sidijs Ecclesiam Dei non seruari, sed petendam esse  
 & expectandam defensionem à Deo, qui quie-  
 dem pollicetur se etiam senescentem, & senio de-  
 lirantem Ecclesiam seruaturum esse. Ante oculos  
 sunt & nunc grassationes crudeles & horribiles  
 uastationes Turcorum & Moschorum, qui uel to-  
 tas gentes, uel praecipuas familias aut delent aut  
 transferunt, adductis in loca desolata nouis &  
 barbaris colonis. In tali gentium translatione  
 quantum inest mali? diuelluntur in perpetuum  
 coniuges, abstrahuntur à complexu parentum li-  
 beri, amici coniunctissimi distrahuntur, ut nihil  
 dicam de legum honestarum, iudiciorum, Politia-  
 rum, de Ecclesiarum euerfione, de uera doctrina  
 & uera Inuocationis abolitione. Tales ô Fili Dei  
 Iesu Christe uastationes ab his terris auerte, &  
 collige tibi uoce Euangelij inter nos aeternam Ec-  
 clesiam, & ut haec colligi possit, mitiga erumnas  
 publicas,

publicas, & concede salutarem tranquillitatem  
propter te, ut tu honore adificiaris ac celebra-  
ris.

DIXI.

## QVÆSTIO.

**E**T si gratiam me debere agnosco præceptoribus  
nostris, qui sua quadam erga me benivolentia,  
& ut existimo, reuerentia ministerij Euangelij  
hunc locum mihi tribuerunt, ex quo mihi dicen-  
dum esset publicè: tamen optarim has dicendi par-  
tes alijs in hoc cœtu eruditioribus datas esse. Nam  
cum intelligam, quanta sit in his qui assident &  
uirtutum atque ingeniorum præstantia, & quam  
graue de rebus omnibus iudicium, & mea mihi  
nota sit in dicendo infantia, uereor ne mea oratio  
potius offendat auditores quam oblectet, idq; eo  
magis futurum arbitror, quòd cum multos iam  
annos à schola abfuerim, atque hæc dicendi exer-  
citia interea omiserim, nemo minus nunc ad dicen-  
dum idoneus aut instructus uideri possit. Sed ta-  
men cum non sine graui consilio à maioribus in-  
stitutum sit, ut in his honestissimis doctissimorum  
hominum congressibus aliquid dicamus, parère me  
publicæ ac honestæ consuetudini necesse est, ac à  
uobis præceptores obseruandi, & cæteri uiri do-  
ctissimi atque honestissimi peto, ut qua facilitate  
ac benivolentia alios ex hoc loco dicentes audiui-

stis sæpè, eadem me quoque balbutientem uerius  
quàm dicentem audiatis.

Adfero autem questionem non peregrinam,  
sed huic loco & tempori conuenientem, quæ ipsa  
nos de dignitate horum studiorum commonefacit,  
& has scholasticas operas nobis commendat. Cum  
enim Apostolus Iohannes in sua Epistola dicat,  
Unctio docet uos, uociferantur nonnulli, nihil  
opus esse studijs aut exercitijs scholasticis, &  
posse scripta Prophetarum & Apostolorum, eti-  
am sine harum artium, quæ in scholis traduntur,  
adminiculo legi atq; intelligi. Ac Papistæ quidem  
nimis sunt crassi, & meritò à nobis explodendi, qui  
dulcissimum Iohannis dictum ad ceremonialem  
illam unctionem, quam adhibent in confirmatione  
eorum, quos Catechumenos uetus Ecclesia nomi-  
nare solebat, accommodant, eiq; uim quandam  
magicam extra uerbum & præter institutionem  
diuinam attribuunt, dum septiformem gratiam,  
cum omni plenitudine sanctitatis & uirtutis, ut  
loquuntur, per hanc unctionem conferri conten-  
dunt. Nec opus esse longiore refutatione existimo,  
cum ipsa inscitia eos redarguat & conuincat.  
Quid enim insulsius dici aut cogitari potest, quàm  
unctionem illam, de qua Prophetæ & Apostoli  
sæpè loquuntur, ad impium illum & ineptum ri-  
tum, qui ne per somnium quidem istis in mentem  
uenerat, transferre? Sed Anabaptistæ, ut maio-  
rem pietatis speciem præ se ferunt, quàm Papistæ,  
quorum

quorum pietas & religio tota in obseruatione rituum ac ceremoniarum consistit: ita maiorem hinc fucum nobis obtendunt, & suos afflatus seu Enthusiasmos commendant, quibus ita abripiuntur, ut spreto & abiectis omnibus studijs, pedibus & manibus, quod dici solet, illotis in sacrae scripturae lectionem irrumpant, & sensum non analogum fidei, sed suis affectibus & cupiditatibus stultis, quas illi afflatus diuinos esse iactitant, congruenter eliciant.

Cum enim certum sit, unctiōem de qua Apostolus loquitur, non de ceremonia inani, ut Pontificij somniant, sed de Spiritus sancti donis intelligendam esse, mox, quae est ipsorum uesania, extenuant & aspernantur lectionem omnem atque interpretationem, & labores scholasticos, ut futiles & rebus diuinis non miscendos reijciunt. Aiunt unctiōem, hoc est, à Spiritu sancto nos doceri intus, itaque foris non esse opus aliquo studio aut diligentia in inquirenda uera & natia doctrinae Propheticae & Apostolicae sententia, atque eos qui studio multo ac labore assiduo in indaganda ueritate contendunt, nominant literales, se uero spirituales praedicant, qui Spiritu doctore ac monstratore utantur, dum alij interea inani labore fatigantur, & in syllabarum atque dictionum uarietate explicanda sint occupati.

Speciosa uidetur haec esse oratio, & multi per se laborum, quos haec exercitia scholastica adferunt penè infinitos, facile his assentiuntur. Nec  
dici

dici potest, quàm grata sit hoc tempore hominibus  
ambitiosis & persuasione sapientiæ tumidis hæc,  
ut ita dicam, σεο ἄχθια dum sine labore ac stu-  
dio ad summos quos expetunt, honores peruenire  
se posse existimant. Itaq; uideas nunc passim mul-  
tos uagari, qui inflati hac persuasione in templa  
& suggestus sese proripiunt, seq; supra omnes  
homines efferunt, & quanquam pedibus terram  
adhuc attingunt, tamen, ut est in ueteri dicto, τῆ  
κεφαλῆ τῶν οὐρανῶν ἀράσουσιν, hoc est, ut Ho-  
ratius inquit, sublimi feriunt sidera uertice.

His autem insanis Anabaptistarum clamori-  
bus, qui & studia doctrinarum delent, & licentis-  
simam quidquid fingendi in Ecclesia confirmant, bre-  
uiter & perspicuè respondeo: Etsi uerum est un-  
ctionem ab Apostolo nominari confirmationem,  
que fit à Spiritu Sancto, dum mentes nostras cer-  
tas reddit, ut statuunt, hanc doctrinam à Deo tra-  
ditam, & in scriptis Prophetis ac Apostolicis  
comprehensam, ueram esse, & dubium non est  
præcipuum doctrinæ lumen esse à Spiritu Sancto,  
ut usitatè dicitur: Nisi Spiritus intus doceat, in-  
uanum lingua docentis laborat: tamen illud ipsum  
lumen non accenditur, nec datur Spiritus Sanctus,  
nisi per uerbum propositum Ecclesie, & quidem  
rectè intellectum ac cogitatum. Neque enim ma-  
gica uis syllabis aut dictionibus, ut olim Ægyptij  
& Chaldæi iudicabant, est tribuenda. Vt autem  
legi,

legi, rectè intelligi, ac meditatione diligenti cogitari possit, opus est certè studio ac doctrina multiplici.

Quam enim tu ueram aut firmam consolationem ex scriptura capies, si, ut in Papatu factum ante hæc tempora uidimus, omnia dicta in peregrinum sensum & tuo tantum palato arridentem detorseris? Ut cum promissionem primam in Paradyso editam de Messia, qui deuicto Diabolo, oppressa morte & sublato peccato restitutus esset iustitiam & uitam, à qua primi parentes per lapsum exciderant, Pontificij sceleratè contra uerum & grammaticum sensum, ad uirginem Mariam, ut cultum eius stabilirent accommodârunt. Mihi crede, non est efficax Spiritus Sanctus in his, qui hoc modo dictis scripturæ ludunt, & omnia ad suos adfectus & cupiditates trahunt. Nam cum Ecclesia ita sit alligata ad hoc uerbum, quod uoce Prophetarum & Apostolorum ipsi est commendatum, ut extra id nec consolationem nec salutem reperiat ullam, quomodo certus esse de sua salute quisquam potest, qui à natiua uerborum sententia petulanter discedit, aut qui omiſsis his libris, proprias sibi opiniones de Dei essentia ac uoluntate comminiscitur? Quare & Paulus seuerè præcipit Timotheo, ut attendat lectioni. Et Esaias inquit. Liga testimonium, obſigna legem in discipulis meis &c. Vbi hoc ipsum auditoribus suis dari petit Propheta, quod Apostolus unctionem nominat.



nat. Nam obſignatio illa, non aliter fit quam per  
 Spiritum Sanctum, qui dum mentes noſtras illumi-  
 nat, & corda noſtra accendit, ut & intelligent  
 doctrinam, & uera fide in ea acquieſcant, ungere  
 dici phraſi lingue Hebrææ propria. Nec ungit  
 ullos Spiritus ſanctus aut obſignat, niſi qui diſci-  
 puli ſunt & auditores huius doctrine, que per  
 Prophetas & Apoſtolos in Eccleſia ſonat. Quare  
 execranda & deteſtanda eſt Anabaptiſtarum in-  
 ſania, qui ſuas cogitationes quas ſtolidi adfectus  
 & cæca cupiditates ipsis ſuggerunt, iudicant il-  
 luminationem eſſe ortam à Spiritu ſancto, que  
 præferenda ſit uerbo manifeſto, atque hac fiducia  
 elati, non ſolum libros Propheticos & Apoſtolicos  
 reiſciunt & contemnunt, uerumetiam portentuo-  
 ſas opiniones pro ſua libidine conſingunt, quibus  
 & Eccleſiam & Reſpublicas bene conſtitutas  
 multis in locis conturbant. Nos uerò cum ſciamus  
 præceptum eſſe, ut attendamus lectioni, et ſcriptu-  
 ram ſcrutemur diligenter, nec dubium ſit, per hoc  
 ſtadium, ſi accedat pia inuocatio, dari Spiritum  
 ſanctum & non aliter, non moueamur inſulſis  
 iſtorum hominum clamoribus, ſed potius quanto  
 poſſumus ſtudio annitamur, ut ueram, natiuam &  
 incorruptam ſententiam ex perpetuo ſcripturæ  
 conſenſu deſumptam amplectamur & retineamus.  
 Et quia id ſine multarum artium adminiculo fieri  
 non poteſt, has quoq; amemus & colamus diligen-  
 ter, & de ſcholis, in quibus hæ magna cura & af-  
 ſiduita-

fiduitate traduntur, benè mereri studeamus. Quia uerò amplissima doctrina in dicto Iohannis continetur, atq; ea in hac temporis angustia & ingenij mei tenuitate explicari à me pro dignitate non potest: reuerenter oro, uirum clarissimum D. Doctorem Iohannem Maiorem, ut de tota questione, & præsertim de Phrasi Ebræa & de unctionis ritu, propter iuniores dicat copiosius.

D I X I.

## RESPONSIO.

**V**etus est dictum, Inscitia gignit barbariem. Hoc cum in ciuilibus uitæ actionibus, tum uerò in religionis negotio, ubi de salutis nostræ rebus agitur, nimis uerum esse, priora secula magno nobis argumento esse possunt. Sub imperio enim Pontificum, cum liberalium artium studia neglecta essent, & linguarum cognitio atq; proprietates non obseruaretur, nemo sacri sermonis sensum naturæ eruere atq; elicere unquam potuit. Necessario igitur in tetros errores propter sinistram scripturæ intellectum lapsi sunt, cum dicta Euangelij propria de gratuita salutis acceptione, nec intelligerent, nec discernere à sententijs legis doctrina deductis, sed promiscuè ad moralem doctrinam adplicarent, & sine diuino instituto, noua decreta salutis acquirenda comminarentur,

rentur, & sacros ritus in Ecclesia, in magicis actiones Ægyptiorū more, mutarent, totamq; scripturam sacram ad stabiliendam tantum potentiam suam uiolenter & impudenter detorquerent.

Nam & Sacramentorum rationem seu λόγος non considerantes, usum eorum uerum à recto fine transtulerunt, et signa sacrarum rerum in Numina transformantes, horrendos idolorum cultus instituerunt, ut Vestam et Cererem Ethnici quondam adorarunt. Etsi autem subinde eruditiores aliqui ex illorū coetu emicuerunt: ijdem tamen neglectis scripturæ fontibus, interpretum lectioni solum incubuerunt, & de intellectu scripturæ non ex fidei conformitate, ut S. Paulus præcipit, sed ex personæ seu interpretis autoritate litem deciderunt, hocq; egerunt unum, ut præsentis regni constitutionem tuerentur scriptis, nec labefactare leges eius, aut à receptis moribus discedere quenquã patiebãtur. Factum igitur est, ut sicut in Euripide de Menelao dicitur, quod longa conuersatione cum hominibus barbaris, ipse quoq; barbarus effectus sit: Ita misera Ecclesia longa commoratione in solitudine inter barbaros idolorum cultus, tanquam Simson in Philistarum pistrino, aliene lingue assueuerit, ac natiuam dediscens, nõ intellexerit sermonẽ amplius, de cuius cognitione sua salus dependeret, atq; interpretationes scripturæ consensui aduersantes, uocabulis Gratia, Fidei, alijq; affingeret. Proinde etiam eò ignorantia progressi sunt,

sunt, ut Iohannis Apostoli dulcissimum hoc dictum, Vnctio uos docet, de impuro illo linimento degenerum Episcoporum acciperent, & hoc applicato initiatis sacrorum ritibus, assererent, hac ceremonia, tanquam magica effectione, occulta atque latente  $\delta\omega\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota$  quadam, conferri sancti Spiritus efficaciam, rerumque diuinarum scientiam ita infundi atque imprimi scriptorum diuinorum quantumlibet rudibus, qui ad intelligenda ea nullis unquam linguarum atque artium adminiculis usi essent. Hæc quidem insulsitas & impietas, quæ filio Dei effundenti de Spiritu suo in corda credentium & sanctificanti ea, munus proprium derogat, ex neglectu cognitionis formæ loquendi in sacris literis orta est. Idcirco tota Pontificiorum colluuius, in externam quorundam rituum obseruationem, sine præcepto diuino, pietatis suæ summam referentes: horribiliter obscurarunt doctrinam de beneficijs filij Dei, atque hi Phariseorum more, qui ritibus a se excogitatis, & disciplinæ externæ, meritum salutis adscripserunt, ab una parte Ecclesiam hostiliter oppugnarunt & obsederunt: Ab altero autem latere, Enthusiastæ, hostes Ecclesiæ uere extiterunt, qui uerbi scripti & uocalis, seu externi ministerij autoritatem eleuantes, uisa sua & reuelationes peculiare iactitarunt de rebus diuinis, Deique communicationem cum hominibus sine consideratione uerbi scripti existere, nec adminiculo artium & linguarum cognitione opus esse

*ad sensum eliciendum in scriptis diuinis, sed hæc  
 immediatè geri à Deo, intus primum peculiariter  
 occupantis pectora, & reuelantis ac docentis res  
 cœlestes, & uisis singularibus suam illis mentem  
 patefacere & declarare: deinde uerò sequi mini-  
 sterij externi doctrinam, ut exterior homo exerci-  
 tio aliquo teneretur. Sed uox æterni Patris de  
 Filio clamitans ad uniuersum genus humanum, Hic  
 est Filius meus dilectus, Hunc audite, seuerè præci-  
 pit cognitionem & inuestigationem doctrinæ,  
 quæ Ecclesiæ diuinitus tradita est. Quid enim in-  
 dignius esset, quam Deo homines alloquente uoce  
 scripturæ, aures auertere aut occludere, & tantam  
 bonitatem fastidire? Vult extare & audiri ministe-  
 rium publicum, & maiestatem eius confirmat de  
 Cælo. Apostolus iubens, Attende lectioni, & me-  
 ditationi, docet Ecclesiam Dei ad certum doctrinæ  
 genus alligatam esse, nec licere ei alio modo natu-  
 ram & uoluntatem Dei inuestigare. Certis enim  
 & conspicuis testimonijs uocem suam descriptam  
 literis tradidit Deus, quam nos amplecti animo,  
 discere & intelligere cupit, cum à nobis agnosci  
 & celebrari uelit, inq; eum nos finem condiderit.  
 Contumelia igitur in Deum est, & furor horribi-  
 liter à Deo damnatus, mentes abducere uelle à le-  
 ctione sacrorum librorum ullis opinionibus aut  
 mentitis adflatibus, & uisis, quæ à doctrinæ con-  
 sensu, & fundamentis dissentiant. Oritur autem  
 talis furor Enthusiatarum ab hac opinione, quæ  
 fingit*

fingit lectionem et considerationem diuinarum promissionum inutilem esse, ut ignari exercitiorum fidei nesciunt acquiescendum esse in ipsis promissionibus, & expectandam esse mitigationem malorum, fiducia misericordie Dei in promissionibus ostense. Hinc illi clamitant, se lectioni aut meditationi uerbi minimè adscribere has consolationes, & hæc animorum erga Deum fiducia Filij incendia, quæ propriè à Spiritu sancto excitantur & oriuntur, qui non inclusus reperitur notis illis librorum, sed inhiandum esse alio, ut dum ipsi libeat, rapiat quosdam singulari adflatu, quos fatalibus in tabulis consignatos atq; reseruos habeat à reliqua multitudine. Ministerium enim rem esse externam, & sonum tantum in Ecclesia quod uocatur ministerium uerbi. Ergò necesse esse per Spiritum uisionum offerri, à quibus pendeant mentes, & quas expectent. Sed Pauli manifesta uox est, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, & ex auditu fidem prouenire, & Euangelium Spiritus esse ministerium. Non sentit Paulus in literarum figuris inclusum contineri sanctum Spiritum, sed celebrat hunc processum & agendi modum, Dei bonitate immensa hoc ordine institutum. Arguit peccatum per uerbum, uult audiri suam uocem & cogitari & ibi conspici uult uoluntatem suam. Et cum homo non cõtemnens luctatur inter trepidationes, & audit Euangelij uocem, & mens consternata assentitur promissis Dei, hisq; se

sustentat, & dubitationi ac diffidentie repugnat, promissionem opponit, & se erigi à Deo petit: tum cœlestis lux in mente à Spiritu sancto accenditur, & reluctans habet primordia fidei, & est acceptus Deo, & uerissimè Spiritus sanctus in eo efficaciam suam exerit & ostendit. Ministerium igitur, quanquam ut res externa, & sonus expertus uirtutis diuine, nihil agit in homine: tamen Spiritus sanctus non potest contingere, nisi per uerbum, ut dicitur Rom. 10. Fides ex auditu est. Ergo sine uerbo nec Spiritus sanctus nec fides contingunt. Eunuchus reginæ Æthiopum docetur de Christo per Philippum, & hanc doctrinam accipiens, accipit Spiritum sanctum.

Sic Centurio non docetur uoce Angelica, sed diuinitus iubetur ad se accersere Petrum, quo Deus ostendit, quanti fieri uelit uerbi ministerium per homines prædicatum. Sic non est mortua litera, nec superuacaneus ministerij externi usus, ut contendunt Anabaptistæ, qui doctrinæ inquisitionem fastidiunt, admicula eius cognitionis, artes, linguas, scholastica exercitia, quæ consensum doctrinæ & analogiæ fidei inquirunt, prorsus reijciunt, nec prophanas artes & literas ad usum sacrarum literarum adhibendas esse docent. Quam diligentiam ad intelligendam scripturam qui usurpant, eos mortuæ literæ incumbere dicunt, sese uero uiuo Dei Spiritu doceri, & cognitione cœlestium rerum peculiari modo imbui. Et si enim sola  
litera

litera seu docentis uox non attendita, intellecta, considerata, adplicata, & sine Spiritu sancto non red-  
dat uitam & consolationem, cum non ex magica  
ui quadam uerbum agat: inquisitio tamen seu cog-  
nitio literæ scriptæ & externum uerbi ministe-  
rium necessarium est, cum Fidem ex auditu esse  
Paulus asserat, & qui credere & applicare pro-  
missionem sibi debeant, eos audire oporteat, Et  
laudem præcipuam in hoc sibi positam ipse uoluit,  
quod externum uerbi ministerium exercent, & li-  
teræ doctor sit, inquit, Ego plantauit, Apollo ri-  
gauit, Deus addidit incrementa.

Neglecta enim literæ cognitione & consensu  
scripturæ non inquisito, oriuntur monstrosæ opi-  
niones, euercentes doctrinæ fundamenta, atq; in  
eadem impingentes, cum rudes aliqui ad fingunt  
scripturæ interpretationes pro adfectu & cupi-  
ditate sua, & audacter in sacris nugantur, aut  
Euangelici & Politici regni discrimen confun-  
dunt, quod est reuera delere & tollere literam, uo-  
cem Dei à Spiritu sancto per Apostolorum manus  
scriptam & propagatam, & ipsum filium Dei,  
quem Pater audire præcipit, legatum ex sinu Pa-  
tris proferentem doctrinam, aspernantur rabiosè,  
& uoci eius aures occludunt.

In tantos igitur furores inciderunt Anabap-  
tistæ ex peruerso studiorum contemptu, & inscitia  
proprietas & consuetudinis sermonis in dicto  
Iohannis: Vnctio docet uos. Ut enim colorum



discrimina, nisi in clara luce diei, discerni non possunt, ita absq; consideratione formæ locutionis, totus ueteris & noui testamenti sermo ignotus est. Quamquam autem Apostolorum monumenta græco sermone prodita sunt: tamen cum ascitæ lingue semper referant & sapiant aliquid natiuæ, accidit ut locutioni græcæ, plurimæ formæ & figuræ loquendi, iuxta hebræum morem adhaerint & admixtæ sint.

In Iohanne Apostolo plurimæ ἐπεξηγήσεις, ἐὼναλίψαις, παλιλογίαι & ἀσώδητα resperiuntur. Ipsa orationis quoq; forma non accurate scripta est, & dictio hebræam loquendi consuetudinem plerumq; sapit. Proinde & in alijs multis locis ἀτάκτως narrationum, et series rerum expositionis ordini non respondet. Hæc ut rectè intelligantur, studio grammatices & linguarum cognitione opus est, & membrorum inter se connexionem atq; collationem. Utitur autem crebro uocabulo unctionis Iohannes, de gratia Spiritus sancti, sumpta translatione à consuetudine unctionum, quæ in ueteri lege in Iudaico populo regibus & sacerdotibus peculiaris erat. Prophætæ enim picturatis uerbis res consolatione plenissimas inuoluentes & exprimentes, sermonem ex more & ritu publico adplicant & accommodant ad res spirituales, & ad omnia Ecclesiæ membra, quæ, ut Petrus inquit, in sacerdotium regale unguuntur à Spiritu sancto, non illa ceremonia seu terreno Balsamo, quod nullo  
libi

libi tamen, nisi apud Iudæos nascebatur, ut Poeta  
uersus etiam indicat:

Balsama Iudææ tantum nascentia genti: ut hoc  
ipso significaretur, hæc dona de quibus nunc dici-  
tur, peculiaria esse Ecclesiæ, & populi Dei tan-  
tum.

Sic & Ioel utitur uocabulo Effusionis de Spi-  
ritu gratiæ & precum, exponens typum seu figu-  
ram in tabernaculo: Nam oleum sacrum quo inun-  
gebantur, & quod effundebatur super Leuiticos  
sacerdotes & reges Iudaicos, erat exemplum &  
figura Spiritus sancti, cum quo unicus ille Sacer-  
dos & rex noster præ omnibus suis consortibus, ut  
in Psalmo dicitur, sine mensura unctus est, et mem-  
bra eius, uidelicet Ecclesia, tanquam uestimenta &  
membra Aaronis, oleo destillante ex capite & bar-  
ba, perfundi & rigari debent ipso eodem Spiritu,  
quem Iohannes unctionem nominat.

Testimonia uerò, quod hæc loquendi forma,  
unctionem habere, & ungi, idem significet, ac ha-  
bere gratiam Spiritus sancti, passim multa extant  
in Psalms & Prophetis scriptis. Estq; inter alia  
hoc maxime illustre, quod apud Esaiam cap. 61.  
legitur, ubi cum dixisset, Spiritus Domini super  
me, statim explicaturus id alijs uerbis, ut mos est  
Prophetis, subiicit, ideo unxit me. Est igitur unge-  
re & Spiritu perfundere in Ioele, & obsignare  
prorsus idem. Hac occasione, & hac origine hunc  
loquendi modum Iohannes transtulit, cum inquit:

Unctio uos docet, Quod quidem dictum fanatici arripuerunt, ut ab Ecclesia usum externi ministerij remoueant, atq; excludant. Sed natua sententia dicti est, Christi fideles, Spiritus sancti magisterio edoctos, obsignatos, atq; confirmatos in cordibus, iam scire & tenere que proponat ipsis, ut non opus sit eis, quasi incognita atq; ignota discere. Excitatos igitur uult discipulos suos Iohannes mentione Spiritus sancti, uel unctiois, ad cuius auctoritatem & testimonium de sua doctrina prouocat, ut confirmatiore sint animo & cogitent, doctrinam quam modò amplexi sunt & tenent, ueram esse Dei doctrinam, eamq; Spiritus sancti testimonio atq; sigillo obsignatam esse, comprobata & confirmatam.

Illam autem certitudinem doctrinae, & unctio seu obsignatio eius in corde, certè non contingit sine externo & uocali ministerio docendi, sine cogitatione uerbi, sine inquisitione doctrinae, & sine maximis certaminibus. Est enim unctio, cum in dubijs atq; desperatis rebus, uelut oleo recreat & reficit imbutas mentes sensu letitiae in Deum Sanctus Spiritus. Quod si in ceteris leuioribus artibus doctrina aliqua, sine usu atq; experientia, non satis certa ac firma est, quantò magis id in hoc genere doctrinae accidit, quod sine maximo studio, usu, experientia, indagatione, consideratione, & exercitijs fidei, seu certaminibus nullo modo intelligi potest, ut S. Paulus fatetur se nondum hoc assequi  
tum

tum esse, sed summa tamen animi intentione eniti  
 ut assequatur, & uidere scopum quo cursus diri-  
 gendus sit. Si quis arbitratur se sine doctrinæ  
 multiplicis & rerum cognitione, & usu in docto-  
 rum sacrarum literarum euadere posse, & histri-  
 onica Pontificiorum unctioe effici θεοδιδάκτορ,  
 ut memorant Hesiodum cum pastor esset, accepto  
 calamo à Musis in Helicone uatem effectum esse, is  
 insulsam concepit opinionem, nec quid sit unctio  
 intelligit, quæ primùm sine uerbi Dei intellectu  
 apud rudes & indoctos nulla esse potest: unctio  
 enim obsignatio est cognitionis, Vbi nulla uerbi  
 est cognitio & cogitatio, ibi nulla est obsignatio,  
 nulla Spiritus sancti gratia. Postea etiamsi uer-  
 sati sumus aliquandiu in uerbi lectione, & degu-  
 stauimus initia rerum sacrarum, unctio tamen non  
 subito animi omnes maculas detegit, & caliginem  
 hesitationum atq; erroris propellit ac discutit.  
 Plato inquit, Beatum sibi illum uideri satis su-  
 perq; cui tandem in sera ætate contigerit, ut sapi-  
 entiam, uerasq; opiniones assequatur: idq; de ijs re-  
 bus sapientiss; uir asseruit, quas humana ratio in-  
 uestigare atq; deprehendere potest. Verius igitur  
 de diuinis rebus affirmare hoc possumus, quæ pro-  
 fectò uere aspici atq; intelligi, nisi in serijs exerci-  
 tijs, in ipsa dimicatione atq; experientia non pos-  
 sunt. Et tamen ab illa meta, ad quam contendere  
 dum est, procul nos abesse meminimus.

Oremus igitur Christum, ut ipse augeat in nobis dona, & Spiritus sancti gratiam, & ipse nos docere pergat. Studia artium & linguarum amemus & fideliter propagare contendamus, cum quidem in explicatione doctrinae coelestis necessaria sit diligentia inquirendi proprietatem sermonis diuini, & querendi ἀναλογίαν quae sine adminiculo multiplicis doctrinae, linguarum & artium cognitione non peruestigatur, sicut uidemus in omni barbarie multiplicem esse confusionem in doctrina, et erroribus impijs, ac in fundamentum impingentibus scatere omnia. Ad lectionem igitur et studia sacrae scripturae, timorem Dei, & amorem ueritatis, dexteritatem & candorem, & literas et sermonum cognitionem adferre nos oportet. Et sicut usus in reliquis ad perfectionem conducit: ita in hoc genere doctrina illustrior erit, si fidei exercitia & ardens accedat inuocatio, & Deus lucem suam in animis in his exercitijs accendit, de qua dictum sonat: Vnctio uos docet. Nec mole laborum in cursu studiorum defatigemur, aut animo succumbamus, & periculis conterriti ueritatem non deseramus, aut agnitam postea in gratiam aliorum contra conscientiam dissimulemus, aut etiam, quod iudae proditoris est, oppugnemus. Cum enim certum sit Deo placere hos scholasticos congressus & exercitia studiorum, ipsumque adesse discipulis, & hac doctrina duci homines ad coelestis Ecclesiae societatem & consuetudinem: Horum ingen-  
tium

tium bonorum consideratio leniat dolores, & animis in hoc cursu uocationis cuiuslibet nostrum robor atq; animum addat. Quam quidem stationem nostram ut regat et confirmet, per Spiritum suum in coetu nostro Filius Dei, toto eum pectore oro.

DIXI.

ORATIO DE DIGNI-  
TATE ARTIS MEDICÆ RECITA-  
ta à Casparo Peucero artis medica Doctore præ-  
stantissimo, cum conferret gradum Doctoris  
in arte medica Abrahamo VVernero  
oppidi VVitebergensis  
physico.

**P**recipuum decus est agminis scholastici, quod pars est illius coetus, qui uocatur Ecclesia Dei, & colligitur uoce ministerij à Filio Dei, ac regitur à Spiritu sancto ad eternam consuetudinem cum Deo. Deinde, quod tractat atq; exercet doctrinas, quæ non sunt tantum ornamenta & præsidia societatis publicæ in genere humano: Sed etiam testimonia de Deo, quæ uel uoce Christi λόγος ducunt nos ad ueram Dei agnitionem, qua ipsi coniungimur atq; copulamur, uel argumentis rationi obuijs, aut in sensus incurrentibus confirmant in animis adensationem de prouidentia. Est enim in artibus etiam grata de Deo fama sparsa, Vt recte Plato ait;

Loquor autem non de Scholis Ethnicorum aut  
 hostium Filij Dei, quales sunt Mahometanorum  
 & omnium qui quoquo modo uel furoribus man-  
 festis, uel fraudulenta Sophistica gloriam Filij Dei  
 oppugnant, Sed de nostris loquor agminibus, in  
 quibus, cum sonet incorrupta uox Euangelij, &  
 studia doctrinarum referantur ad hunc finem, ut  
 Deus celebretur, certum est Rectorem nostrum  
 υγινην ὑποφωτισμενον esse Filium Dei λογος, sicut  
 affirmat ipse: Vbicunq; duo aut tres congregati  
 fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Item:  
 Delectatio mea in filijs hominum. Quotiescunque  
 ergo in hoc publici ministerij loco, qui his congres-  
 sibus propter renunciationum festiuitates desti-  
 natus est, conuenimus, discernamus & cætus no-  
 stros, & doctrinas, quas colimus, à prophanis &  
 impijs agminibus & dogmatibus omnium ætatum,  
 & omnium aliarum gentium, quæ caruerunt luce  
 diuina, siue gloriosum Ecclesie nomen titulo pro-  
 fiteantur, animis & studijs alienissimis à pietate,  
 siue pro hostibus Ecclesie sese manifestè gerant ac  
 declarent.

Cogitemus de Deo autore & fonte uera sa-  
 pientie, de demonstrationum in artibus ueritate  
 ac certitudine, quæ sunt ceu scintillantes igniculi  
 assiduo inuestigationis ac collationis studio pro-  
 pagati ex radijs illius luminis, quod de luce suæ sa-  
 pientie Deus in mentibus nostris accendit. Cogia-  
 temus & de norma doctrinarum, quæ sit studio-  
 rum

rum & conatum nostrorum gubernatrix perpetua, Vt Deum & Dei opera à rebus malis separare, Deum rectè inuocare, res bonas eligere & amplecti, malas odisse ac reijcere discamus.

Deniq; testemur uera erga Deum gratiarum actione, & beneficiorum diuinorum celebratione, abhorrere nos totis pectoribus à barbarica & Cyclopica sapientia omnium illorum, qui Cynicorum aut Pyrrhonorum more Deum & uestigia Dei in natura, & naturæ considerationem, imo totum uitæ ordinem contemnunt, & plausus captant apud stultos uituperatione doctrinæ & ordinis, quem Deus in tota natura & in uita hominis sanxit, aut artium & doctrinarum certitudinem uel labefactant lusibus ingeniorum, uel inuoluunt præstigijs uerborum.

Ad harum rerum considerationem & ad gratiarum actionem, ut inuitetur & adsuescat adolescentia exemplo publico, adferimus ad hos congressus inuocationem Dei, cumq; de artium nostrarum dignitate dicimus, repetimus mentionem Dei auctoris, & artium usum dirigimus ad hunc finem, ut illustrent gloriam Dei, & seruiant utilitati hominum.

Sit igitur hæc prima & præcipua pars orationis nostræ, qua nos ceu publica testificatione ab omnibus alijs cœtibus extra Ecclesiam seungamus. Hanc mecum pijs mentibus recitate.



Tibi omnipotens Deus, uiue, sapiens, caste, be-  
 nefice, & liberrime, eterne pater Domini nostri  
 Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & hominum  
 una cum filio tuo coeterno Domino nostro Iesu  
 Christo, & Spiritu sancto effuso in Apostolos, &  
 Paracletos, gratias agimus, quod immensa miseri-  
 cordiate patefecisti in creatione, redemptione, &  
 resuscitatione generis humani, & quod adhuc  
 colligis tibi æternam Ecclesiam etiam ex his sor-  
 didis reliquijs generis humani, & ut conseruari  
 hæc possit, suppeditas alimenta & remedia ne-  
 cessaria corporibus in hac tanta, & adhuc indices  
 augete imbecillitate naturæ humane. Deniq;  
 quod excitas subinde idoneos aliquos & fidei do-  
 ctos & Medicos corporum. Teq; ueris ge-  
 mitibus oramus, ut deinceps quoq; semper inter  
 nos colligas Ecclesiam, & tuearis, alas, serues, ac  
 regas nos, & familias nostras, ut sint, quæ te ag-  
 noscant & celebrent.

Post hanc commemorationem de Deo, adiungas  
 mus aliquid de arte nostra, de qua cum dicimus,  
 semper complectamur causas, cur homines formati  
 simus? Vnde tanta sit tam præstantis naturæ  
 infirmitas, quæ ad æternitatem omnibus summis,  
 & ex diuinitate profectis ornamentis exculta  
 est atq; instructa? Vnde tantum in ea calanti-  
 tatum, tantum atrocium ac seuorum morborum?  
 Quare mors in hanc Dei imaginem grassetur?  
 Cur nos Deus ad tempus cibo & remedijs sustena-  
 tet?

Quomodo tandem per filium restituat ad aeternam cum ipso uitam & consuetudinem luce, iusticia, & letitia aeterna plenam, in qua in mentibus nostris ab omni labe expurgatis, resurget integra & uiua imago Archetypi. De his maximis rebus etsi nos sola uox Euangelij erudit: tamen re-  
 mediorum consideratio & medicationes, ut causas inquiramus in doctrina Ecclesie communes faciant, cum obscuras & mutilas Philosophia ostendat.

Ingentem humane nature infirmitatem uix ulli magis norunt, quam Medici, qui penè quotidiana spectant exempla, & sæpe ex leuibus offensionibus aut erratis cernunt nasci mala immedicabilia, sæpe in tristissima incidunt spectacula seuisimorum cruciatuum, que intueri sine ingenti animorum perturbatione & horrore corporum nequeunt.

Causas & fontem mali demonstrat uox celestis, Ea uicissim & remedia morbis proposita & usum remediorum explicatum esse docet diuinitus hanc unam & solam ob causam quòd uult Deus ex hac quantumuis fragili & polluta colluue generis humani in hac uita comparare eternam hereditatem filio, à qua in omni eternitate uera agnitione & obedientia colatur ac celebratur, & cui sese ipsi uicissim in æternum communicet, in quam effundat sese, in qua consideret atq; conuescat, sicut monent dulcissimi uersus

*sus Reuerendi patris nostri Philippi Melanthonis :*

*Non Deus ostendit se tantum ut corpora curet,  
Sed cur seruari nos uelit ille monet.  
Scilicet ut sese nobis communicet ipse,  
Semper & ut uiuant pectora plena Deo.  
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,  
Mens pia cum discit munera nosse DEI.*

*Rectè ergo affirmat Syracides, & remedia Dei opera esse & artem à Deo traditam esse. Sic enim de remedijs inquit : Dominus produxit pharmaca de terra, & prudens non fastidit ea, De Medico addit : DA LOCVM MEDICO. Nam & ipsum Deus creauit. Item HONORA Medicum, Quia propter necessitatem Deus eum creauit, id est, Non solum remedia genuit Deus, Sed impulit etiam mentes certorum hominum ad res mediorum considerationem, & adiuuit studium inquisitionis propter necessitatem, quod natura hominum fracta & languefacta peccato, & in mortem precipitata, medicationibus carere non posset, nisi aut cruciatibus assiduis excarnificanda, aut protinus quàm primum hanc lucem aspexisset, aut ex circumfuso aëre hausisset uitalium halitusum pabulum, extinguenda esset.*

*Consilium etiam & dextram medicantium diuinitus regi indicat Syracides, cum creatum à Deo Medicum perhibet. Creatio enim gubernationem etiam*

etiam complectitur naturæ ordine agentis, & non est sine Deo ulla foelix medicatio. Ipse est enim, sicut scriptum est, uita & longitudo dierum. In ipso uiuimus, sumus, & mouemur. Verè Deus uitæ fons est, & uitales halitus corporibus ipse adflat nostris. Sed uult nos reuerenter uti rebus ad hunc usum magna arte & sapientia comparatis, ut uitæ flammulas alant foueantq;, & corpora laesa, uelut ruinosas domos reficiant, fulciant, ac sustentent, quæ quidem ita efficaces sunt, cum ipse uim tribuit, & mentem atque industriam Medici gubernat.

Magna itaq; hæc Artis Medicæ dignitas est, quod à Deo est, & opem fert imbecillitati hominum, ac consulit incolumitati eorundem propter Ecclesiam, ut & singulis ad studia piæ doctrinæ atq; assidua exercitia fidei & inuocationis uires in uita longiore sufficiant, & exemplo multi adducantur ad Deum & ad societatem Ecclesiæ. Neq; exiguâ præstat pijs mentibus consolationem hoc ipsum, quod scimus Deum approbare artem, & hæc officia nostra, et uelle utrumq;, tum, ut sint artifices, qui artem tradant alijs & remedia exhibeant, tum, ut Dei donis, id est, remedijs ipsis, & Medicorum officijs homines reuerenter utantur, Sed adferant utrique ad medicationes ueram & ardentem inuocationem Dei, & gratiarum actionem. Ita enim demum foelix erit fidelis Medici opera, & proderit egro.

Non sunt probandæ uoces illorum Sapientum, qui propter calamitatum & morborum molem clamitant præstare hominem aut non nasci, aut mox, ubi sit natus, interire. Tales uoces si emittuntur ab hominibus prophanis, qui sunt sine Dei agnitione, & sine fide, in Ecclesia tamen audiri minimè debent. Cuilibet enim expetèda est longior uita propter multas causas, ut discat doctrinam de Deo: Ut usu & exercitijs crebris stabiliat & augeat fidem: Ut doctrinam alijs impertiat, & exemplo alliciat plurimos ad pietatem, & cum Ecclesia coniunctionem: Ut suo quisq; loco uel sapienter & fideliter consulendo, uel fortiter præliando ubi opus est, tueatur pacem publicam, ac prouideat & præstet, ne aut deuastentur, aut disijciantur imperia & Respub: bellis externis, uel seditionibus domesticis, quæ cum hospicia præbeant Ecclesijs, illis ruentibus, hanc quoq; collabi atque interire, aut saltem detrimentis affici, necesse est. κακῶθεισιν γὰρ τοῦ τῆς Χωρᾶς, νοσῶντων τῶν Δεῦ. Idcirco, ut alias res corpori necessarias, ita & uitam longam Deus à se peti uult.

Prorsus autem hoc præstat corpori humano ars Medica, quod sapientia legum societati humane, quæ est quasi unum corpus. Magna enim utriusque est similitudo. Ut enim à labe & infirmitate, quàm peccatum infligit nature hominum, morbi sunt, qui quod de pulcherrimâ harmonia nature

naturæ integræ reliquum est, paulatim dissoluunt, deformant, mutilant, destruunt, & aliæ deinceps causæ morbos adaugent, atque exacerbant cruciatus: Ita in ordine Politico confusiones tyrannidum, scelerum, libidinum, iniuriarum, & similia, quæ sunt Rerumpub: morbi, partim ab erroribus mentis & uoluntatis humanæ contumacia, atque incendijs uagarum & errantium cupiditatum, partim à furoribus existunt Diabolorum. Morborum alij *αυτόματοι* sunt, alij *ἐκδοιοι*, & horum quidem quàm illorum multo plures. Sunt & alij alijs *κακωνδέσποιοι* uel *ἐπιτεκνέσποιοι*. Sic & uiciorum atque confusionum in ordine politico ingens est discrimen, & multò plura ab hominum uoluntatibus & Diabolorum furoribus oriuntur, quàm aliunde. Rursus ut causarum & morborum, sic Medicationis est similitudo. Ars Medica, ubi locus est opi humanæ, pharmacis, quæ ex terra petit & animantibus, morbos uel lenit, uel extirpat. Si uiolentia morborum medicamenta mitiora respuat, igne eos ustulat, aut enecat frigore, aut excindit ferro. Sapientia Legum iudicij, pœnis, atrocitate suppliciorum uitia coercet, ac retundit malignitatem *κακωνδέσποιοι*, his scilicet pro circumstantiarum ratione uariatis, ac si impunitate scelera serpent & contagio inficiant plures, exasperatis, sicut pro corporum & morborum ratione medici remedia acuiunt.

Neutra tamen fontem mali tollit, Sed mitigat aliquantulum ac demulcet, ceu fici folijs contectum, ut minus exerat sese, & ledat minus, & minus habeat deformitatis. Quid enim est aliud tota gubernatio politica, quàm quaecumq; frenum humanarum cupiditatum, quo cohibentur, ne extra metas ruant, & ordinem humanæ societatis temerè uel turbent, uel euertant? Quid uerò meditationes nostræ sunt aliud, nisi quaecumq; θελατρία<sup>a</sup> suppullantium indies ex uiciosa radice, & cum ætate ingrauescentium morborum, qui à primis in nos parentibus in ipso exortu propagati, & penitus insiti, alia remedia, alium artificem desiderant.

Sola igitur Ecclesiæ doctrina uera remedia adfert à Filio Dei, qui naturam ab interna labe perpurgatam paulatim renouat & instaurat, cuius renouationis initium est in hac uita, & consummabitur in illa æternitate, in qua erit Deus omnia in omnibus.

Sed reuertor ad artem nostram, cuius altera est dignitas & proxima, quod demonstratis uestigijs sapientiæ, præsentis, bonitatis, ac beneficentiæ Dei erga nos in rerum natura, & in ipsis meditationibus, ducit animos ad agnitionem Dei opificis. Fateri enim necesse est, sanos omnes contra Epicureas opiniones, quæ fingunt casu omnia fieri, nec insitas esse rebus uires dissimiles, & artes inania ac fabulosa commenta esse: contra has inquam opinio-

opinionēs, fateri necesse est sanos, non casu ex Democriti atomis confluisse rerum naturam, Sed summa arte ac sapientia à Deo architecto, sapiente, bono, benefico, casto, iusto, uindice scelerum, fabricatam esse, ac sustineri. Quantum est sapientiæ in fabrica corporis humani, in uirum & actionum discrimine, in remediorum & diuersitate, & συμπαθεία, καὶ ἀντιπαθεία, ad certos morbos, & partes certas corporis, & inter sese, in usu remediorum, & applicatione? Quid est enim admirabilius, quàm alias res opem ferre alijs membris, alias item præsidia esse contra alios morbos?

Smaragdus gemma epilepticos paroxysmos uel arcet, ne accedant, uel, cum inuadunt, profligat, si uincat: si succumbat, uel rumpitur, ac disilit, uel cum nitore uim omnem amittit.

Corallia de collo suspensa colorem cum affectibus cordis mirifico consensu mutant. Efflorescit enim rubor corde ceu reuiuiscēte ex ægritudine aliqua, aut in letitiam effuso. Palescit exhausto, uel torrefacto corde, uel mæstitia sensim extabescēte. Plena hæc sunt diuinitatis. Sed in his abdita latent atq; abstrusa alia maiora, in quibus sapientia Dei λόγος ludens coram Deo, ludens in orbe terræ, ut in Prouerbijs dicitur, ceu spectanda exhibet Angelis & hominibus admiranda opera diuinitatis.

Nam in his ipsis proprietatibus mirandæ sunt



imagines expressæ, quæ res maximas pingunt. In uero agone conscientie luctatur fides cum dubitatione, in quo certamine, si uincat, excitat sensum uitæ & letitiæ æternæ: si superetur, opprimatur homo horribili desperatione & morte æterna.

Sic exhilaratur Spiritus sanctus, cum corda piorum obtemperant Rectori Deo, & ardent amore Dei. Contristatur idem, cum sese à Deo auertunt & excusso Rectore Deo rapiuntur flammis inordinatorum affectuum. Desino exempla recensere, cum plurima recitata sint antea ab alijs.

Sed ars opificij humani cum ostendat, qualis sit Deus, cæterarum considerationum testimonia longè antecellit. Sic est conditus homo, ut membra corporis sint organa rerum, quas Deus, cum in ipso sint summæ, homini ad imaginem suam conformato impertuit, Vt sapientiæ, ueritatis, bonitatis, Iustitiæ, beneficentiæ, castitatis, perseverantiæ in bono, liberæ electionis. In Cerebro lucent noticiæ & ueritas, intellectus discernentes inter recta, & non recta, inter honesta & turpia.

A Cerebro oriuntur nerui, qui cogitatione & uoluntate impulsî, externa membra uel incitant, uel continent. His frenatur impetus immoderatiorem affectuum cordis, quos cerebrum cum à corde

corde uitam accipiat, uicissim in illo celerrimo cogitationum discursu excitat, pro uita rationis atque intelligentiæ ceu gustum quendam illi re- pendens. In his manifestè cernimus aliquid sapi- entie, libertatis, Iustitiæ & aliarum uirtutum in homine reliquum esse, etiamsi id languidius est, quàm initio conditum fuit, Et uoluit hoc De- us reliquum esse, ut ostenderet, ac testaretur, qua- lis sit ipse.

Adiuuari ergò consideratione harum rerum agnitionem Dei, quantum scilicet de Deo cognos- cere mens humana sine uerbo potest, & simul confirmata adfensione de prouidentia, excitari mentes ad reuerenter sentiendum de Deo, & ad celebrandum huius præstantissimi opificij  $\delta\eta\mu\acute{\alpha}\nu\upsilon\pi\omicron\upsilon\pi\omicron\upsilon$ , fateri necesse est.

Ita cum ars Medica penè cogat homines aspi- cere in natura uestigia, quibus ita sese Deus effin- xit atque expressit, ut penè contrectari manibus possit, etiam non excludo leges & præcepta Me- dicorum ab encomio, quo ornatur Lex apud Pau- lum, cum dicitur, quòd Lex sit Pedagogus in Christum. Etenim dubium non est, congruere cum temperamentis corporum, inclinationes ani- morum: his uerò respondere mores & actiones ex- ternas, scilicet, cum nata ex uicioso temperamen- to  $\delta\omega\acute{\alpha}\mu\epsilon\alpha\zeta$  uiciose, atq; ex his ortæ propensio- nes, uel arte ac doctrina, uel potius Spiritus sancti auxilio non corriguntur, nec frenantur aut repri- muntur.

muntur. Vſitatum dictum eſt: Bona Phyſica facit bonam Ethicam. Quantopere enim ſint in uicia procliuēs, quanto ad ea ferantur impetu, natura δὲ ἀρετῶν & distorti, aut conſuetudine corrupti, aut inflammati intemperantia, aut qui indulgendo acuumt cupiditatum flammās, exempla docent. Vtroq; ergo modo ars medica ſit pædagogus in Chriſtum, & quòd demonſtratione teſtimoniorum diuinitatis in natura flectit animos ad cogitationem de Deo, quòd ſit Deus, qualis ſit, & quòd curet res humanas, & quòd emendatione uiciorum in temperamentis, ſiue connata ſint, ſiue acquiſita, corroboratione membrorum præcipuorum ac δυνάμεων, exercitijs temperantiæ & continentię, moderatione affectuum omnium, motibus conuenientibus, & ſimilibus adiumentis alijs reddit agilia, & alacriora, καὶ ὡς ποδῶν ἰσχυρὰ organa diuinarum actionum in corpore, ad munia ſua promptius ac rectius obeunda. Inclareſcit enim natiua ſpirituum perſpicuitas, fitq; lucidior nitidiorq; elaborata coctione perpurgata ac ceuſerenata, ut citius uim lucis & afflatus diuini arripiant & excipiant, ac celeriore eandem uibratu organis imprimant.

Quis poteſt ſenſus eſſe ſerię pietatis in his, quibus ſtupet tumetq; cerebrum obrutum, & obuolutum denſa nube caligantium halituum, & aſtuat cor incendijs feruidiſſimorum affectuum, ardet focus appetitionum flammis libidinum, ſenſus omnes

omnes hebetescent. Aut quibus hæ partes crapulis  
& libidinibus ceu eneruatae fatiscunt atque ex-  
oluuntur. Verissimi sunt enim Poëtae uersus:

Quod corpus onustum

Hesternis uicijs, animum quoq; prægrauat ipsum  
Atq; affligit humi diuinæ particulam auræ.

Ideo præcipit Paulus: habendum esse honorem  
corpori. Quamquam enim ex luto conflata est hæc  
moles corporum nostrorum: Tamen ad eum usum  
condita est, ut in tota æternitate sit templum ac  
domicilium Dei, & organum admirandarum  
actionum, sicut in hac uita credentes fiunt tem-  
plum Dei, in quo habitat & efficax est tota trini-  
tas, Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus, utens  
ministerio organorum corporis.

Gignuntur in corde Spiritus uelut flammulae  
ex sanguine expressi, qui ut Euripi æstus ad cere-  
brum efferuntur, cui uitam afferunt, & huius fa-  
miliaritate modificati atq; illustrati, cum adiuuant  
cogitationem, tum cient uicissim affectus in corde.  
In hanc totam distinctorum halituum molem sese  
insinuat diuinitas. Deus æternus Pater, qui uitæ  
principium & fons est, aspirat ex corde halitibus  
uitalibus uim nouam, qua renouamur ad æternita-  
tem. Cerebri spiritibus affundit nouam & eter-  
nam lucem Filius Dei, qui est lumen de lumine  
ostendens Patrem, & reddit firmiores notitias,  
dicens consolationem. Spiritus sic incensi noua  
luce agnitionis diuinæ, è cerebro remeant ad cor,

Vbi Spiritus sanctus, agitator, & paracletus, & mutuus amor & mutua letitia inter Patrem & Filium, rursus in corde hac noua luce spirituum uibrato percussoq; quasi complexu mutuo noue uitæ ac lucis, in ipsa spirituum animalium ac uitalium permixtione, excitat ἐνοργείας nouas, & motus legi Dei congruentes. Non destruit enim, sed instaurat ac redintegrat organa actionum in credentibus diuinitas. Quanta est igitur dignitas artis Medicæ, quod organa domicilij dedicati Deo, ad actiones sanctas adornat ac præparat. Hanc si multi considerarent, maiore diligentia & reuerentia, consilijs & præceptis Medicorum obtemperarent, & pluris facerent hanc doctrinam. Peccant omnino grauissimè, qui neglecto ordine in cibo & potu, somno, laboribus, denique in omnibus motibus animi & corporis, nature uires affligunt, spiritus uel obtundunt ac hebetant, uel exhauriunt & dissipant, impediunt in ipsis lucem diuinam permixtam spiritibus corporum, Deniq; ante tempus mortem sibi ipsi consciscunt. Peccant & Medici, qui ægrotis adulantur & indulgent, aut spe lucelli ad affectus & cupiditates eorum alludunt, cum permittunt res non conuenientes aut noxias etiam, uel cum exhibent remedia blanda quidem, sed perniciofa, quod quicumq; faciunt, hi sciunt, se homicidas esse non minus, quam sunt illi, qui artis prorsus ignari, Medicinã amem facere summo cum discrimine ægrotum non uerentur.

Cùm

Cum ergo non tantum utilis sit doctrina Medicorum, sed complectatur etiam considerationem sapientiae, bonitatis, ac beneficentiae diuinae erga nos, & conducat ad uerae pietatis exercitia, amemus eam, & propter gloriam Dei, & propter nostram utilitatem, & grati beneficijs Dei fruamur, ac celebremus sapientiam & bonitatem eius. Non cogitemus nos Deo tantae curae esse, ut huius fragillimae & fugacissimae uitae curriculo confecto, postea nihil simus, sicut iudicant homines ignari Euangelij: Sed ut in illa aeternitate, consuetudine eius fruamur, & assidentes Filio Dei Doctori ueram sapientiam discamus, ad quam iter esse uult & tyrocinium huius uitae spacium, quod ut recte colloceamus, & praecipuum nobis esse cogitemus, & enitamur sedulo.

Oremus etiam Filium Dei qui dixit: Sine me nihil potestis facere, ut ipse nos adiuuet, & gubernet, & conseruet honesta studia, quae sunt praecipuum ipsius munus & praesidium Ecclesiae ac societati communi maxime necessarium, ne posteritas ex hac clarissima luce doctrinarum omnium, quae nobis fulsit, in barbaricas tenebras, quales uidit aetas superior, reuoluatur.

DIXI.

QVÆ

## QVÆSTIO.

**Q**UÆ consuetudo nostræ etati in his festiuitatibus dicendi copiam facit, eam sequens ego quàm disertè potero recitabo, de quibus iussus atque edoctus sum querere. Cumq; de studij Medici dignitate & præstantia oratio iam sit habita, de quibusdam quæ eodem ualeant differam. Legitur autem in commentarijs Græcorum Ezechiam regem Iudæ, librum Salomonis de medendis morbis omnis generis, qui in templo Hierosolymitano adseruatus fuerit, inde remouisse, quod ægroti ex hoc potius curationes morborum, quàm à Deo precibus pijs peterent, & quanquam in sacra historia de hoc facto Ezechie nihil extat, non tamen esse à ueritate alienum, multa sunt quæ arguunt. Fuit enim huius Regis in extirpanda omni idolatria atque instauranda inuocatione & uero cultu ueri Dei studium excellens, qui neq; ante, neq; post se habuit in illo regno pietate similem, itaque & imagines & statuas quæ colebantur euertit atque comminuit, & montana sacra aboleuit, & lucos consecratos succidit, & serpentem æneum, quem Moyses in deserto erexerat & qui ad illa usque tempora, annis pluribus quadringentis conseruatus fuerat, confregit, quod Iudæi diuinos honores ei haberent incensis sacrificijs, qualis superstitio atq; Idolatria et cum antitypo ligno crucis in quâ Christus

Christus pependit usurpata fuit ueteribus tempo-  
 ribus, quam Nicephorus  $\text{Νικηφορος}$  appellare au-  
 det, & idem nostris temporibus ad adorandum  
 erectum, & adhuc etiam alicubi erigi scimus. Il-  
 lum igitur serpentem Ezechias conscidit, atque  
 insuper opprobrij causa Nehustam cognominauit,  
 quo in illa lingua significatur res aenea, & ido-  
 lum è templo remouit, omniaq; monumenta om-  
 nesq; reliquias Idolatriæ excidit. Cumq; sublatis  
 publicis exercendæ idolatriæ occasionibus, imme-  
 dicabilis tamen maneret impietas in hoc genere  
 Iudeorum, & in priuatis adibus eam instaura-  
 rent, Ezechias in his etiam inquisitione sua hanc  
 est persecutus, & scribunt hoc etiam Græci, quòd  
 metu Regis auersa ianuarum parte Idolatum de-  
 pinxerint quæ adorarent, ut inquisitores regio-  
 hoc modo fallerent, quòd apertis ianuis ea con-  
 tegerentur. Qui igitur cum serpente Mosaico  
 hoc fecit, eum uerisimile etiam Salomonis libro  
 non pepercisse neq; precum & inuocationis stu-  
 dium, ab hoc ut debilitaretur uidere & pati uo-  
 luisse. Etsi autem neque de Salomonis hoc libro  
 quicquam habet sacra historia, sapientiam tamen  
 Salomonis cum summam fuisse constet, quippe quæ  
 excelluerit omnium hominum qui fuissent & fu-  
 turi essent, Non autem minima pars sit sapientiæ  
 humanæ naturæ & effectuum huius cognitio,  
 & quæ inde existit atque progreditur Medicinæ  
 ars, utrisque etiam scientissimum eum fuisse du-  
 bitari



bitari non potest, & celebrantur in sacra historia de stirpibus & animalibus disputationes huius admirabiles cunctis gentibus & orbi terrarum, qui differere sciuit, de lignis à Cedro quæ est in Libano usque ad Hyssopum quæ enascitur ad parietes, & similiter de animalibus, auibus, repenti- um genere & piscibus, ut in Physicis entuisse sapientiam Salomonis appareat. Ezechias tamen Salomonis librum an è templo tantum remouerit, uel prorsus aboleuerit, non est disertè expositum, Deus certè extare eum librum, si qui fuit, noluit, siue Ezechie ad hanc rem opera usus fuit, siue aliter ille ut periret permisit, cum in gente Iudæica profanitatem augeret, & posteritatem illa cognitione abusuram esse præuideret. Ex his igitur renunciato iam Medicinæ Doctore amico paterno propono questionem hanc.

An hoc Ezechie factum dignitati Medicinæ aliquid detrahat. Et naturæ cognitio atque medendi scientia profanitatis periculum præ ceteris humanæ sapientiæ artibus complectatur. Et Christiana pietas quomodo medicinis utatur. Neque uero hæc aliena quæstio ab hoc loco & presentibus actionibus existimanda, cum & in æde sacra renunciatio fiat, & de his querere Medicum Christianum non minus deceat, quàm de ullis Physicis & Medicis disputationibus. Quod si enim Hippocrates ποδὶ ἐνοχ κμοσώνης Medici quærere & præcipere non dubitauit, quanto magis de hoc

hoc querendum, an hæc professio et quomodo Deo placeat & piè exerceri possit, cum hoc sit profanitatis extremæ in uitæ genere uersari, quod an Deo probetur, nondum constitueris.

Vt igitur de proposita questione ex multis pauca dicamus, quæ tempus tulerit. In sanctissimi Regis factum non inquiremus, cuius consilia & actiones sicut in cæteris, ita hac etiam in re diuinitus gubernatas non dubitamus, & ἡμεῖς pietatis multa facit quæ non habent, ut καθήκον stoicum, εὐλογον ἀπολογισμὸν. Quod tamen ille & certo cum scripto, & ad auertendum ἀκρίβειαν in precibus partim securi, partim Idolatrici populi fecit, hoc contra uniuersam artem Medicam & omnia scripta huius induci non debet, Neque si Deus illum librum & ab illius temporis hominibus & omni posteritate certo consilio auferendum statuit, Ideo etiam & omnem naturæ considerationem tolli, & Medicos nullos esse, neque Medicinam ullam usurpari uoluit. Vult enim Deus se & opera uniuersa à genere humano spectari atque considerari, & homines ipsos ad gloriam DEI & salutem ipsorum uti, quæ de caussa & de imagine sua intelligentiæ bonum homini communicauit, & in mundo eum collocauit. Illis etiam ipsis temporibus, quibus liber Salomonis sublatus est, in suo populo & alijs gentibus Medicos & medicinarum usum conseruauit, & Esaias ficibus impositis sanat ulcus Ezechie

Ezechie huius, ubicunq; tum Salomonis ille liber fuerit, quanquam ex Hebraeis aliqui tradiderunt esse hanc medicinam mirificam & sapientie humane contrariam, sicut enim serpens aeneus proponitur ijs qui serpentibus morfi sunt. Num: 21. Cum talibus agris aspectum docerent esse mortiferum, & ligno amaro dulces aquae redduntur, ita ficus ulcerum curae alienas esse tradunt, de quo ipsi uiderint. Posterioribus autem temporibus Graecorum ingenia ad constituendam Medicinam quae in terris maneret excitauit, in quibus eminent ex Asclepiadum familia Hippocrates, & instaurator atque explicator huius Galenus. Et si igitur sine dubio Salomonis sapientia multo fuit amplior, tamen pro his reliquijs, quas in genere humano superesse uoluit, gratias Deo agamus & reuerenter ijs utamur, cum uerisimile sit ex Salomonis sapientia in his etiam aliquid conseruatum, siquidem ex omnibus populis conuenisse legimus qui eum audirent. Naturae uero & mirabilium effectuum huius scientiam non tantum non efficere sed exterminare profanitatem multo magis est consentaneum, Cum enim τὸ πρὸ τοῦ θεοῦ ἰδίᾳ ἀπομαρτυροῦν sit, ut scribit Aristoteles, hoc ipso ad Deum adducuntur non abducuntur animi, & ita quidem prope ut manibus quasi contrectent, cum praesentem monstret quae libet herba Deum. Quod tamen & ex ueteribus & nostrorum temporum excellentissimis Me-

mis Medicis profani multi fuerunt, non studio imputandum, sed alijs causis, quas explicare non est difficile. Et sunt enim & fuere nimis Phisici & Medici aliqui (nam harum professionum est, ut Aristoteles loquitur: σάωρος πραγμάτων) quemadmodum Epicurei ita se perspexisse atq; cognouisse uniuersam naturam gloriantur, ut nulla re quæ accidere possit terreantur:

Quos nec fama Deum nec fulmina, nec mimitanti Murmure compressit cælum.

Nam hæc familia ob duas causas Phisicis usa fuit, ut pellerent mortis & religionis metum, qui uero omnium rerum causas se reperire posse putat, eius animus quin profanitatem contrahat fieri non potest, cui ignoratio philosophiæ tantum parit miracula.

Sicut autem Medicos & Medicinas esse uult Deus, & utrumq; creauit altissimus, Ita hoc non uult in morbis à Medico potius, quàm à se salutem peti atq; expectari, quam etsi ille nonnunquam mirabiliter confert, ordine tamen à se instituto, per Medicum & Medicinas largitur. Quemadmodum igitur in uersu ueteri iubemur manum admouentes inuocare Numina: Ita hic etiam oportet utrumq; fieri, & primum quidem à Deo peti auxilium, & deinde per quæ ille hoc in terris confert assumere, & in timore ipsius reuerenter uti, Hoc si qui non faciunt, eorum profanitas accusanda est, non

obtrectandum diuino munceri, & humano generi  
salutari arti. Cuius dignitas & præstantia ex eo  
æstimetur, q̄ illud studiū, de quo Medicina existit,  
in natura integra fuisse unicū. Nam etsi tum  
neque Medicis neque Iurisconsultis opus fuisse,  
Deopica tamen & contemplatio nature in homi-  
ne infuit, quam in præsentī statu nostro medicina  
ad sanationes morborum conuertit. Neque qua in  
re suauius sese et cupidius occuparet acies mentis  
humane in illa integritate sua post Deum quic-  
quam habuit, quā rerum ab eo creatarum &  
mundi uniuersi contemplationem, quod est Phy-  
sici & Medici μσοειορ præcipuè, qui uniuersam  
naturam considerant, de qua ceteræ humane sa-  
pientie professiones particulas tantum quasdam  
sibi sumunt, cum ex hoc Museo existant uniuersæ.  
Qualium rerum contemplatione & studio ad  
uenerationem Numinis excitatur, quasiq; mole-  
lest ad pietatem animus, & ita in hoc uersatur,  
ut non inflet eum scientiæ persuasio, qua archi-  
tecti illius sapientiam se æquare multi existima-  
runt, cum quomodo quidq; effecerit deprehendisse  
sibi uisi sunt, neque ullius operis huius ratio-  
nem se ignorare, Sed eam esse sentit & sapienti-  
am & potentiam huius, in qua scrutanda huma-  
næ mentis acies nunquam sibi satisfacere possit,  
ut altum ille sapere non soleat, sed usurpet timo-  
rem religiosum. Ita igitur uerè hunc mundum &  
quæ hoc continentur, quasi Scholam habet &  
Musæum,

Museum, in quo pietatem imprimis instruat atque  
 exerceat. Extant autem ueterum etiam in Ec-  
 clesia disputationes de hoc, *ἔι τοῖς ἐν τῆς ἰα. βικ. ἡς*  
*κεχρησθῆαι κατὰ σκοπὸν ὅτι τῆς εὐσεβείας, &*  
 in medio sunt explicationes Græcorum luculen-  
 ter. De quibus omnibus tibi D. Doctor homini  
 pio & uiro & Medico optimo in promptu erit  
 dicere.

ORATIO DE ILLV-  
 STRISSIMO HEROE AC DVCE

Mauricio Saxonie Electore & c. Recitata car-  
 minicè à Iohanne Maiore Ioachimo Sacrae

Theologiae Doctore, & Poëta Lau-  
 reato, Decano, Calend:

Martij.

**M**agnanimum Heroem qui Saxonia regna  
 potenti

Imperio, & iustis defendit fortiter armis

Mauritium, nulli ueterum uirtute secundum,

Siue fide, seu quis pace est expertus & armis,

Nunc uersu grauiore canam: gens fera nepotum

Audiat, & meritos uirtuti expendat honores

Egregiam decorans animam, quæ sanguine nobis

Hanc patriam, & quodcunq; boni nunc floret in

Obtinuit, pulcramq; adiit per uulnera mortē. (illa

Hic uir erat qui sacra Dei temerata ueneno

Vindelicae Sphingis procerum trepidante caterua  
 Vnus restituit, solidaq; in sede locauit,  
 Spirantemq; minas, perplexaq; dicta sonantem  
 Reppulit, & sauos extinxit faucibus ignes.  
 Hoc Duce libertas sandi praecpta salutis  
 Respexit miseros, quae praesso obmutuit ore  
 Sphinge mala dominante locis. Quin ipse furentē  
 Centimanum Romae nobis noua fulmina belli  
 Faucibus Alpina uicina ex urbe Tridento  
 Cudentem, atq; aris iterum noua sacra, nouumq;  
 Ius intentantem, subito dare terga subegit,  
 Et solus ferro crimen commune refellit.  
 Hic rem Germanam belli turbante tumultu,  
 Distractamq; animis studia in diuersa, reduxit  
 Rursus in antiquam uirtutem: & foedera pacis  
 Legibus, & duris firmauit protinus armis.  
 Hunc pariter magno successu magna gerentem  
 Externi tremuere hostes, timuere sodales  
 Armaq; uirtutemq; domi: mouet ipsius ingens  
 Fama uiri, uirtusq; suis maturior annis.  
 Hunc tellus qua Thraeces arant, hunc Caucasus altus  
 Horrui, & populos metuit committere pugnae  
 Ipse suos, patriumq; retrò reuocauit ad Haemum.  
 Huic debet, si qua est meritorum gratia terris,  
 Huic, inquam, flauum quae stat scola condita ad Al-  
 quam sauis turbata armis, & sede paterna (bim  
 Excussam, extrema et stantem iam in sorte, refecit  
 Auxilij, maiora loco incrementa reponens.  
 Hinc solito emicuit maior, numeroq; referta est  
 Dis-

Discentium: belloq; aliquis fuit usus in illo,  
Ornatq; olim ueniunt felicius artes.

Hec dum carminibus celebros: Tu Christe pa-  
Vox eterna tui, tu uiuens illius instar (rentis  
Expers principij & finis, tu nostra serenus  
Orsa iuues, tantiq; faue præclara canenti  
Facta Ducis, flatuq; tuo rege uerba, nec aure  
Edita discrepant, & nubibus irrita spargant.  
Tu bona parta tege, & multo sudore receptam  
His terris duce te pacem Ducis huius ab arte.  
Te structas tacite uires elide, nec ullum  
Consilij oro euentum permittite, quibus te  
Doctrinamq; tuam cupiunt subuertere fundo,  
Vel ui, uel freti perplexa ambage loquendi.  
Hunc etiam ludum porrò, atq; hos asserere cœtus,  
Egregios pariter cœtus iuuenumq; senumq;  
Qui laudem asseruere tuam, laudemq; parentis.  
Sed prius illustres ortus à stirpe parentum  
Expediam, & primæ reuocabo exordia gentis.  
Hunc de Saxonie ueteri propagine cœtum  
Accipimus, sericmq; domo deducere ab illa  
Qua prisca autores gentis longo ordine ducti,  
Atq; a quo propiore patres, nomenq; decusq;  
Pacis & armorum studijs gessere uicissim,  
Atq; acie instructas Martis duxere catervas  
Siue domi, seu bella foris peragenda uocabant,  
Nam quò non penetrat uirtus? Tu Gallia testis  
Maiorum uirtutis eris, quam fortibus armis  
Assertam, iam nunc etiam ditione cœrcent.



Testes Allobrogum populi, belloq; subacti  
 Taurinates, alto quã uertice nubila cœli  
 Aut Alpes Graiæ, montanaue Coccia tangunt,  
 Quã ferus Ausonias inuaserat Hannibal oras.

Sed non hic ueterum attingam monumenta uis-  
 Viuit adhuc animis Alberti fama, nec olim (rorit  
 Fortis aui memores subeunt obliuia mentes.  
 Hic quondã antè alios Burgundica bella regebat  
 Consilijs, operaq; huius, & uiribus usus  
 Pannoniæ tractus superosq; sub iura redactus  
 Matthiæ regis tenuit qui nomina Corui.  
 Maximus obtinuit rursus Æmilianus in armis.  
 Hic insurgentes bello tres ordine reges  
 Pœona, Sarmaticumq; & fortem Marte Boëmum  
 Prælia dum tentant animis, & uiribus equis,  
 Cui regnum Elysiæ cedat: desistere ab armis,  
 Et pacis leges capere, & componere pacem,  
 Cumq; manu belli terris excedere ab istis  
 Impulit, hostis ope intentans discrimina lethi  
 Qui legem hanc capere, & legi parere recusset.  
 Sic regum simul & lites componere, & idem  
 Ingenti patriam potuit terrore leuare.

O præstans animi robur: quòd tempore tali  
 Si quod adhuc reliquũ Ducib: foret, heu fera nusq;  
 Prælia sic, nec tanta forent odia impia, & omnes  
 Inter se aduersis concurrant motibus urbes,  
 Nec se huc tot gentes uicinæ impunè tulissent  
 Incursum, metuatq; sibi Germania cladem.  
 Deniq; eum summi proceres uoluere uacanti  
 Perfis

Præficere imperio, postquam fatalia Caesar  
Munera soluisse, sceptrum, regniq; coronam  
Mandare huic soli, tantum ò si luce fruatur  
Ætherea, nec adhuc fato cessisset ad auras:  
Tantum iudicium tulerant de principe tanto.

At Patris & Patruī uirtus spectata recenter  
Phrisiacis latè bellis, sese extulit armis.  
Nec minor in puero uirtus inuente sub æuo  
Signa dabat, magnis animi cū motibus annos  
Anteiret, fortes præstans ad fortia uires,  
Dum pugnam, aut aliquid magnarū inuadere re-  
Mens agitat sibi, nec dulci cōtenta quiete est. (rū  
Non etenim frenos patitur mens ardua, & acer  
Impetus ille suis longè prior euolat annis,  
Si nescis, Deus hunc ardorem mentibus addit,  
Et uelut accendit, sic certis flectit habenis.

Indolis ergo bonæ puero bona cura iuuentæ  
Cesit, & Ascaniæ de stirpe Georgius alta  
Huic datus hærebat custos, moresq; regebat.  
Illius ad nutum mores expressit, & acta  
Composuit, ut quæ uisus sit uelle monere,  
Hic ageret, factisq; momenti occurreret ultrò.  
Nam sanctos uite ob mores, ueræq; beatum  
Doctrinæ studium, atq; insignem pectoris artem,  
Non tantum ingenti ingentem cōplexus amore est  
Officio indulgens, sed enim cumulabat honore  
Sufficiens, magnaq; animi pietate colebat,  
Ut sæpe antè Duces illo se nomine ferret  
Cui duo præcipui, tam fido pectore noti,

Quam pietate uiri, sunt iuncti foedere amoris,  
 Ut mortem haud dubitet pro religione pacisci  
 Quam teneant illi, scriptisq; in secla propagent,  
 Te princeps uenerande uocans, doctumq; Philip<sup>o</sup>  
 Ambos insignes fama, et uirtutibus ambos. (p<sup>um</sup>,  
 Si duo præterea tales Germana tulisset.  
 Terra uiros, iam nunc scriptorum forte bonorum  
 Plus erat, atq; minus turbarent scripta malorum.  
 Dicta habuere fidem, potuit qui plurimus ardor  
 Esse fuit, toto regni cœcunte Senatu  
 Flexiloque Sphingi scriptis obsistere contra  
 Ausus erat, primusq; pijs obtendere dictis  
 Aggressus coram, primus strepitumq; minasq;  
 Subiecit pedibus, fregitq; ferocia monstri  
 Corda, uolente Deo, donec ui uicit, & armis  
 Obtriuit surgentem, & sibila colla tumentem.  
 ET merito pictas Ducis est iustissima cura,  
 Hinc Decus imperij stabilire, & reddere pacem,  
 Prouehere ingenuas artes, dare premia doctis.  
 Hæc eadem ut faceret, quem non haurire laborem  
 Aggressus, quos non casus tulit? hei quibus ille  
 Iactatus fatis? Ciues ut pace sederent,  
 Ille armis in bella ruit: de hinc numina uero  
 Ut celebrent cultu, tot monstra infanda deorum  
 Sustulit ille adytis, purgataq; sacra reliquit.  
 Ut pietate ætas tenera educetur & arte,  
 Instituit ludos ubi uani fana Papatus.  
 Maiestate forum muniuuit, legibus urbes  
 Quæis neq; mos, neq; cultus erat: collapsa refecit  
 Templâ

Templa Dei, & studia ad solitos euexit honores.

Atq; his à curis regnandi exordia duxit  
 Cum patre defuncto patrijs successit habenis,  
 Hinc bene dispositis natali in limite rebus  
 Militiam, & graue Martis opus tractare ferendo  
 Maluit, & sumtis uires ostendere in armis,  
 Non patriã infestans, sed iniqua ab lege resoluens,  
 Otia non rumpens, sed longo in fœdere seruans.  
 Idcirco haud socios regni, ciuesq; paterni  
 Imperij aggressus, sed Christi nominis hostes  
 Inuasit bello, nostris ut pelleret oris,  
 Et regni assereret decus, & sua munera Christo.  
 Sæpe foris uoluit pacata Teutonis ora  
 Cum Scythiæ populis duro concurrere bello.  
 Et solus magnas Martis nutrire cohortes  
 Armorum impensis proprijs, atq; agmine denso  
 Tentare ingressus, amissaq; regna relicta  
 Pannoniæ, domitasq; reposcere uiribus urbes.

Ergo extrã patriã primus magna agmina ducit  
 Communi uictus patria, & uirtutis amore (xit  
 Quando in Pannoniæ tendebant milite campos,  
 Et pentus toto certatum est corpore Regni.  
 Hic primum specimen præstans certamine belli  
 Impleuit terrore hostes, quem deinde secutus  
 Successus rerum magnis adeo extulit ausis  
 Suprà alios regni procures ut nomen haberet,  
 Quos acri ingenio tantum superauit, ut omnes  
 Extinguit stellas exortus luce sua Sol.  
 Hinc Asiæ tellus inimica cohorrui olim

Auditum ad nomen, succussaꝫ; uiscere in imo est.  
 Si quid apud rapidū tunc gestū est fortiter Istrum  
 Consilio, atq; manu stetit huius Principis illic.  
 Hic postquam urgetur pugna congressus iniqua,  
 En bellator equus præceps ex uulnere, terre  
 Sternitur, excussūq; equitem super ipse uolutus  
 Implicat, hærentemq; ferit grauis ungula pulsu  
 Haud domini memor, & terre insuper adplicat  
 Diuersūq; rapit: sed inutilis, inq; ligatus (ipsum,  
 Tela instare uidet, uarijsq; assultibus hostes,  
 Nec quò se cripiat, nec qua ui tendere possit  
 Adparet, nisi sola oculis lethi horrida imago.  
 Proripuit iuuenis qui tunc comes hæsit in armis,  
 lamq; assurgentum dextris, plagasq; ferentum  
 In medio ueniens subijt, hostesq; morando  
 Sustinuit, lethoq; suum caput obtulit ultrò  
 Pro duce se hostili gaudens succedere dextre.  
 Aduersum & iugulo non inscius accipit ensē  
 Dum princeps serui obiectu proteclis abiret.

Ergo pedem bello referens tua Carole tandem  
 Castra sequebatur, sub te tolerare magistro  
 Egregias artes belli, tua cernere facta  
 Assueuit, magnis & te sectarier ausis.  
 Gelrica tum uictor post bella exhausta, mouebas  
 Signa per Attrebatas, & regem Marte petebas  
 Franciscum, tumidis ubi Sequana labitur undis.  
 Iunxit opes, uiresq; tibi, Gallumq; ferocem  
 Landrisij ad muros repressit, & exiit armis.  
 Mox iterum ut bello egressus signa altera figis

Quâ Desiderij Fanum de nomine fertur :  
 Vnus homo aduersos ita bello terruit hostes,  
 Ut pacem petere, & tentarint tendere dextras.  
 Nam bis mille equites inopino turbine in hostes  
 Concitat, ignaros rerum, oppressosq; ruina,  
 Et pauefacta uirum demisit corpora letho:  
 Qua strage impulsî, cessabant protinus armis,  
 Et bello orabant spacium interponere pacis.  
 Nec quenq; ingenioûe parem, nec robore, & arte  
 Ad quoscunq; aditus uelles, tu Carole habebas,  
 Nomen, ut incauti uix sepe effugerit, ardens  
 Ingenio, & promptis obeunda ad munia neruis.

Quantus in hanc patriam fauor extitit, ardor  
 Testes heu nimium testes ciuilia bella, (& ingens,  
 Compositæ & lites, rursusq; è sorde reducta  
 Relligio, & fixæ leges, quibus impia bella,  
 Bellorum & causas penitus præcideret omnes.

Dum parat creptas collecto milite terras  
 Afferere Henricus qui frena Lycaonis arcis  
 Sustinet, & subito reditu procul inijcit hosti  
 Terrorem, immittitq; fugam, & spe deijcit omni,  
 Ne glomerare manû contra, aut obtendere possit,  
 Nec præceps uires tempus daret : ipse repente  
 Contraxitq; manum, & subita ui compulit agmen  
 Subsidio socijs ueniens, qui foederis iccta  
 Lege tenebantur per mutua : deniq; totam  
 Ad placidum euentum rem detulit, aspera ne quâ  
 Ingrueret pugna, & bellum sine sanguine abiret.

Idem cum tremcret tristi Germania bello,

Congressos Carolo nec dijs nec uiribus equis  
 Fœdere coniunctos proceres persensit, & armis  
 Abstinuit primùm, sed tandem caussa cruento  
 Implicuit bello, peregrina ut gente profecti  
 Appeterent terrasq; suas, cognataq; regna:  
 Ni faciat, rapiant alieni, & sub iuga mittant,  
 Aut instent spolijs, aut cingant oppida flammis.

At Carolus meriti tanti nō immemor unquam,  
 Et iam uictor ouans, uirtuti præmia soluit,  
 Et septem procerum in numero, cœtuq; recepit,  
 Ductorem & belli statuit Germanide terra.  
 Tempore iam ex illo qualem se ostenderit acri  
 Ingenio, & quantum duri Mauortis in armis:  
 Norunt & Rhenus pater, & uiolentior Albis,  
 Et tumidis ferus Ister aquis. & Sequana flauis.

Hæc Scola cum fœde ante oculos disiecta iaces  
 Digessit numero rursus, Martisq; furore (ret,  
 Dispersas olim Musas ad pristina uexit  
 Muneribus cumulansq; nouis & honorib. augens.  
 Et ne doctrinam opprimeret Sphinx impia uerant  
 Præstigijs fraudum: magnis conatibus ac ui  
 Oppositus cepta impedit, mox numine Verbi  
 Multa reluctando fatalem auertere pestem  
 Ausus erat terra hac, donec pede pressit, & ipsam  
 Turbine correptam stygias deiecit ad umbras.

Hac simul! extincta noua cùm molimina cudi  
 Præsensit, rursusq; nouos instare tumultus  
 Quò pia relligio, quò demum intercidat omnis  
 Libertas patriæ: subitò tum surgit in iras,  
 Attol-

Attollitq; animos, & primùm obsistere falsis  
 Imperat inuentis, & uana reuellerè dicta,  
 Hanc operam sacris præstante Melanthere rebus,  
 Quem triste exilium, non dignaq; multa timentem  
 Dum latebras aperit Sphingis, fraudesq; retextit,  
 Complexus fuerat casus constanter in omnes.

At ubi nil ageret, sed enim iura irrita ferri  
 iam magis, atq; magis uidet, & data fœdera solui,  
 Cognatosq; Duces belli discrimine captos  
 iam contrà solitum uinclis & carcere claudi  
 Penè omnis patriam spes ut prærepta uidendi,  
 Et dulces natos: ultrò implacabilis ardet,  
 Armaq; in autorem Carolum distringit, & armis  
 Insequitur, clauditq; uiam sub rupibus arctis,  
 Fidentemq; fugæ retrahit, subigitq; reponi  
 Quæ neq; pace prius ualuit, nec ferre precando.

Sed prius hic tacitis concursibus agmina fur-  
 cogentes, odio pacis, placidæq; quietis, (tim  
 Disiecit, uitreo quâ labitur amne Visurgis.  
 Parthenopenq; urbem, quia consuetudine regni  
 Exactos ciues longa ditione fouebat  
 Seditioe potens, captam sub iura coëgit,  
 Non spolia ulla petens, sed enim moderata tulerūt  
 Facta duci laudem, dum qui cane peius & angue  
 O dissent hostem, iam communi ore uocarent  
 Victorem, patriæ patrem, & se legibus ultrò  
 Subijcerent, fama q; pararent tollere cœlo.

Atq; ita Teutoniæ terras ultròq; citroq;  
 Excoluit belli terrore, omnesq; furorum



Caussas è medio tulit, una fortè relicta,  
 Non ita perfecta, nec ab omni parte recisa,  
 Dum properat Turcos auertere Pannonis ora,  
 Atq; aditu ex illo stabilem quoq; condere pacem.  
 Nam quis tunc illum moliri bella putaret  
 Quem socium belli non tantum in rebus habebat  
 Ut pius Æneas fido comitatus Achate,  
 Sed stipe collata qui militis æra merebat  
 Mauritij addictus signis, & fœdere iunctus?  
 Quippe domum bello rediens, Turcisq; repulsis  
 Ecce nouo implicitus bello capit arma, furorcsq;  
 Horrendos premere, atq; iniusti incendia belli  
 Iusto Marte parat: seue iamq; altius iræ  
 Mauritio surgunt ductori, ut feruere cœdes  
 Alberto grassante uidet, nec sine teneri.  
 Et iam summa procul templorum culmina fumant  
 Ad Mœni tractus, desiectæ funditus urbes  
 Intereunt, superant cœdes, seueq; rapinae,  
 Nec pietas mouet, aut dulces circû ubera matrum  
 Pendentis nati, ferus omnia corripit ignis.  
 Et iam fata eadem Mysorum rura propinqua  
 Contigerant: ruit ecce animis Mauortius heros  
 Subsidio patriæ, celeriq; occurrit opum ui  
 Saxonie in campis, & uictum strage cruenta  
 Impulerat dare terga fugæ: Cum plumbea cannis  
 Glans expulsa cauis mediam ictu traicit aluum  
 Transadigens costas, & candida pectora rumpit.  
 Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta,  
 Nec se Mauritij iactauit uulnere quisquam.

Implea

Impleuitq; sinum cruor, & resoluta uicissim  
 Ad superos anima euasit, corpusq; reliquit  
 In te nixa fide bone Christe, tuoq; cruori.

Occidis heu, Geticæ quem nõ potuere phalan-  
 Sternere quanq̃ actis instarent undiq; telis. (ges  
 Heu pietas, heu recta fides, Sic magne iacebis  
 Flos ueterum, uirtusq; Ducum? te Teutona tellus  
 Abreptum heu nimium fatis crudelibus orbi  
 Suspirat gemitu ingenti: te deinde requiret  
 Ister, & in patrijs qui currit sinibus Albis  
 Barbara cum moto conspexerit arma furore  
 Seuitia horrenda nullo prohibente uagari.  
 Non ille immanes Moscos impunè tulisset,  
 Non aditus tales aperire ad limina nostra,  
 Moliriue Papam tanto conamine tantas  
 Insidias actis conuentibus: Heu mihi quantum  
 Gallia præsidium, & quantum Germania perdis.

Nos uerò hæc seros grati referemus ad annos  
 Factaq; uirtutemq; Ducis, quem lumine cassum  
 Ad uada Mæandri laudant, & Caspia stagna:  
 Miratur Latium indignans, nomenq; perosum  
 Quanquam, si tantum Romanæ parcere sedi  
 Ausus, nec Capiti insultans tot damna dedisset.  
 Ipsa etiam ad nomen suspirat Pannonis ora  
 Defensore carens, defensoremq; requirens  
 Mœsta suum: Nec grata satis Germania tantis  
 Pro meritis, sedet in tenebris, exuta nitore,  
 Non fame memor antiquæ, non laudis auitæ:  
 Oderunt uiuum, nunc cassum luce requirunt.

At

At tu nate Dei, regnis tu suffice tandem  
 Præstantes uirtute Duces, qui sancta tuentur  
 Iura tua in terris, & uinci nescia præbe  
 Pectora: sint aliqui cætus te ritè colentum,  
 Et tua per populos oracla immota sonantum,  
 Dum redeas orbi, uiuosq; & luce carentes  
 Concilio coges, uitamq; & crimina disces.

## QVÆSTIO.

Vetus est utilissima commonefactionis sym-  
 bolum: γνώθι σεαυτόν. Ego uero ita non  
 soleo infantiam meam ἐκδεαίξιναι apud ullos, ut  
 magis defectus meos quotidie seriò deplem. Cum  
 igitur nunc quoq; meo me pede ac modulo meti-  
 or, & oculis ac cogitatione me refero ad hunc  
 cætum, in quo conuenerunt omni genere doctri-  
 narum, & graui de rebus iudicio uiri præstantes,  
 quodq; τὸ πῶτος ἀξίον ἐστὶ, diuini illius Melan-  
 thonis nuper παραστάτου fideles, doleo uerè &  
 ex animo, quod hoc confessu, in quo mihi publicè  
 dicendum est, Orationem dignam adferre non  
 possim. Sed ut præcipere optima, summum in ge-  
 nere humano opus est, ita & præcipientibus ob-  
 temperare, suam meretur laudem apud homines  
 amantes uirtutem. Quorum sanè posterius cum  
 mihi uendicem, & me, qui nec eruditione, nec elo-  
 quentia instructus sum, optimorum præcepto-  
 rum,

rum, qui mihi has dicendi partes tribuerunt, sustentat autoritas, & eos qui conuenerunt, pro ingenij sui dexteritate, qua de officio uniuscuiusque sapienter iudicant, spero me balbutientem benignè audituros esse, eodemq; studio complexuros, quo prosequuti sunt hactenus humanissimè eadem in re alios multos, præsertim cum non tam docendi, quam discendi cupidus prodire iussus sim. Ex ore infantium & lactentium, inquit Psalmus, perfecisti laudem. Respicit igitur atque adprobat & æternus Pater balbutientium uoces, quibus ceu organis utitur, ut aliqua in Mundo fiant & dicantur ipsi grata. Neque uerò ulla eloquentia uel Angelorum uel hominum tanta est, ut pro dignitate satis celebrare possit ullam partem operum diuinorum, ne dum hæc summa bona, quod ipse facit nos sua templa, & sese nobis communicat, per & propter Filium, ut in tota æternitate fruamur ipsius luce, sapientia, & leticia: Idq; eo ordine, ut in hac uita prius nos regeneret per uerbum, & Spiritum sanctum, quem effundit in corda nostra, in ministerio Euangelij, sicut expressè scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Et: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Etsi igitur tantarum rerum magnitudinem admirabimur, & propius adspiciemus in uita æterna, cum Deus erit omnia in omnibus beatis: interea tamen & in hac uita uult Deus nos eam cogitare & intelligere,

tanquam in enigmate, cum nostræ consolationis  
caussa, tum ut uerbum Dei, id est, scripta Prophe-  
tica & Apostolica, per quæ ipse res tantas, cælo  
& terra maiores in Ecclesia gerit, grato pecto-  
re amplexi, magnificiamus, & à corruptelis uin-  
dicemus, quarum multæ omnibus temporibus à  
multis petulanter excogitantur.

Stenckfeldius hac ætate  $\zeta\theta\theta\upsilon\sigma\iota\alpha\sigma\mu\acute{o}\upsilon\varsigma$  è  
Cælo petens sine testimonio diuino, uirus suam  
latè spargit cum adprobatione multorum, & au-  
thoritatem scripti uerbi eleuare & labefactare  
conatur, cum negat, Deum per uerbum, auditum,  
lectum, cogitatum efficacem esse, sed immediatè  
sese pectoribus nostris infundere. Nec cessat Fla-  
cius Sycophanta, instar  $\mu\omega\pi\mu\acute{o}\nu$  & fascians, ac  
territans incautos, cum in alijs salutis nostræ con-  
uelleret  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\pi$ , tum de hoc ipso patefacto no-  
bis in Ecclesia uerbo, renouare certamina: Euan-  
gelium non esse prædicationem poenitentiae dicti-  
tans. De quo cum utile sit tenere singulos ueras  
sententias, propono, ut usitatum est hoc loco  
quæstionem: de Veteris & noui Testamenti dis-  
crimine, &: An Euangelium sit prædicatione poe-  
nitentiæ. Variè in hac materia se torquent multi.  
Sed Testamentum non dubium est hic significare  
pactum, seu fœdus. Est igitur uetus & nouum  
Testamentum obligatio mutua inter Deum &  
homines. Discrimina si quærantur, puto rectissi-  
mum esse, quæ in utroq; fœdere eadem, quæ diuer-  
se fiant

se fiant obligationes utrinque, considerare. Tam ueteri autem, quam nouo fœdere, Deus promittit credentibus gratiam, iustitiam & uitam æternam propter Messiam. Nisi quis uelit affirmare, Circumcisionem fuisse σφραγίδα noui Testamenti, aut fuisse tantum σφραγίδα fœderis legalis, non autem: διανοοσ ὧνε πίσεωσ: quorum neutrum cordatiores dicturos esse existimo. Erat enim σφραγισ διανοοσ ὧνε πίσεωσ. Et uetus igitur pactum eam complectebatur. Sed non opus esse puto pluribus id probare, quod per se manifestum est. Alioqui fuissent infelices homines ante ictum fœdus nouum. Obligantur etiam utroque fœdere homines ad fidem, & ad conuersionem.

Hactenus igitur congruunt. Sed ueteri pacto recipere se promittit Deus, & recipi se homines credunt propter exhibendum: In nouo propter exhibitum Messiam. Veteri obligat se Deus ad mittendum Messiam, natum ex muliere, ex Abraham, Isaac, Iuda, David, & seruandum usq; ad eum exhibitum Sacerdotium & politiam Mosaicam in terra Canaan: In Nouo, ad seruandam Ecclesiam in hac uita, nullis expressis circumstantijs. Id est, Vetus habebat promissiones corporales in specie. Nouum tantum in genere. Vetere obligantur homines ad seruandam totam legem Moysis: Nouo ad Nouam obedientiam & usum Sacramentorum Noui Testamenti. Hinc manifestum est, fœdus ante & post exhibitum Messiam, quibus differt, exi-

gua esse, si conferantur ad ea, quibus congruit. Nec uidetur absurdum querenti, cuius respectu dicatur nouum, & respondere de uerbis scripturae: Hoc factum est ut compleretur: Hinc enim perspicue respectus completionis intelligitur. Completionem autem, complector exhibitionem promissi Messiae, & quae consequuntur, abrogationem legis Ceremonialis & Forensis, finem potitiae Mosaicae, & promissionum temporalium in specie. Haec facile iam est prolixius declarare: ego in pauca rem studeo conferre.

Sed magna uidetur hic difficultas obijci à scripturae locis, quibus uetus Testamentum abolendum, literae, mortis, seruitutis: Nouum aeternum, Spiritus, uitae, libertatis ministerium dicitur &c. Hic puto regulam tenendam, qua non obseruata multi se implicant ac torquent. Alias tam uetus quam nouum foedus Legem & Euangelium complectitur. Vetus confederationem Dei legalem & Euangelicam antè exhibitum, Nouum post exhibitum Messiam. Sic proprie haec nomina usurpari arbitror, & sic sumi ea, ostendunt dicta: Gen. 17. Erit signum foederis &c. Et: Hic est calix Noui foederis: & alia. Sic ea supra intelligo. Sic non ita procul distant, quam à multis se iunguntur. Alias uerò synechdochicos, Vetus pro lege, & quidem omnibus legis Mosaicae partibus: Nouum pro Euangelio sumitur. Sic Ierem: cap: 31.

Sic Paulus 2. Corinth. 3. & alibi loquitur. Et reuerendæ ac sanctæ memoriæ Dominus præceptor Philippus, in ueteris & noui Testamenti discrimine, Legem & Euangelium discernit. Vt autem tunc uetus Testamentum omnes legis Mosaicæ partes significat, ita nouum non tantum promissionem gratiæ & exhibendi Messie, sed etiam de Messia nuntium complectitur. Et secundum hanc significationem simul inde ab edita promissione prima, utrumq; fœdus extitit: & multò maiora sunt discrimina.

Hinc illa odiosa Veteris Testamenti epitheta. Si uerò utriusque communia & propria feceris, quæ principio dixi, Vetus usque ad Messiam exhibitum pertingit: Nouum ab eius exhibitione incoatum est. Sic scriptura distinguit temporibus hæc duo Testamenta. Ac satis manifestum est, non semper Vetus, Legem, & Nouum, Euangelium significare. Vfus huius discriminis in Ecclesiis sunt. Primus, ut sciamus idem esse fœdus Dei nobiscum, & cum patribus quo ad saluationem, id est, eadem nos uia saluari. Secundus, ut uetus Testamentum confirmet nos de nouo. Tertius, ut consideratis beneficijs, quibus nos antecellimus, excitemur ad gratitudinem. Quartus principalis est, ut notum sit, nos propter missum, illos propter mittendum Messiam saluos esse &c. Et quæ ex utroq; testamento æterna sint, facillè est uidere. Cessabit imputatio iustitiæ, nam imputatione post



hac non erit opus, promissiones corporales, fides  
 & usus ministerij.

Cur autem noua dicatur concio Euangelica,  
 respectu legalis, non indiget longa explicatione.  
 Synecdoche, qua nomen fœderis ad legem uel Eu-  
 angelium seorsim restringitur, uel de toto fœdere  
 dicitur, quod parti conuenit: cur usurpetur, plu-  
 res possent rationes adduci, Potissima esse uide-  
 tur: Quia tùm spectantur quæ utriq; sint parti-  
 cularia. Vt ueteri, promulgatio legis Mosai-  
 cae. Nouo autem, cōcio de Messia exhibito, promissio-  
 nibus ac typis completis. Præterea, uetus comple-  
 tebatur totam legem Moysis: Nouum tantum re-  
 tinet Moralia. Et ad ueteris doctrinam Euange-  
 licam, accessio facta est in nouo. Atque ita obscu-  
 rior in ueteri, clarior in nouo, & copiosior est  
 Euangelij concio: Sicut & latius diffusa Spiritus  
 sancti per eam efficacia &c. Nec miremur scri-  
 ptæ reuerendi Domini Præceptoris aliquantò se-  
 cus loqui, de ueteris & noui testamenti, quam de  
 Legis & Euangelij discrimine: quia hic Euange-  
 lio opponunt præcipuè legem Moralem, ibi autem  
 omnes legis Mosai-  
 cae partes considerant. Ac pos-  
 sent etiam legis & Euangelij plures differentie  
 constitui, ut ex Paulo manifestum est, 2. Co-  
 rinth. 3.

Sed ne sit explicatio longior, uisum est Domi-  
 no præceptoris nostro, præcipuas indicare, quæ  
 facîle possunt animo comprehendi. Omnia igitur  
 facîle

facile conciliari posse existimo, obseruata regula: Quod scriptura & doctores, aliàs Testamentum uetus nomen totam legem & promissionem gratiæ, quantum eius intelligebatur ante Christi aduentum: & Nouum: legem Moralem & conuentionem de Messia iam exhibito. Aliàs uerò simpliciter uetus pro lege tota, Nouum pro Euangelio sumant. Iam secundum posteriorem significationem quomodo differant, non est obscurum. Secundum priorem, ut discernantur, tenenda est altera regula: Fœdera distingui rebus ad quas fit obligatio mutua confœderatorum. Hæc regula, non uideo quid relinquat scrupuli. In ueteri fœdere obligabat se Deus ad recipiendos in gratiam propter Messiam mittendum, omnes agentes pœnitentiam, ad mittendum Messiam natum ex posteris Abrahamæ, ad seruandum cultum & politiam Mosaicam usque ad Messiam exhibitum. Ecclesia uicissim obligabatur uel credendum in Messiam uenturum, & ad obedientiam secundum omnes partes legis, adhibita tamen declaratione Euangelica. In nouo fœdere Deus obligat se ad recipiendos credentes, propter Messiam iam exhibitum, & seruandam Ecclesiam in hac uita in genere. Ecclesia ad credendum in Messiam exhibitum, ad nouam obedientiam, & usum totius ministerij.

Sed desino pluribus dicere de hac materia, quæ cum sit amplissima, & ex eius uera enarra-

tione peti possit responsio, ad reprehensiones inter eruditas & cauillatorias, reuerenter oro clarissimum uirum, qui in doctrina de Deo recte eruditus est, Dominum M. Petrum Vincentium, conterraneum & Praeceptorem colendum, ut & hanc ipsam causam, & questionem propositam explicet nobis copiosius. Te uero Fili Dei, Domine Iesu Christe, toto pectore oro, cum sis Emanuel noster: In nostris uiuens mentibus esto λογος. Cumq; massam nostram orbam assumseris, eaq; copulatione testatus sis, te uerè adfici salute nostra, ipse sis fundus & τροφεις tuae Ecclesiae, cui tot & tanti terrores, hoc ferreo seculo passim proponuntur:

Vespera iam uenit, nobiscum Christe maneto,  
Extingui lucem nec patiâre tuam.

DIXI.

## RESPONSIO.

Veteres Poëtae Momum quendam, ut est in Hesiodi Theogonia, Nocte matre, Somno patre natum, sinxerunt, qui cum ipse utile nihil facere ac proferre posset, res tamen diuinitus conditas odiosè carpere soleret atque reprehendere, ut quod bobus cornua in capite, ac non potius in armis condita sint, quo fortius ferire possint: & in hoc

in hominis opificio, quòd non in pectoribus fenestrate factæ sint, per quas delitescentes cogitationes perspicere potuissent. Ea Fabula pictura est Theologie scelerati Flacij, quem uidimus, cum studijs doctrinae monumentum utile nullum unquam conficere potuerit, nullam partem doctrinae explicauerit, ad Momi illius Poëtici exemplum plenum nigri salis, & atra uirulentia uellicantem, ardentem, allatrantem & calumniantem ab alijs uiris *Δεωδιδάκτωις*, piè, rectè, eruditè & utiliter explicata. Quòd ei tot annos profectò impunè facere in his regionibus non licuisset cum dedecore Ecclesie publico & simplicium animorum, qui hæc pio zelo fieri existimârunt perturbatione, Si Heros ille, qui à clarissimo uiro domino Decano ueris paulò ante laudibus, & tanto Principe digno Panegyrico decantatus est, diutius superstes fuisset. Quòd autem ad discrimen Veteris & Noui testamenti attinet, existimo abs te Ferinari pro temporis ratione eruditè dictum esse: Et extat in Locis Cõmunibus diserta explicatio, quam legere studiosi poterint & debent. De arrosa à Flacio & reprehensa Euangelij definitione, in qua dicitur: Euangelium esse concionem pœnitentiæ, & promissionem remissionis peccatorum, reconciliationis, iustitiæ & uitæ æternæ gratuitam propter Filium Dei, cuius promissionis notitia nequaquam nascitur nobiscum: Sed ex arcano sinu æterni Patris prolata, sit supra & extra conspe-

etum omnium creaturarum: Respondeo breuiter, & defendo eam ueram, piam & eruditam, & reuerentissimè traditam esse. Quòd autem obijcitur, confundi Legis & Euangelij discrimen, si Euangelio pœnitentiæ doctrina tribuatur, non solum puerilis calumnia est, & allatratio digna rictu Βλακικῆς: sed etiam turpis & flagitiosus error. Non enim fit mentio pœnitentiæ, ut Legis & Euangelij fiat confusio, sed ut usus utriusque doctrinæ sit magis conspicuus, ac liquidò declaratur, nequaquam aboleri legem Moralem, sed & declarari, & stabiliri per Euangelion, sicut inquit Dominus: Non ueni soluere legem sed implere, & Paulus disertè inquit: Fide legem stabilimus: Ac sint iunioribus in conspectu illustres rationes, quare oporteat in Euangelij descriptione mentionem pœnitentiæ fieri, quas hoc ordine, pingui, ut aiunt Minerua, ac perspicuè recitabo.

Primò quod Euangelium propriè & principaliter docet de præcipua pœnitentiæ parte quæ est Fides, id est, Fiducia gratuita remissionis peccatorum propter Filium Mediatorem, quæ offertur in Euangelio credentibus. Hanc fidem si Lex doceret aut complexa esset, nihil fuisset opus noua reuelatione.

Deinde & alteram pœnitentiæ partem, Contritionem uidelicet, quæ propriè Lege fit, ita temperat, ut fiat  
con-

eritio salutaris, cuiusmodi fuit & est Dauidis, Manasse, Petri & Sanctorum omnium conuersio, & discernit eam à pœnitentia non salutaris, qualis fuit in Cain, Saul, Iuda, Iuliano, & erit, nisi ad Deum conuertentur, breui in Staphylo, Flacio & innumerabilibus alijs. De tertia etiam pœnitentia parte, quæ est Noua obedientia ex solo Euangelio descendum est, quomodo inchoanda sit, & quomodo placeat. Quanta igitur impudentia est scelerati ueteratoris sugillantis ueritatem, & tolerantis pœnitentiæ mentionem ex Euangelij descriptione?

Porro, quòd ad accusationem conscientiarum attinet, Lege quidem accusantur omnia peccata quæ Lege prohibita sunt, ut ostendit definitio tradita à Iohanne: ἀμαρτία ἕστιν ἀνομία.

Hæc ἀνομία tota & repetitur in Euangelio (sicut Lutherus locutus est propositione 32. tertiæ disputationis contra Antinomios, cum inquit, Christum legem Moysi non solum recitare, sed etiam perfecte explicare: & propositione 34. Christum per legem arguere, minari, terrere, & similia legis officia exercere) & eadem ἀνομία postea sanatur remedio proposito in Euangelio, scilicet, Fide in Christum, iuxta dictum Luc: 7. Fides tua te saluam fecit. Et hætenus quidem Euangelium generaliter acceptum, legis ministerio utitur. Sed est quoddam peccatum finale & ultimum, nulla alia aut noua satisfactione expiandū in tota æternitate,

ternitate, non expressum in lege: sed Euangelij proprium, & in Euangelio proprie tum expressum, tum declaratum, uidelicet, ignorantia Filij & incredulitas in Filium, Filij contemptus & desperatio, de quo ipse Dominus inquit: Spiritus sanctus, quem Euangelij ministris se missurum promittit, arguet Mundum, id est, Iudæos & Gentes de hoc capitali & specifico peccato, quod non credant in Filium. Ita ab ignoratione Filij, uoce Euangelij reuocantur omnes homines ad eiusdem agnitionem & fidem, sine qua legis pœnitentia imperfecta, mutila & damnosa est.

Hoc qui non considerant, satis ostendunt uel crassam ignorantiam, uel sceleratam malitiam suam, cum uel non intelligunt, uel uirulenter & ueteratorie dissimulant, qua fronte confessionem Augustanam legant & Apologiam: In quarum utraq; cum pœnitentiæ nomine intelligatur tota conuersio, in qua duo sunt termini, mortificatio & uiuificatio, an negabunt, uiuificationem solo Euangelio fieri? Non enim certè uiuificantur uili, nisi credentes Filio, & agnoscentes summum peccatum esse incredulitatem finalem in Filium. Vnde & hoc rectè iam olim dictum est in Apologia, nec unquam à sano ullo reprehensum, cum inquit: Hæc enim uerba sunt:

Summa prædicationis Euangelij est arguere peccatum, & offerre remissionem peccatorum & iustie

iustitiam propter Christum, Spiritum sanctum & uitam æternam, & ut renati beneficiamus, &c. Sic complectitur summam Euangelij Christus Lucæ ult: cum ait, debere predicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Postremò rectè fit mentio pœnitentiæ in Euangelij definitione etiam ob hanc causam, quia Euangelium est interpretatio legis, cum ostendit tantam esse magnitudinẽ iræ Dei aduersus ἀνομίαν, ut nulla alia satisfactione in cœlo, terra aut inferis, quam Filij unigeniti morte hæc ira placari poterit. Item, Addit Euangelium legi deinde dulcem ἐπιεικειάν, cum ostendit, quomodo ei satisfiat à conuersis, hoc est, quomodo inchoata iam obedientia, quamuis imbecillis & multis modis contaminata, tamen Deo placeat in personis reconciliatis, & Filij umbraculo aduersus iræ æstum tectis.

Rectè igitur Lutherus, cum sæpè aliàs, tum octaua & nona primæ disputationis contra Antinomos, propositionibus: Pœnitentia solùm ex lege, inquit, dimidium uel initium pœnitentiæ, uel per Synecdochen pœnitentia est, quia caret bono proposito. Etsi perseuerat, fit pœnitentia Cain, Saul, Iuda, & omnium de Dei misericordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium. Et propositione 21. Contra inutiles desperationis Magistros, inquit, Euangelium cœpit docere pœnitentiam



tiam &c. Quid obsecro hæc Lutheri, uerba sunt Flacio, Si hæresis est Philippum dicere, Euangelium esse concionem pœnitentiæ?

Possem multò plura commemorare, Sed in re manifesta calumniæ nihil est opus longiore oratione, & nunc temporis habenda ratio est, & reuerendi ac clarissimi confessus, qui harum rerum commonestrationibus non indiget. Hanc autem breuem & perspicuam declarationem addidi quaestioni tuæ, iuuentutis & imperitorum causa, ne Sycophantarum Cynicis calumnijs, in arrodenda usitata Ecclesiæ & Scholæ huius doctrina & explicandi forma, annis amplius quadraginta usurpata, turbentur. Pereant Momi, Sycophantæ & calumniatores Flacici, ut merentur, & malè sit ip-sis impœnitentibus.

Oro autem æternum Filium Dei, Dominum, & Saluatorem nostrum Iesum Christum, summum Doctorem & custodem Ecclesiæ suæ, sedentem ad dextram æterni Patris, & cœlitus immensa bonitate & gratia dantem dona hominibus, ut te, carissime Ferinari cùm uniuerso cœtu competitorum tuorum, atque ad eò nos omnes ipse doceat, & in statione pia hac, docentes et discentes regat & gubernet uniuersos, & erga hanc scolam, propatrigatricem & custodem doctrinæ cœlestis, inenarrabilem et perpetuam bonitatem suam & clementiam, ut hæctenus inter tot imperitorum ruinas mirabiliter fecit, semper exerceat. DIXI.

ORAS

## ORATIO DE AFFE-

CTIBVS, RECITATA A IOHANNE

Hermanno artis Medicæ Doctore, cùm conferre-

tur gradus Doctōratus in arte medica ho-

nestis tribus uiris artium liberalium

magistris Medicis.

SÆpè repetimus, uelle DEVM aspici rerum  
 naturam à genere humano. Certum est enim  
 hoc mundi domicilium ideò tanta arte conditum  
 esse atque conformatum, & hominis mentem ideò  
 radijs lucis diuinæ accensam, & aliqua diuinitatis  
 parte delibutam esse, ut in ipso opificio luceret &  
 conspiceretur sapientia DEI, & pulchritudo ac  
 uarietas rerum inuitaret oculos animosq; ad aspe=  
 ctionem: aspectio excitaret in mentibus conside=  
 rationem admirandarum uirium: Harum animad=  
 uersio impelleret ad inuestigationem ortus atque  
 causarum, quas recensens animus tandem deueni=  
 ret ad ultimam causam architectatricem, quæ hæc  
 admiranda opera fabricarit, inq; his sese expresse=  
 rit ad eum modum, ut ratiocinari inde atque con=  
 cludere mentem necesse sit, oportere illam talem  
 esse, qualem referunt & ostendunt opera: scilicet  
 diuinam, intelligentem, sapientem, omnipotentem,  
 beneficam, iustam, amantem generis humani. Ideò  
 non uult aspici naturam, ut apud Æsopum, Canis  
 intuetur tabellam artificiosè pictam, sed mentem  
 adhiberi uult, atq; considerationem.

Hæc

Hec sapientia, quam Paulus affirmat etiam notam fuisse gentibus, est pulcherrimum decus hominum, & præcipuum uitæ præsidium. Ad cuius cognitionem & admirationem, ut inuitetur iuuentus, & muniatur aduersus barbarica iudicia immanium illorum Cyclopum, qui & DEVM & efficta in natura atque artibus diuinitatis uestigia furenter contemnunt: sæpe proponimus petita ex natura exempla, quæ multis obnoxiam insultibus, sæpeq; impingentem ac nutantem assensionem de prouidentia confirment, & pietatem in animis alant. Nam in pijs etiam ac rectè institutis, quandoq; dissimilitudo euentuum, enormitas confusionum, magnitudo calamitatum, quibus boni uidentur iniuste opprimi: uim inferunt assensui, ac assiduo & uiolento impulsu quassatum labefactant, ut dubitent an sit DEVS, an curæ sint DEO res humane, cum omnia ferri uideantur & fieri casu.

Plurima autem habet ex diuinitate profecta ornamenta genus humanum præ reliquis naturis. Est enim conditus homo, ut esset domicilium DEI, non eò tantum, ut quemadmodum reliqua mundi machina ostentaret alijs impressa uestigia architecti, sed multò magis, ut ipse agnosceret artem & opificem. Et conformatus est ad imaginem DEI, in qua cerni & agnosci uoluit archetypus, quæ quidem expressissimum est de DEO testimonium.



uinitate natam esse testantur, & conuincunt insti-  
tarum noticiarum characteres, quibus sese Deus  
in mentibus hominum, ceu in tabella quadam de-  
scripsit. Hi quanquam nunc attriti peccato, &  
obliterati, obscuriores sunt, tamen adhuc ut in  
densa & obscura caligine ceu per Ἰχθυὸς & Ἰλαρ  
quandam, qualis sit Deus adumbrant.

Nihil autem pulchrius, nihil homine dignius  
est cognitione & consideratione eorum bono-  
rum, quæ cum in Deo summa & perfectissima  
sint: tamen ea nobis secum communia esse uoluit,  
quæq; in his, qui credunt in filium, repurgat atque  
instaurat spiritu sancto.

Quapropter cum more scholæ in his publicis  
festiuitatibus, quæ celebrantur ad commonefaci-  
endos iuniores aliàs de alijs dictum sit diuinitatis  
in nobis uestigijs: pauca de affectibus recitabo ex  
doctrina nostra, congruentia cum exemplis quo-  
tidianæ experientie. Sunt enim & hi pars aliqua  
imaginis Dei in homine. Vt enim est in Deo sapi-  
entia discernens recta & non recta: Est & uo-  
luntas exigens recta, & sua quadam letitia in his  
acquiescens, & nolens contraria, ueraq; & non  
simulata indignatione repellens ea, ac destruens:  
Ita hominem condidit, ut menti indiderit leges seu  
notitias, iudicij normas, quæ recta præcipiunt,  
prohibent contraria. Voluntati attribuerit sci-  
cultatem efficiendi & urgendi monstrata à ra-  
tione, & affectus adiunxerit, ut præclare Plato  
inquit,

inquit, εἰς τὸ δορυφορικὸν ὄμμα, tanquam satellites & ministros uoluntatis in exequendis notitijs.

Hec illustriora essent, si ut in natura integra uires omnes eo ordine, & qua inter sese nexæ fuerunt harmonia congruerent: Sed hac turbata, & uoluntatis imperio languesfacto, affectibusq; insolenti contumacia efferatis, quantæ sequutæ sint confusiones, conspicitur in illis, qui incendijs & impetu affectuum, ceu procellis uorticosi turbini rapiuntur, nec sese reprimunt aut reuocant intra metas iudicio rationis circumdatis.

Vult tamen Deus & in hac corrupta natura affectus tanquam executores esse notitiarum. Vult letari cor, cum notitijs recta præcipientibus, obtemperamus nos ipsi, & alij. Sicut letatur Hypopolitus Thesei filius, fugiens consuetudinem nouerca. Scipio seruans patriam ereptam ex hostium manibus. Et illustriora sunt exempla Ecclesie. Verior est enim letitia in Ioseph abstimente à Domina, propter Dei mandatum, Verior in Davide, repressis ac domitis uicinis hostibus, restitute pacem & tranquillitatem in populo. Voluit enim ita uiuere ac conseruari hanc naturam, ut letaretur agnitione Dei & rectè factis congruentibus ad Dei uoluntatem, & acquiesceret in Deo.

Rursus uult etiam in cordibus nostris esse ceu repagula & carceres, metum pœnarum & futuri mali,

mali, qui si nihil proficiat ratio, monendo ac præcipiendo, stolidè tumultuantes aut rabiose ferocitentes, & petulanter contrà ordinem ruentes ciuitates, acri præensione ac minaci denunciatione ingentium malorum coherceat atque compescat. Vult esse incendia & flammæ iræ, quæ incitent ad expetendas ac persequendas pœnas scelerum à nobis & alijs, Et ad præstandam defensionem iniustè oppressis. Vult dolere nos propter nostra & aliena delicta, & tristes nostrorum casus, atq; hoc sensu dolorum, qui cor ceu ustulatu longo paulatim conficiunt, & enecant, admoneri de cruciatibus æternis, ideoq; horum sensu reuocari ac fleat ad modestiam.

Deniq; uult esse tormenta horribilium cruciatuum, & furias ultrices scelerum, quæ ceu uindictes præteritorum malorum, & testes iudicij Dei, contumaciter peccatis peccata cumulantes assiduorum & intollerabilium dolorum acerrimo sensu fatigent atque excarnificent, & tandem destruant atq; extinguant, Quarum uim experientur in æternis supplicijs impij, & in hac uita experti sunt Cain, Saul, Iudas, & alij, quos acerbitas & magnitudo dolorum ad desperationem, desperatio ad seuitiam in semetipsos, & æternum exitium adegit.

Sicut ergò notitiæ DEVM intelligentem & sapientem esse docent, distinguentem uera à falsis, honesta à turpibus, recta à non rectis: Sic affectuum

tuum uarietas ostendit DEVM iustum esse, cu-  
 stodem publicæ societatis, & tranquillitatis, ac  
 disciplinæ in genere humano, iudicem & uindi-  
 cem, & delectari ac letari rectè factis, eaq; ornare  
 præmijs: Contrà horribiliter odisse & ulcisci sce-  
 lera. Quapropter toto pectore execramur ἀπά-  
 ρειαν Stoicorum, qui pariter affectus omnes &  
 condemnant, ut suo genere uitiosos: Et ex natura  
 sublatos uolunt. Nam DEI imaginem ex homine  
 tollunt, quam non expungi aut induci, sed expo-  
 liri Deus atque illustrari uult. Et quidem quomo-  
 do sint affectus pars diuinæ imaginis in homine,  
 nos in Ecclesia, ex doctrina diuinitus patefacta,  
 quæ propius & certius essentiam & uoluntatem  
 Dei demonstrat, rectius intelligimus, eoq; magis  
 eniti nos decet, ut & naturam affectuum cognos-  
 camus, & eos ad normam præceptorum diuino-  
 rum flectamus, regamus ac moderemur, ne repel-  
 lant uel elidant admiscentes sese afflatus ac motus  
 spiritus sancti. Nam si cor occupatum incendijs  
 odiorum, iracundiæ, amoris illiciti, emulationum,  
 & similium motuum, aestuet intus ad modum ser-  
 uentis aquæ, locus esse afflatui sacro nullus po-  
 test.

Iudico autem hæc etiam de imagine DEI in  
 nobis piè dici. Vt enim filius DEI est & uocatur  
 λόγος ἡγεῖν ἐκ τῶν πατρὸς, quia & exprimit in se-  
 se, & ostendit nobis patrem, accensa noua luce in-  
 mentibus nostris, sicut cogitationes rerum imagi-



nes referunt, explicat sermo: Ita Spiritus sanctus est & uocatur Spiritus, tum quia est ceu flamma mutui amoris & letitiae inter patrem & filium, quae effusa à patre in filium  $\sigma\upsilon\omega\delta\sigma\iota\omega\upsilon\pi$ , redit ad patrem, ut sit complexus mutuus, & quasi coalitus quidam in unum: tum quia emissus ab utroq; à patre & filio, ceu flatus quidam ferit ac percussit corda, & hoc modo pulsatis cordibus, ac uibratis spiritibus, excitat motus legi diuinae congruos, utens ministerio cordis & spirituum, sicut impulsit cogitatione Spiritus animales & elisi in nervos percutiunt cor, eoq; ictu cientur affectus respondentes cogitationi. Digni sunt ergo odijs furoribus Stoicorum, quod exuentes hominem omnibus affectibus, detrahunt ei ornamentum summum, quo uno ceteris naturis antecellit, scilicet partem imaginis Dei: Sed cum Stoicis nobis conflictari non est propositum. Hoc tantum addo, nos cum in affectibus etiam aliquam partem imaginis diuinae collocamus, separare affectus toto genere, & sua natura uitiosos à ceteris, quos partim praecipit & flagitat lex Dei, partim Deus ipse in seuit animis, è quorum genere sunt  $\sigma\omicron\pi\gamma\omega\iota$ , testes amoris diuini erga nos.

Discernimus etiam ordinem in affectibus institutum diuinitus, & certis septem metis atque directum ad Deum, uelut ultimum obiectum, à confusione & ἀταξία, quae nata ex peccato, ordinem inter-

interrupit, & perturbauit, corde auerso à Deo,  
& conuerso ad obiecta aliena.

Deniq; procul secludimus furores Diabolicis  
similes, aut ortos à Diabolis, quos cogitantes aut  
cernentes, expauescamus, & maiore cura ac stu-  
dio in nobismetipsis frenare discamus atque co-  
hercere rapidos & uesanos cordis impetus, ac re-  
gi defendiq; nos petamus à filio Dei, ne in furo-  
res similes incauti, negligentia nostra ac securita-  
te ruamus, aut à Diabolo impellamur ac precipi-  
temur. Quid tristius est, quàm ambitione, ira,  
odijs, efferrè in blasphemias contra Deum opinio-  
nes & uoces, & in rabiem aduersus homines, bel-  
uina immaniore. Cuius rei exempla quotidie  
(proh dolor) cernimus in contentionibus homi-  
num furentium ambitione, & odijs eorum, quos  
metuunt existimationem suam esse obscuraturos.  
Vbi uerè secundum Poëtam:

Non opus est furijs, tantum mirantur & adstant  
Laudantes, hominumq; dolent plus posse furores.

Hos ergò omnes procul remouemus, in quibus  
effigies Diaboli, non Dei lucet imago, sed affectus  
intelligimus, qui aliquo modo legi diuinæ consen-  
tiunt.

Etsi autem nec intelligi neq; explicari natura  
affectuum potest: tamen quantum assequi possu-  
mus, considerare & dulce & utile est, propter

impressas affectibus plurimarum rerum imagines, quæ cogitate atq; perpense mirificè adficiunt & consolantur animos.

Sit ergò affectuum definitio, quæ tradita est à reuerendo Præceptore nostro Philippo Melan-  
thone, qua nullam reperio aut planiorem, aut con-  
cinniorem: Affectus, qui à græcis nominantur  
πρόθυμ, motus sunt cordis, noticiam sequentes, qui-  
bus cor prosequitur, aut refugit obiecta. Cumq;  
aut iuuent naturam, aut destruant, semper con-  
stantur extremi motus, aut lesa natura, dolor ac  
tristitia, aut suauiter affecta delectatio, seu letitia  
acquiescens in obiecto.

Est ergò cor sedes & organum affectuum  
idem & uitæ fons, & caloris, ac spirituum uitæ  
lium focus atq; officina, & animæ domicilium, &  
in credentibus est templum Dei.

Hos uitæ, animæ, & sibi ipsi sedibus coniun-  
ctos esse Deus uoluit, quia & uita æterna erit le-  
titia æterna in Deo, cum corda Deum complexa,  
ardebunt dilectione Dei, & letitia acquiescente  
in ipso, quem quidem coram cernemus, non cali-  
gantibus aut cæcutientibus mentis oculis, ut in  
hac uita: sed flagrantibus uera ac perpetua luce.  
Mors contra erit horribilium cruciatuum indefi-  
ciens dolor, & odium Dei.

His etiam aut conseruari ac foueri, aut absumi  
ac destrui uitam, testantur et subite commotiones  
corporis, ac mutationes, quæ ex magnis ac uehe-  
mentibus

mentibus animi perturbationibus repente accidunt, et ceteræ affectiones, quæ paulatim sese proferunt. Magno & repentino gaudio exanimari homines compertum est. Iracundia Ajax in furorem est actus rabiosum, cerebro phrenetide obsessus. Alijs ex æstu iræ febrilia incendia exarserunt. Multos eadem in Apoplexiam, epilepsiam, arthritiden, pleuritiden, & similes morbos coniecit. Scandebergo excandescenti fissis labris sanguis erupit. Herculem mœstitia longa, & ut in uiro heroico ac magnanimo uehemens, adegit in furores Melancholicos: Multi mœstitia contabescunt, corde instar tosti pyri torrefacto. Multi amorum flammis ceu liquescentes emarcescunt, quod Antigoni filio accidit, Asclepiade ex pulsu occultatum noueræ amorem prodente. Consternationes subita & magna, repentino impetu corde perculso, aut exitium adferunt aut obstupesciunt homines, ut attonitis similes ceu obtigescant. Sed cur apud Herodotum Psammenitus conspecta calamitate liberorum non flet, uisa nece amicorum illachrymat. Cur item Domino & Saluatori nostro Iesu Christo cogatio de calamitatibus euentus ris populo Iudaico, lachrymas exprimit: Agon non exprimit? Cur parue curæ loquuntur, ingentes stupent secundum Tragicum? Fateor ut notitiarum, sic affectuum ueram rationem, fugere intelligentiam, & excedere captum nostrum. Ergo ijs contenti simus, quæ ut cunq; assequimur.

Antecedunt affectus noticiæ, quæ obiecta monstrant, siue errent noticiæ seu rectè iudicent. Cor notitijs per nervos ictum, postea sese incitat atq; impellit sua vi, ope fibrarum, quibus intextum est, ita ut exiliat, ac ceu insurgat, rursusq; concidat, & diducat atque aperiat, rursusq; contrahat ac comprimat sese, ac motus hosce pro ut aliter atque aliter affectum est, mirificè celerrimo ubratu miscet ac uariat. Simul autem spiritus ipsos & humores, eosq; in alijs affectibus alios ciet & exagitat.

Letitia spiritus spargit ex corde, ijsq; sanguinem traiectum atq; impletum, & uiuificam ui imbutum fundit atque extenuat. Iracundia bilem & commouet, & exacuit. In hac enim corde ob sanguinis & spirituum feruorem exæstuante, incensi in ardentibus humoribus expressiq; halitus feruidi, & cordis impetu incitati rapidissimo sese uolatu diffundunt in omnia. Quare ubi concussæ runt atque obruerunt cerebrum, fit, ut tum homo ceu motus mente, constituatur extra sese. Mœsticia melancholicos humores exaggerat, & miro consensu commotos ex liene prolicat. Metus retrahit spiritus, ad interiora, quibus cum recurrit & sanguis tenuior ad fontem.

Vicissim uerò & redundans in corpore bilis  
 ὀξύχολος: Melancholicus humor mœstos: Sanguis letos efficit.

Hec ita fieri sensu discimus & experientia, etsi quomodo fiant, non prorsus perspiciamus.

In leticia comitante amorem uerum & legitimum sponsi ergà sponsam, cum sponsus complexu sponse fruitur, cor exiliens ac penè disiliens letitia sese ceu pandit ac dilatat, atque emissis spiritibus prehensat & arripit obiectum adamatum, idq; ceu exceptum thalamis suis intraq; sese condens, sibi iungit atque adplicat, & cum quadam suauitate in eo acquiescit, doletq; reuelli. Ac fit ardentior letitia, cum amor est mutuus. Hic affectus imago est amoris diuini erga nos, & Filij Dei erga sponsam Ecclesiam. Deus diligens nos in dilecto, flammam amoris sui, Spiritum sanctum unà cum Filio per uerbum excutit & effundit in eos, qui assentiuntur uerbo, quibus nos ceu prehensos sibi adiungit & inserit. Hic amor copulat & connectit credentes Deo; fitq; ardentior in Deo, si aliquo modo sit mutuus in nobis, si non prorsus frigeant corda nostra.

Gaudio repentino, & subita improuisaq; conuulsionatione extingui homines quandoq;, senes presertim, & natura imbecilles, uel syncope corripi, eo, quod isthic calore uitali ac spiritibus e corde ad summa corporis dispersis dissipatisq; constitutum calore: hic obrutum & suffocatum eorundem recursu corruat, alienum à ratione non est.

Sed an leticia eò tantum reficiat ac recreet uir-

ris,

ris, quod agitatione effusorum spirituum, calorem nativum in ipsis spiritibus, humoribus & membris suscitet & augeat: Mœstitia uerò idè frangat ac deiciat uires, quod compressione cordis retractos atque conclusos spiritus ceu strangulet, atque ita cor ipsum quoque refrigeret, & exiccet, calorem in cæteris obtundat atque obterat, concoctionem labefactet, humores addenset, melancholicum humorem coaceruet, nescio. Accedere hæc non dubito, sed sua quædam ut sit natura cordi, qua ciet affectus, & qua fit, ut lætitia perfusum ceu reuiuiscat, atque exultet: contra oppressum dolore ceu concidat atque contabescat, necesse est, in hanc cum fiunt impressiones cogitatione, sequi affectiones temperamenti cordis, hisque mutationes, quæ in reliquo corpore accidunt respondere iudico. Nec addam plura, cum uix plura dici posse existimem, & de omnium affectuum uarietate differere nec angustia temporis patiatur, nec sit instituti præsentis.

Sed qui fit, ut dictum est, ut parue cura loquantur, & illachryment, ingentes stupeant? Omitto disputationem de materia lachrymarum, quæ è cerebro est, deque meatibus, per quos extillant ab utraq; palpebra ad interiorem oculi angulum.

In subitis & magnis pauoribus, desperata depulsione mali, aut liberatione, cor oppressum festino con-

no cōfertōq; recurſu ſpirituū ceu ſathicit. Accidit itaq; quiddam ſimile affectioni, quam κατὰ λυπ, nominamus, & κατόχλω, & ſtuporem uigilantem, quo correpti, mente ſenſuq; omni, ac motu ceſſante ( ſola ſpiratione excepta ) ceu congelatis corporibus obtigeſcunt, formam tamen & figuram omnem corporis retinent, qua erant, cum prehenderentur, Manent immoti, nec audiunt quidquam, nec uident, etiam oculis latè hiantibus. Prorſus tale quiddam ex p̄uore obſtupescentibus euenit, eſi diſſimiles cauſe ſunt. In Catoche uentriculi cerebri, repente ab influxu bileoſi ac piſtuoſi humoris obruuntur & obturantur. In hoc ſtupore uitales ſpiritus deſiſcunt in cerebo, cuius rei cauſa eſt, quod cor ſubito coit in ſeſe & conſtringitur uehementiſſimè, ſubitoq; reuocat omnem quantum fieri poteſt, ab exterioribus uitalem calorem & ſpiritus: receptoſq; condit intra ſeſe, ut ſeſe ſeruet ac uindictet. Quapropter ſubtracto ceteris calore uiuifico, mox coit ater circum præcordia ſanguis, & uires uniuerſe ceu uita priuata obtorpeſcunt atque laboſcunt, ut nequeant functiones obire & exequi ſuas, cum uis uitalis reliquas corporis uires uniuerſas exuſcitet & animet. Hæc ergo cauſa eſt, cur perterrefacti ſiant exhaustum, ceu torpore afficitur ac ueterno atq; congelateſcit.

Eadem cauſa eſt cur lacrymæ non fluant, quod frigore



frigore & humores coacti, densatiq; sistuntur, & meatus comprimuntur.

Eandem ob causam omnibus subito pauore ter-  
ritis, uires aut elanguescunt, aut deijciuntur &  
concidunt, ut non tremores tantum, conuulsiones  
& syncope, sed etiam eruptiones & profluvia  
humorum inuoluntaria sequantur.

In mediocribus doloribus nec cor opprimitur,  
nec eripitur cerebro uis uitalis. Ideo nec cerebrum  
obstupescit, nec cor fathiscit: Sed mirifico consen-  
su, qui est inter hæc membra, luctatur utrunq; ce-  
rebrum cum mali cogitatione querens præsidia  
ac depulsionem, cor cum acri sensu doloris, cupi-  
ens propulsare malum. Comprimitur ergo utrun-  
que, & quod accedit semper seu indignatio, seu  
misericordia, seu utrunque, ideo conatur utrunq;  
depellere aut poena adficere seu autorem seu cau-  
sam doloris, aut opem ferre oppresso & laboran-  
ti. Concutitur ergo utroq; motu cor, contractione  
ac dilatationis, atque incensus indignatione  
calor circa cor efferuescit, Vnde cerebrum inca-  
lescit, & humores fusi fluunt. Hos contractione  
sui cerebrum exprimit atque expellit ad oculos  
& nares, Tenuiores per occulorum meatus effu-  
si, in lachrymas abeunt, quibus exhaustis, dolor mi-  
tescit, quasi lachrymis consumptus. Idq; ijs maxi-  
me accidit, qui natura sunt ἐμπροσθεν, & citò do-  
lent, citò etiam placantur.

Ita illachrymat Christus prospiciens cum ingenti dolore calamitates, quæ sequunturæ essent in hac uita, deletionē politię Iudaicæ, destructionem urbis, perpetuam dissipationem gentis, quæ fuerat populus Dei. Sed longo in maiore dolore est postea, cum sentit in se effundi iram Dei aduersus peccata generis humani, cum uidet, quantum Deus irascatur peccato, & dolet in magna parte generis humani perire hæc, quæ sustineat pro uniuerso, quod plurimi ingrati pro hac redemptione, ruant in æternas pœnas. Refugit & mortem secundum naturam, cum sit naturæ destructio.

Ad harum rerum conspectum, sensumq; ita expauescit Filius Dei, ut ferè opprimatur, et luctetur penè, ut metuens abiectionem, Non lachrymat itaque, sed in cruentum sudorem diffluit. Concurrerunt enim in Christo multi æstus atque agones maximi & feruidissimi, quos nulla creatura sustinere potuisset, aut superare. Ingens pavor, tristitia summa, sicut ipse dicit: Tristis est anima mea usque ad mortem, Ira atque indignatio summa aduersus Diabolum, quæ impulit eum ad uindictæ cupiditatem: Item, amor generis humani, & misericordia: Dolor de ingratitude magna partis in genere humano: Anxietas, & agonia uehementissima. His contrarijs motibus corde distracto, nunc in indignationem incitato, mox contracto in tristitiam, sequuta est ingens agitatio spirituum

Et humorum, ad cordis concussiones ac uibratus inexplicabiles, intro forasq; magno impetu ruentium, uelut in Eurypti fluctibus Et fuisse impetum nulli creaturæ tolerabilem eruptio cruenti sudoris ostendit.

Hæc de affectibus paucis commemorauit, ut Medicus, cum pro consuetudine scholæ aliquid dicendum esset. Multa de affectibus regendis ac moderandis præcipit doctrina sacra, Multa tradit Philosophia, quorum illa spectant eo, ne procellis Et fluctibus in compositorum affectuum impediatur uel excutiat Spiritus sanctus: Hæc ne uoluntas, uehementia affectuum raptæ aut incitatis, faciat contra rationem, Et impediatur studia atq; exercitia uirtutum. Nos cum de uitandis causis atque occasionibus affectuum uehementium, hisq; frenandis ac temperandis præcipimus, præparamus cor Spiritui sancto, Et gubernationi rectæ rationis. Ac docemus propter morbos quos commouet aut subitos ac uehementissimos, aut longos ac diuturnos, omni studio cauendos esse.

Non dubium est multo plures ex sanis Et intelligentibus, extinguuntur affectibus animi, quam alijs causis. Quam multos præcepit iracundia? quam multos mœstitia ex conspectu publicorum aut priuatorum malorum nata, absumpsit? Ut ergo regi possint nosse causas Et organa humorumq; qui in singulis cientur genera conuertit. Est Et cura adhibenda summa, ut sanitas cordis, quantum fieri

fieri potest, restituatur & conseruetur. Et cauendum est, ne uel intemperantia, uel indulgentia, magis incendantur corda, uel inficiantur, & sequantur furores maiores, sicut exempla testantur, uetera & recentia.

Multa enim tunc concurrunt, corda gignunt spiritus uitales uenenatos, qui cerebrum & alias partes inficiunt, ut fit in rabiosis bestijs, & accendit Diabolus, qui occupans corda, tum afflatu suo prauos affectus accendit & auget, tum extinguit in mente uerum iudicium. Ita cor quod conditum est, ut sit domicilium Dei, fit cloaca & organum furorum Diaboli. Hoc cum sit tristissimum, maiore studio singuli frenemus motus cordis, & petamus nos regi à Spiritu sancto. Te ergo fili Dei toto oramus pectore, ut accendas in mentibus nostris ueram lucem & agnitionem tui, & Spiritu sancto inflammes corda nostra, ut faciamus tibi grata, serues etiam hos cœtus, & nidulos nostros, ac concedas pacem, ac res necessarias propagationi doctrinarum propter te, ut tu honore adficiaris.

DIXI.

Fff

ORATIO

## ORATIO DE CLADE

VARNENSI, RECITATA A CAS-  
 paro Peucero Philosophiæ & Medicinæ Doctore  
 celeberrimo in Academia Vuitebergensi eiusdem  
 Professore, cum decerneretur gradus Doctoratus  
 in arte Medica, duobus honestis & doctis  
 uiris, die Martini.

**D**ies hesternus, qui est quartus Iduum Nouem-  
 bris, renouat mihi memoriam Cladis Var-  
 nensis. Eo enim die ante annos centum nouende-  
 cim, ingenti strage ab Amurathe Turco fusus est  
 fugatusq; insignis Christianorum exercitus, ad  
 Varnam Bulgariæ, olim Mysiæ inferioris oppi-  
 dum. Situm id est in Ponti Euxini amenissimis  
 & uberrimis campis, ad sinum angustum, sed ex-  
 cipiendis nauibus peroportunum, inter duo pro-  
 montoria Callatin & Macropolin, non procul à  
 Tomorum urbe, Ouidij Poëtæ exilio celebri, ubi se-  
 uerat. Antiquitus Dionysiopolin nominarunt. De  
 hac ergò Clade cum me tempus admoneret, recita-  
 re historiam conflictus uolui & occasiones, quid  
 cum dicendum esset usitata consuetudine aliquid  
 ex hoc loco, cogitarem defatigatis audiendo no-  
 stræ doctrinæ uel argumenta morborum mentio-  
 ne insuauia, uel prædicationes toties usq; ad tedi-  
 um repetitas: Offendunt enim, ut uirtutis, ita  
 doctrine

doctrinae ac professionis alienae, laudes nimiae:  
 Quod ergo uobis iudicarem historicam narratio-  
 nem plus uoluptatis allaturam esse, quam perpe-  
 tuas disputationes, aut iterata encomia: uarietas  
 enim delectat, estq; τῶν τὸ τὸ ἄκουσον.

Nec me tempus solum in hanc induxit cogita-  
 tionem, sed & locus praelij, & ex Polonica gente  
 belli Dux, Rex Ladislaus, patre Ladislao Iagellone  
 natus, qui primus decus & dignitatem Regij no-  
 minis in hanc familiam intulit. A loco praelij non  
 ita longo interuallo abest Borysthenes fluuius, ad  
 quem post finitas paucorum mensium, ab expug-  
 nata nuper à Rossis munitissima Lituaniae arce,  
 inducias, nunc bellum totis uiribus instaurat duae  
 potētissimae gentes Sarmaticae, Polonica & Rossa,  
 cultu corporis, genere armorum, lingua ac mori-  
 bus non ita multum differentes, nisi quod in reli-  
 gione ritus Graecos Rossi sequuntur: In militia  
 grauiori armaturae Germanorum more student  
 Poloni. Sed utinam fortuna prosperiore contra  
 Rossos nunc Poloni dimicent, quam cum Turcis  
 depugnarunt ad Varnam. Id nisi fiet, periculum  
 est, ne ut post Varnensem cladem, ceu reuulso ef-  
 fractoq; Germaniae ad Solem orientem propugna-  
 culo, patuit aditus Turcis ad has terras: Ita supe-  
 ratis atque oppressis uicinis, eadem pateant irru-  
 ptionibus Scytharum, quos multitudine innume-  
 ros, feritate immanissimos, illi represserunt hacte-  
 nus, ceu obiecta moles exundans flumen.

Silesia seuitiam Scytharum atque immanitatem, suis ante annos trecentos edocta certaminibus, & cladibus, meminit, ac metuit, quæ nisi tunc per Poloniam ac Pannoniam, ut locustarum agmina appulsos, auxilio cœlesti, & sua uirtute inhibuisset initio ac detinuisset aliquantisper, tandemq; multo labore & sanguine concisos atque concuscatos progredi ulterius prohibuisset, illi incendijs, rapinis, cædibus, totam Germaniam instar subiti incendijs, ut olim Hunni, percurrissent.

Vtinam uerò & nostri Principes magnitudinem periculi, quod præ foribus est, prospicerent, ac præmetirentur, & communibus consulerent rebus, dum hostis abest à finibus longius, cui propius imminente ceruicibus nostris, frustra sunt occursuri. Nolim enim aut superbe contemni, aut nimio uoluptatum studio, desidiosè negligi, uel ferociam gentis barbaricæ, uel felicitatem Regis iuuenis, qui exercitum ad uincendum aliquot horum annorum secundis prælijs assuefactum ducens, in ipso uictoriarum cursu blandienti fortunæ obsequitur atq; indulget. Nam si uincere perrexerit, postea quiescere nec uolet nec poterit. Stimulabitur ipse crescente indies cum gloria ipsa gloriæ cupiditate. Et exercitum uictorijs insolescentem ac ditescentem rapinis quomodo continebit? præsertim si mitioris cœli in Germania temperiem, si gentis opes, si rerum fruendarum ubertatem,

tatem, si delicatioris uitæ uoluptates perſpexerit  
atq; deguſtarit?

Anni ſunt quinquaginta, cùm in iſſdem ad Bo-  
ryſthenem campis, ſexto Id: Septembris, parua  
manus Polonorum deuicit ac diſſipauit ingentem  
Roſſorum exercitum, cumq; plures de his alios  
triumphos Poloni enumerent, tam certas ſibi de-  
ſpondent uictorias, ſi iuſto ſit decernendum præ-  
lio, ut ſuperbo contemptu, & præmaturis conſi-  
lijs etiam externa auxilia non uideantur admiſſu-  
ri eſſe. Sed uideant hac ſua opinione ne decipian-  
tur, nèue nimia uirium ſuarum fiducia, & hoſti-  
um deſpectu, uel negligentius uel confidentius a-  
gant, quod eidem genti ad Varnam, Pannombus ad  
Mugatium accidit. Sæpe timidior hoſtis aut imbe-  
cillior, ſed uigilans, & in occaſiones intentus, po-  
tentiorem & prioris fœlicitatis ſomnio ſecure fe-  
rocientem, ſaſtuq; nimio cæcutientem, oppreſſit,  
atq; extinxit.

Hæc dico non præſagiens mali aliquid, nec  
contumelia afficiens quenquam, Sed metuens &  
commonefaciens. Vereor enim, ne cùm perſodus  
ſit circumacta, annis quingentis iam completis,  
Regna Europæa properent ad mutationes, ur-  
gentibus fatiſ ac fatalibus pœnis. Ad hanc enim  
metam perducta regna interire, uel externis uel  
domesticis conuulſa atque deſtructa armis, teſtan-  
tur tot urbium regnorumq; rudera & cineres,  
eſi multa eam metam non attigerunt. Pannonia



lacera ac tristes species ante oculos est. Gallia in factiones distracta ac ceu ab imò mota fluctuat ac nutat. Neque obscure sese commouent atque exerunt fata regni Polonici. Domi uerò dissidiorum occulta semina, & ex diffidentia profectæ molitiones intestinae, neglectionesq; externorum hostium ac prouinciarum, quas uirtus maiorum ab impia & Tyrannica barbarie uindictas Ecclesiae Christi & Germaniae coniunxit, quo tandem sunt euasura?

Vt ergò commonefactione funestissima cladis commonefacti hoc tempore, de nostra etiam & uiciorum salute diligentius ac frequentius cogitemus, & uota ad Deum faciamus ardentiora pro ijs, qui dimicaturi sunt, non minus de nostra, quam sua salute (Nos enim illis superatis eadem pericula proximè excipient) Narrationem prelij ad Varnam instituam, quam à causis & occasiombus belli ordiar, ut hoc exemplo etiam discamus causas bellorum oportere iustas esse, & hostibus pacta seruanda esse. Tunc autem iustae sunt cause, & Deus tunc armat ac regit Duces, ac dat uictoriam, cum, qui bella gerunt, sunt uerè & plurimò uictor, quales studuerunt esse Romani, de quibus affirmatur, quòd omni cauerint studio, ne priores ipsi alijs arma inferrent, neue deuictis, & sub iugum redactis iniuste imperarent. Tales fuerunt aduersus Turcos Iohannes Hunniades, & Georgius Castriotus cognomèto Scanderbegus, quorum utroq;

non

non habuit eo tempore Occidens exercitatiores  
in re bellica, & acriores uiros inter omnes, quot=  
quot cum Turcis signa contulerunt.

Georgius Epiri Princeps, sed puer, cum obses  
Amurathi à patre datus esset, educatus moribus  
Turcicis, atq; ad disciplinam militarem illius gen=  
tis à teneris assuefactus, postea Turcicos exerci=  
tus perpetuis uictorijs terribiles, frequentissimè  
profligatos, ac retusos, maximis cladibus affecit,  
ita ut septem Ottomannici nominis precipuos  
Principes purpuratos, quos Bassas nominant, ca=  
stris exutos, aut trucidarit, aut ceperit, patria  
Croia fortiter defensa, quare cum expugnare  
Amurathes nulla ui posset, dolore toties frustrati  
conatus consumptus est.

Hunniades ad Pannoniæ limites in perpetuis  
excubijs, uelut murus, ut de Achille, Homerus in=  
quit, non Pannoniæ solius, sed reliquæ totius Eu=  
rope, duos audacissimos ac foelicissimos Turco=  
rum tyrannos, Amurathen, & Mahometen, pro=  
sperrimis uictorijs fractos atque fatigatos, &  
procul à Pannonia in Thraciam reiectos, coëgit  
ab iniurijs, quamdiu uiueret, abstinere. Horum  
nisi uirtute ac foelicitate tunc fuissent repressi  
Turci, iam olim nos aut seruitutis Turcicæ crude=  
lissima subiissemus iuga, aut in medio Germaniæ  
cum his consuctaremur. Nam neque magnitudo

animi, nec vires, neque occasiones his Tyrannis tunc deerant ad occupandam Italiam & Germaniam.

Fuit omnino Hunniades unus inter summos ac foelicissimos bellatores non tantum nostri seculi, sed omnium temporum, solers ac sagax in providendis, patiens in expectandis, celer in arripendis, acer in persequendis rerum occasiōibus, atq; in ipsis rebus urgendis pertinax, conficiendis fortunatus. In hoc Varnensi bello non fuit <sup>α. μ. λ. ω. α.</sup> Rege Ladislao non iusta arma capiente contra datam ante fidem, quando pax in annos decem facta fuit, ac sancita conditionibus aequissimis. Mutata fuit ergo prior eius ac perpetua fortuna, quod ipse uiolato iure belli, metas defensionis legitime excessisset. Sed ad narrationem ipsam accedo.

Sigismundus Imperator cum bis infeliciter arma Turcica tentasset, semel ad Nicopolim Mysiae urbem, collatis cum Baiazete signis ad tertium Calend. Octobris, Anno à nato Christo millesimo trecentesimo, nonagesimo quinto, auxilio Gallorum, quorum temeritate res perditam fuit: Deinde ad Columbaciū, Seruiae oppidum, iuxta Samandriam Mysiae inferioris Thraciaeq; propugnaculum, non longè ab Istro, congressus cum Celebino Baiazetis filio, annis tredecim post cladem priorum, reliquit posteris materiam ingentium bellorum. Non enim quieturi erant Turci priores bello  
lacepti,

lucessiti, & hoc infœlici, irritoq; conatu, animati atq; in spem potiundæ Pannoniæ erecti. Sigismundum ulturus Albertus Austriacus gener, in ipso armorū apparatu è uiuis excessit, cum nondū copias è Pannonia & Germania uniuersas contraxisset. Reliquit is uxorem grauidam, sed duarum iam filiarum matrem. Quòd ergò Pannonia à morte Alberti rege careret, Amurathes, qui Georgium Seruie Despotam nuper principatu & liberis spoliatur, ratus occasione utendum, continuò in uicinam Seruie Pannoniam populabundus irrupit, & incursiones crebras, atque incolis maximè funestas fecit. Pannonos diffidentes rebus suis, cum se solos & sine Rege tantum hostem ac tam pertinacem uix sustinere posse animaduertent, ut uires suas auergerent Polonorum societate, consilium iniuerunt de nuptijs Ladislai Regis Polonici, Regine grauide conciliandis, quanquam de partu quid futurum erat, esset incertum. Regina etsi initio non abhorruit, argumentis necessitatis persuasa: tamen ubi filium enixa esset, nuptias prorsus recusauit, de quibus ad Polonos iam erat relatum, cupiens filio Regnum auitum conseruare. Ea res in bellum erupit graue admodum, ac perniciosum, cum ex proceribus nonnulli, qui res ad Ladislaium inflexerant, hunc deposcerent, & ad uindictandam repulsæ contumeliam incitarent, nonnulli Regine & Regis posthumi partes tuerentur.

Ingressus in Pannoniam Ladislaus studio fauoreq;  
procerum, ob urgentem belli Turcici necessita-  
tem, citò bonam Regni partem obtinuit. Nec re-  
bus suis defuit Regina, recuperando amissa, &  
astu atque insidijs Ladislaum oppugnando.

His inter se conflictantibus, Amurathes mi-  
nimè negligendam esse arbitratus ab intestino  
bello occasionem, copias uniuersas celerrimè per  
Mysos, Triballosq; attractas, Belgrado admouit,  
quæ urbs Taururi nomine ueteribus celebrata,  
& ad Savi Danubijq; confluentem commodissi-  
mo loco, & natura atque arte munitissimo posita,  
Regni propugnaculum erat. Præcipua apud La-  
dislaum ualebant autoritate, Iohannes Hunnia-  
des, & Georgius Seruicæ Despota exul, quem pe-  
pulerat è principatu Amurathes. Horum alterum  
Hunniadem Ludouicus Transyluanie, quæ uete-  
rum Dacorum sedes fuit, præfecit, ut se intestino  
bello distento, ex ea parte arceret ac summo-  
ret à Pannonia Turcos. Alterum Georgium ad  
limites contra Belgradum collocauit cum præsi-  
dijs, ad prohibendas ibidem Turcorum excursio-  
nes ac populationes.

Omnem autem intra Tyram fluumium & Ly-  
burnica iuga atque Hemum montem, qui à Mesima-  
bria continuo dorso in Macedoniam procurrents,  
& utrobiq; in ramos brachiatus, Mysiam superio-  
rem asperis collibus ac profundis sinuosisq; ualli-  
bus infidam, à Macedonia determinat: Inter ergo  
huic

hunc montem, & inter Pannoniæ Daciæq; ueteris limites, ac Pontum Euxinum conclusam regionem tenebant tunc Vuallachi, Italarum coloni, & Sarmaticæ gentes è Septentrione egressæ, ortu patriæq; diuersæ, lingua & moribus inter se cognatæ. Ea regio Romanis temporibus Dacorum Getarumq; ad utramq; Istri ripam, & his uicinorum Roxolanorum, Arpiorum & Tauroscytharum: Ante hos Thracum, Mysorum, Triballorum ac Dardanorum sedes fuit. Vuallachi originem nomine ipso indicantes, intra Tyram & Istrum. ubi adhuc Pontis Traiani triginta quatuor admirabiles pile nequaquam totas obruente Danubio, uisuntur, in ueteri Dacorum patriâ confederunt. Mysiam inferiorem cum parte Thraciæ Bulgari profecti ac denominati à Vuolga flumine Rossorum, qui est antiquorum Rha: Superiorem Mysiam, Seruij, à progenitoribus Sorabis, Sarmatis ue: Triballorum regionem ad Istrum Rascij à Rossis nomen sortiti: Dardanorum patriam cum Illyridis ora ad montes Euganeos Bosini seu Pacinacæ compleuerunt. In Epirum & Acarnaniam Albani sese infuderunt. Singulis sui imperarunt Principes Græco Despotarum nomine, qui iam olim post dilaceratum à Francis Byzantinum Imperium, sese in libertatem asseruerunt, ut plures alij Græciæ Principes, Bulgaria Despotam multò ante sustulerat Baiazetes omni ea regione in formam prouinciæ redactâ. Seruic

Despo

Despotam & Muldauia, que pars est Vuallachie ad Tyram amnem, & ueteres lazyges, recens Amurathes eiecerat. Idem in Epiri Despotam Georgium Castriotum machinabatur, ui & fraude, qui Amurathe decepto, paternum principatum receperat.

Cum ergo Amurathes omnem eam regionem, ad Epirum & Pannoniam usque complexus, animum ad utranq; adiecisset, cupiditate proferendi uersus occidentem Imperij, facile quidem Pannonia tunc fuisset potitus, propter procerum discordias, nisi Hunniadis uigilantia & uirtus, multis uelitationibus, & iustis praelijs accisum eum usq; attritum retardasset atq; euertisset.

Magnitudinem periculi cum intellexissent ceteri Europe Principes, id dederunt operam, ut disidijs inter Ladislaum, & reginam compositis, perficerent, quò uires uniuersæ in hostem Regno inhiantem conuerterentur. Missus est igitur ad pacem unà cum reliquis conficiendam ab Eugenio Pontifice Iulianus de Cesarinis Cardinalis. Pontificum enim exitialis orbi terrarum ambitio iam tum in omnia sese regnorum negocia ingesserant. Is ceterorum Principum autoritate, & ope rem deduxit eò, ut Regina certis conditionibus filias duas fratribus Ladislao & Casimiro desponderet, & regnum positis armis retineret. Hæc enim unà ferè est dirimendorum bellorum, & amicitia inter Reges conciliande ratio. 2160  
202p

καὶ ἀναγκάσας ἰαχὺρῆς συμβάσεις ἰαχὺραὶ ὄντι  
 θέλουσι συμβῆναι, inquit, de hac ipsa Herod.

Quod uerò interea Hunniades multos Turcorum exercitus deleuisset, & Seruiae partem ac Moldauiam totam recepisset, id grauißimè ferens Amurathes, contractis uniuersis copijs Europæis, in contumeliam hanc bello ulciscendam totis uiribus incubuit: Ladislaus illi occursurus hortatus cæterorum Principum, Pannonicos exercitus uirtricibus copijs Hunniadis adiunxit. Ita progressus aduersus hostem consilio Hunniadis, citò maximam Seruiae & Bulgariae partem, profligatis inde atque expulsis Turcis recepit. Hæc initia cum essent lætissima, Regi iuueni ingentes addiderunt animos.

Hunniades in eo bello uno die quinquies cum Turcis aperto Marte congressus, quinque uictorijis partis, ut Colophonem prioribus adderet splendidissimum, sub noctem sexto prælio Anatoliæ Bassam Amurathis affinem ingenti ausu temerè & improvidè Hunniadis fortunæ sese obijciens, ita contriuit, ut triginta Turcorum millia ad interneccionem ceciderit. Ad huius cladis famam, etsi trepidare Amurathes cœpit, tamen ne timiditate, & sese, & maiorum uirtute acq̄situm imperium destituisset diceretur, nouis ex Asia copijs accitis, factoque supplemento, Carambeium Bassam Phrygiæ, uirum impigrum, & consilio ma-  
 nuq̄;



nuq; promptum, in quo spem omnem positam habebat, denuo instruxit. Hunc in montis Hemi ualibus nimio uindictæ desiderio incautius irruentem, Ladislaus Hunniadis prouidentia ita excepit, ut inexpectata celeritate obrutum ac circumdatum ceperit, copijs illius uniuersis partim iugulatis, partim disiectis. Ea clades tantum incussisse fertur Amurathi terrorem, ut de morte sibi ex desperatione consciscenda consilium habuerit. Sed presentia ac magnitudine animi, expeditisq; consilij Halibei Basse, hominis astuti & uasri, quem Carambeio successorem destinarat, rursus confirmatus, eodem monitore aliam iniuit belli gerendi rationem, ut præclusis obseptisq; ad Rhodopen montem angustijs, eluderet cunctando circumducendoq; Fabij Maximi contra Hannibalem stratagemate, artes & conatus Hunniadis. Ea re Ladislaus animaduersa, cum bellum uideretur futurum longius, ac difficilius propter angustiarum infidarum uallium, contentus aliquot uictoriarum gloria, & hostis fuga, exercitum, quanquam aduersante & reclamante Hunniade, reduxit triumphabundus Belgradum, ostentans inter prædas Turcis ereptas captiuum Carambeium.

Hæc postquam acciderunt in Europa, Caramannus Ciciæ Princeps, istarum cladum famam excitus, ualidissimis copijs Pontum & Bithyniam Turcorum prouincias in Asia inuasit. Amurathes igitur cum accisas tot prælijs atque attenuatas

nuatas copias utriq; bello non suffecturas esse cer-  
neret, sed Europæum hostem & exercitum ma-  
gis, quàm Asiaticum reformidaret, Legatos mi-  
sit ad Ladislaum petitum pacem, ijs conditioni-  
bus, quibus uellet. Ladislaus non difficulter assen-  
sus, memoria dicti: Hosti cedenti aureum pontem  
sternendum esse, condiciones tulit, Vt Amura-  
thes tota cederet Seruia, deductis præsijs ex ijs  
arcibus, & oppodis, quæ adhuc tenebat: redde-  
ret Georgio Despotæ liberos, redderet fortunas,  
& abstincret ab iniurijs, in posterum: non repe-  
teret Moldauiam nec amissam Bulgariae partem.  
Ibi cum Amurathes solam sibi Bulgariae relin-  
qui peteret integram, annuente Ladislao, pax  
conclusa est in annos decem, & iureiurando fir-  
mata.

Sed pacis leges, cum uix Amurathes ex Eu-  
ropa in Asiam traiecisset, uiolauit Ladislaus, iu-  
uens alacer & serox, incertæq; belli gloriae, quàm  
securæ pacis audior, ex afflatu, scilicet blandientis  
priori bello fortune, & applaudentis undiq; or-  
bis Christiani acclamationibus, in nouos eosq; in-  
gentes elatus Spiritus: ex Amurathis uerò absen-  
tia in maiorum atque illustriorum uictoriarum,  
imò in Imperij Byzantini recuperandi spem ille-  
ctus. Rupit autē hæc fœdera persuasus ex Eugenij  
instinctu Iuliani Cardinalis insanis & exitialibus  
consilijs, qui Pontifici licere iuramenta, præsertim  
hostibus Christiani nominis præstita, religiosa au-  
toritate,

toritate, & diuinitus concessa potestate, irrita reddere atque rescindere contendebat, quidquid contradicerent saniores, & spem regi faciebat, futurum, ut Pontificis, Philippi Burgundia ducis, & Venetorum classis, ad Hellepontum Amurathi suppetias suis laturo, reditum ex Asia in Europam intercluderet.

Eduxit ergò Ladislaus copias Segedini congregatas undecimo Calend. Octobris. Iuliano & ceteris Antistitibus Pannonum impellentibus & urgentibus uelut Furijs, directoq; ad sinistram per Mysiam inferiorem intinere propter patientiores ac planiores campos, auctus copijs auxiliarijs Dracule Vuallachorum Principis, qui expeitionem istam uehementer dissuadebat, animo euentum presagiens, Bulgariam omnem iuxta Istris ripas ad pontum Euxinum usque, presidijs Turcicis sponte loca deserentibus occupauit, & ad Varnam morbo languefactus substitit.

Amurathes, ubi rem comperit, mox omisso Caramanno, quantis potuit itineribus ad Hellepontum reuersus, Asiaticas copias, quòd Europeiis metu defectionis in tam dubio belli statu non satis fideret, transuexit in Europam, qua fretum arctissimum est ad Callipolim, classe Italica, seu flagitiosa timiditate, seu scelerata perfidia, ociose spectante. Corruptos enim fuisse speculatores nonnulli tradunt, qui timiditati exercitus patrocinantur.

Transf.

Transportarunt autem copias Genuensium naues, quibus de singulis capitibus, singulos aureos nummos solutos esse perhibent, scilicet, ut quasi quadam fatorum conspiratione in hoc etiam tam acerbo ac funesto casu palam fieret, quæ sit & fuerit Satellicij Pontificij in periculis Christianæ Reipublicæ, & quidem Pontificum arte commotis atq; accersitis constantia, magnanimitas, ac fortitudo: quæ Ligurum fides.

Amurathes traductas ex Asia copias non procul ab Isthmo Chersonesi Thracij, inter Europæas, quæ ibidem congregatæ Imperatorem expectabant, distribuit, & promotis inde castris Adrianopolim uersus, incredibili usus celeritate, die septimo contra Ladislaum adhuc ad Varnam herentem, & nihil tale opinantem, castra posuit.

Non audiebatur tunc Hunniades, ut antea, sed plus ualebant Iuliani & Pannonicorum Antistitum stolidæ & Regi fatalia consilia, quos libri ornessent decentius quam arma. Certè Antistites, si de dogmatibus, & de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, quod muneris ipsorum est, uero studio potius, quam stulta, alienaq; & toti Christiano orbi perniciose ambitione, atque curiositate, de instruendarum acierum ratione, & confligendi cum tanto hoste occasionibus differuissent, sique Ecclesias potius quàm regna & bella administrassent, rectius cum Ecclesia, rectius cum orbis Christiani regnis, & tunc fuisset actum, & nunc ageretur.

retur. Hæc mala cum nunc agnoscamus, quana  
quam serò nimis: Tamen ne nunc quidem iusta &  
conuenientia remedia adhibentur, Sed talia, qui-  
bus uulnera exacerbari, pericula aggruari, fa-  
talem interitum Europæ accelerari experimur.  
Eductæ sunt igitur ad Statariam pugnam acies us-  
trinque IIII. Idus Nouembris. Christianam strux-  
it Hunniades maturo deliberatoq; consilio, ita  
ut latus unum ad paludem quandam, alterum ad  
currus ualli instar aut muri concatenatos, tergum  
exercitus ad montes conuerterit.

Certatum est totos dies noctesq; tres, diu for-  
tuna ancipiti & euentu dubio, Sed tanto utrinq;  
animorum ardore, ut caesorum sanguine campi  
stagnarent. Victoria tandem ad Christianos in-  
clinare uisa est, ob primos Turcorum ordines di-  
sturbatos, atque in fugam dilapsos, & Imperato-  
rem ipsum trepidantem ac desperabundo similem,  
cùm Antistites ex statione sua fugientem hostem  
inconsultò prosequuti, aditu ad nudatos ordines  
patefacto, uictoriam & uitam Regis, & totius ex-  
ercitus, Regniq; Pannonici, imò Europæ salu-  
tem hostibus prodiderunt. Mox enim in nudatos  
Equitibus ordines conferti Turcorum Sagittarij  
immisi, densa telorum nube sepeq; ingeminati  
Legiones anteriores perruperunt ac disiecerunt.  
Antistites procul ab acie & ordinibus suorum,  
nullo negotio à Turcis dissipati, nunquam ad ex-  
ercitum redierunt, sed in turpi fuga, turpi in-  
teritu

teritu pœnas dederunt perfidiæ stolidæq; audacia, nimirum cœno in paludibus suffocati.

Hunniades dum scissos, confusosq; ordines reficit, audit regem Ladislaum ad confertam Prætorianorum phalangem iuuenili ferocia penetrasse, cumq; his prælium conserere cœpisse, Ad illum à non satis reparatis ordinibus subleuandum dum properat, fatalis, Rege nondum interempto, fama subito percrebescit, Regem à Prætorianis obruncatum esse. Hæc demum falsa fama reliquo exercitui ob dissutos ordines laboranti causam fugæ præbuit, ut in postremo Scipionis cum Hannibale conflictu, secessio Hannibalis ex prælio. Ea fuga inspecta Amurathes, cui aliquoties res ad desperationem redierat, animum recipere, pertinacius ex omni parte urgere, atque instare, hortariq; suos, & turbatos lacerosq; ordines sarcire atque producere, donec Rege, qui ex equo lethaliter sauciato prolapsus erat, confosso, quantas posset Christianorum copias, circumfusis undiq; Legionibus concluderet, Turcica consuetudine.

Ita Rex iuuenis Pontificum hortatu ad fallendam fidem impulsus, & ab iisdem, rebus motis, desertus ac proditus, inq; ipsa acie satellicij Pontificij imperita audacia ac turpi fuga, in discrimen extremum adductus, eumq; exercitus sæpe uelocis parte maxima miserabiliter trucidatus, rebus

Christianis detrimentum summum: hostibus summam ad acquirendum ac stabiliendum Orientis Imperium, opportunitatem attulit. Adcò consensu experientie perpetue certum est, Nulla unquam fuisse foelicia & salutaria, uel foedera cum Pontificijs facta, uel bella de horum consilio suscepta & administrata, atque eorundem auxilijs gesta, praesertim ubi causae specie Religionis fuerunt pictae, aut cum dignitatis ac potentiae Pontificiae spectata est amplificatio. Turci in praelij loco trophaeum erexerunt, posita columna, cui commissae pugnae tempus inscriptum est.

Hunniades in densissimum agmen Praetorianorum delatus ad cadauer Regis repetendum, perne interceptus fuisse. Iam enim in omnes partes diffusi ordines Turcorum, copias Christianorum in medium agmen ueluti in nassam illectas, impuene conculcabant ac mactabant. Quod ergo desperata essent omnia, in fugam ipse se quoq; per loca deuia proripuit. Fugientem eum Dracula interceptit, & captiuum detinuit. Sed admiratione uirtutis iterum dimisit. Reuerso in Ungariam procerum consensu gubernatio ac defensio Regni commendata est, ut suscepta publicarum rerum cura prouideret, ne quid detrimenti Regnum caperet. Caeterae copiae, quibus belli fortuna pepercit, fuga quidem ex hostium manibus erepta sunt: sed partim paludibus ac lacubus absorpta, partim

partim fame, frigore, uigilijs enectæ in syluis, miserabiliter interierunt. Iulianus rumpendi fœderis autor, elapsus ex hostium manibus, in fuga perfidiæ pœnas tragico exitu luit, Nudus enim re-pertus & multis confectus uulneribus, iudicatus est à suis esse iugulatus.

Aiunt Amurathen ob suorum fugam spe animoq; deficientem, conuersis oculis in uexillum, in quo depicta fuit imago Christi crucifixi, alta uoce sua lingua exclamasse: Crucifixe, si uerè es Deus, ulciscere perfidiam tuæ gentis, quæ contra ius & fas, contra fidem datam, arma cepit.

Hæc est Historia cladis Varnensis, quam eò commemorauit, ut consideratis causis, quæ attrahunt gentium, regnorum, atque urbium interitus, simus modestiores, & à Deo gubernationem ac defensionem petamus. Optarim autem Germanicos Principes, & in inquirendis ac cognoscendis Turcicis atq; alijs barbararum in uicinia gentium historijs diligentiores, & in patria contra tales hostes munuenda defendendaq; coniunctiores esse atque acriores. Ac si magis nossent gentes ipsas, & Tyrannicas, atque iniustæ seuiciæ, obscœnitatis, impietatis plenas, apud illas gubernationum formas, exempla multiplicis & beluine iniusticiæ atque immanitatis, genus militiæ, consuetudinem preliandi: Magnitudo rerum excitaret generosos animos ad maiorem curam tuendi conseruan-



diq; in patria presentem politia, formam opti-  
 mis constitutam ac temperatam legibus: instituta  
 & mores humanitatis plenos: Ecclesias sonantes  
 ueram de Deo doctrinam: iudicia, quae iusticie  
 sunt in pace praesidia, & communis societatis  
 nerui: familias nobiles, quas feræ gentes radi-  
 citus extirpant: honestas politias, disciplinas ac  
 doctrinas, quas abolent prorsus, summa rerum  
 in disciplina militari, & bellandi consuetudine, ac  
 iniustis rapinis posita. Queritur Ecclesia, apud  
 Dauidem se exulare inter Mesech & Kedar, id  
 est, inter Moschos & Arabes, ex quibus Rossi  
 sunt & Turci. Cum ergo hæ gentes immineant  
 ex propinquo cervicibus nostris, petamus cum  
 Dauide auxilium & defensionem à Deo. Te ergo  
 Fili Dei, λέγε κὴ ἔκαστ' αἰδέσθαι τῶν αἰδέσθαι τῶν ἑσθαι  
 toto oro pectore, ut propter gloriam tuam nos  
 protegens prohibeas, ne Turcicis, Rossicis, aut ci-  
 uilibus bellis efficiatur in his terris barbarica uas-  
 titas: Sed collige & serua inter nos Ecclesiam te  
 rectè inuocantem, & rege mentes docens  
 tuum, ut unum sint in te, Amen.

D I X I.

ORATIO

ORATIO DE STV-  
DIIS ASTRONOMICIS, RECITA-  
ta à Magistro Bartolemaeo Sconborn professore  
Decano Collegij Philosophici, die Mat-  
thiae Apostoli.

NE hi congressus nostri, in quibus fit renun-  
ciatio testimonij publici, essent tantum uel  
ociosa uel etiam profana spectacula, qualia in suis  
panegyribus exhibuit Græcia, sapienter institu-  
tum est, ut ante renunciationem proponeretur  
commonefactio aliqua utilis discipulis, & huic  
miscerentur uota ad Deum precesq; quibus Eccle-  
sia, & Ecclesie necessariae artes à Deo conserua-  
ri peterentur. Has enim ita cum doctrina Eccle-  
siae omni tempore copulatas fuisse constat, ut ubi-  
cunque hæc restituta effulsit, illæ simul illuxerint,  
& hæc extincta, paulò post illæ quoque interie-  
runt, barbarie oppressæ.

Intelligo autem artium nomine, non inanem  
aut garrulam Sophisticen, alienam à ueritate, &  
moribus ac uitæ perniciosam, sed ueram ac sobri-  
am Philosophiam, quæ deducit mentes ad confide-  
rationem naturæ, & est commonefactio de Deo.  
Talem adfirmo Dei donum esse, & excitari atque  
illustrari diuinitus. Hanc dux ac Magistra Eccle-  
sia ita dirigit ad normam doctrinæ cœlestis, atque  
intra metas uoce diuina circumdatas ita ceu coër-

cet, ut uicissim ornamentum ac praesidium ab ea petat atque consequatur.

Neque id à me arroganter dici, intelligunt eruditi & sapientes, qui norunt, quantum Philosophia saepe doctrinae caelesti perspicuitatis addat, si illa praecedente atque iter regente, haec ut ancilla sequatur, ac seruiat discipulis in uera enarratione sermonis: quantum etiam conferat lucis ac praesidij caeteris artibus, quibus regitur atque administratur societas humana.

Sonat Ecclesia inde usque ab initio generis humani uocem suae doctrinae sola, de meritis & beneficijs filij Dei, quibus instauratur genus humanum ad aeternitatem. Haec ipsi propria, illi soli haec diuinitus patefacta est. Sed interea tamen sola etiam doctrinam legis moralis integram conseruauit atque incorruptam, quam gentes caeterae horribili audacia furiosis obsequute cupiditatibus partim mutilarunt, partim deprauatam proiecerunt, detrimentes ueritatem in iniusticia, ut Paulus ait. Ex hac detexta est tota doctrina Iurisconsultorum, quam & ab Ecclesia cepisse, repetita docent legum initia, & ceu post longa exilia, ac nonnulla etiam apud diuersas gentes naufragia, rediisse tandem ad Ecclesiam, ut ad normam legis diuinae autoritate Ecclesiae ceu inflexa atque adaptata corrigeretur: Ostendunt piorum Imperatorum decreta, qui ex ueteribus legibus Romanis sustulerunt eas, quas pietas Christiana non admisit, & statuerunt  
alias

alias pietati analogas, quales sunt, quæ prohibent cultus Idolorum, ac pœnas sanciunt capitales in eos, si qui Ethnico more palàm Idolis sacrificarent, ut sunt edicta de his Constantini, Valentiniani, Theodosij, & plura aliorum ἐπινοήματα, quibus constitutiones Ethnicæ uel emendanter uel abolerentur. Nec dubium est, disputationes Iurisperitorum doctrina Ecclesiæ plurimum esse illustratas.

Sola etiam Ecclesia monstrat & explicat uera fundamenta doctrinæ de natura rerum ac Medicæ artis, refutatis Ethnicorum commentis de mundi exordio, de rerum principijs, de causis instabilitatis in materia Elementari & imbecillitatis atque confusionum in genere humano. Nam & Deum ostendit esse primam causam architectatricem, & eundem esse mentem æternam, infinitam, omnipotentem, ordinis intelligentem, liberrimam, diuersissimam ab hac uisibili machina, quæ & hunc ordinem instituerit, & seruet atque gubernet naturam liberrimè, & operibus inusitatis extra ordinem naturæ testetur, non tantum se opificem esse & dominum naturæ, sed multò magis se custodem ac protectorem esse illius cœtus, cui suas promissiones tradidit, quas uult intelligi ac sciri suam uocem ac sua decreta esse, ac sanctè coli & custodiri.

Causas uerò incertorum ac uagorum motuum materiæ & magnæ fragilitatis naturæ humane,

morborem, mortis atq; aliarum horribilium confusionum, quas mens humana intuens obstupescit, cum causas ueras nullas perspiciat, refert ipsa in lapsum primorum parentum, & quæ hunc consecuta est, execrationem diuinam.

Sola deniq; Ecclesia, ut multa alia prætereant, perpetuam annorum seriem inde usque ab initio mundi recensuit, quam extare Deus uoluit, ut mundi primordia scirentur, & ordo patefactionum innotesceret omni posteritati, quando, in quibus locis, & quibus testibus tradita sit uox diuina, ubi & quando filius Dei Dominus noster Iesus Christus concionatus sit & ex morte reuixerit: tota deniq; Ecclesiæ condita, propagata, atque inter tristissimas Imperiorum ruinas & inmanissimas diabolicæ Tyrannidis persecutiones mirabiliter sustentatæ historia, ut à posteritate cognosceretur.

Sed ad accuratam annorum descriptionem ac distinctionem, cum multarum aliarum artium requirantur adiumenta, præcipuè uerò Geometriæ & Arithmeticæ, quibus uelut alis Astronomia sese attollit in sublime ad astrorum ævθο-ΐα, ut Plato ait: certum est Ecclesiæ etiam deberi præcipuè artium Mathematicarum propagationem, quas ut conderent & absoluerent sancti patres, credo nonnullam etiam fuisse causam, cur eis uita in tot annos sit prorogata.

Hæc ideo prolixius commemoro, ut excitem in  
adolesc-

adoleſcentibus curam conſiderandi diligentius Eccleſiam noſtri temporis, in qua ubi illi agnouerint ac penſitauerint beneficia, quæ in hac poſtrema ac delira mundi ſenectâ, inexhauſta bonitate Deus nobis communicauit innumera, concipient ſua ſponte ueros & iuſtos impetus ad perpetuam gratitudinem, quæ ueritatem complectitur & iuſtitiam præſtandam Deo & ijs, per quos tanta beneficia Deus impertit atq; conſeruat.

Reducti ſumus ad ſocietatem ueræ Eccleſiæ, & ad aſpectum atq; agnitionem illius æternæ lucis, in qua Deum uſuri ac celebraturi ſumus coram in tota æternitate, quod nulli unquam contigit extra Eccleſiam, quantumuis humano iudicio, ſapienti aut beato. Hanc accendi Deus uoluit in hac ſchola, atque ex hac cæteris illuſcere. Adiunxit ad eam lucem, cæterarum artium lumen, quantum Germania, ſi quid Hiſtorijs creditur, nunquam antea uidit, quod tueri ac ſouere ad poſteritatem quàm augere difficilius erit, præſertim his moribus, qui ſenſim irrepunt & confirmantur. Hæc tanta bona nec peſtilentibus ac pernicioſis docentium diſidijs conuelli aut obſcurari, quibus arſit Germania iam multos annos, nec bellorum uaſtationibus proculcari aut obrui, apud nos eſt paſſus.

Exigit ergo Veritas, quæ prima gratitudinis pars eſt, ac profitetur unde ſit ortum beneficium: illa ergo primum hoc exigit, ut non industria, ſapientia, conſilijs aut uiribus humanis, hæc res

partas

partas atq; confectas esse somniemus, sed in Deum autorem referamus: Alterum, quod requirit ueritas, est, ut eos uiros, quorum opera, & eos Principes, quorum auxilio protectione ac defensione Ecclesia conditur, & subinde magis magisque amplificatur ac dilatatur, & quorum beneficentia ceu pabulo artes honestæ, altæ foræq; crescunt, agnoscamus organa diuina esse, exuscitari, regi, & dotibus instrui atque adiuuari diuinitus. Tales & Doctores & principes patronos Ecclesijs harum terrarum huic Academiæ, diuinitus huc usq; tributos esse profiteamur, & hoc Dei donum grati celebremus.

De fide, industria, sedulitate Doctorum, testantur monumenta conseruata puritatis doctrine utriusque, sacræ & Philosophicæ. Principum pietatem erga Deum, amorem & affectionem erga Ecclesiam, curam posteritatis, sapientiam, munificentiam, commendabunt posteris monumenta Ecclesiarum & scholarum in his regionibus, quæ & nunc florent, & præsidij necessarijs omnibus optimè constitutæ ad stabilitatem, faciunt, ut præclare speremus de posteritate, de qua ut quisq; & uir melior est, & suorum amantior, ita maxime sollicitus est, cupiens suos in eandem ueræ beatitudinis possessionem collocare, in qua ipsi uiuere contigit.

In hoc genere cùm Illustrissimus Princeps, Dux Saxonie Elector Augustus, dominus noster  
clemen-

clementissimus, ita certet & cum maioribus suis, & cum multis alijs Regibus ac Principibus, ut nulli cedat, dissimulare me publica commoda, quæ à uerè heroica ipsius prouidentia ac sapientia, & uerè regia munificentia redeunt, non ad suos tantum, sed, dum suis consulit, etiam ad gentes externas plurimas, gratitudo non sinit, cum in hanc commemorationem deuenerim. Nihil referam de domestica eius consuetudine, quam omnes scimus occupatam esse assiduis exercitijs doctrinæ sacræ, ueræ seriæq; inuocationis Dei, ac sanctimonie: cura eorum, quæ politiæ statum firmum atq; florentem, & gubernationem salutarem ac tranquillam præstant: deniq; inter tot tantaq; amplissime gubernationis negocia, etiam acri & in defesso studio plurimarum ac difficilimarum artuum, in quarum nonnullis, ut est ingenio acerrimo, perspicacissimo & auidissimo, multa ex fontibus ipsis cognoscendi, præsertim Mathematica, tantum elaborauit atque effecit, ut non solum multa ex sese intelligat, & inueniat etiam, sed ut exercere ipsos etiam artifices possit. Hæc, inquam, etsi prodesset recitari, quod domesticæ uirtutes sunt commonefactiones omnibus utiles, tamen hoc loco, cum præsentis instituti non sint, ea prætereo. De sapientia dicam consulente rebus præsentibus ac prospiciente futuris, deq; munificentia, qua ceu fulciuntur ac muniuntur Ecclesiæ & scholæ.



Intelligit Illustrissimus Princeps Elector Saxoniae, præcipuum esse munus pij Magistratus, præstare non tantum, ut in præsentia Ecclesijs bene sit, & sonet uox ueræ doctrinae, adiuuetur ac defendatur ministerium Euangelij, curetur uictus docentibus, sed etiam ut hæc bona propagentur, ac perueniant ad posteros.

Intelligit & hoc, Politias beatas fore ac florentes, non tantum, si, ut Plato iudicat, aut præ sint Philosophi, aut qui præsumunt Philosophentur, etsi sana Philosophia egregia gubernatori adiumenta ad hoc munus tribuit & accommodat plurima, sed multò magis, si qui præsumunt & Ecclesias hospitio excipiant ac foueant, & ipsi sint præcipua Ecclesiae membra, exemploq; præcant cæteris. Hoc moneri se scit uerbis Psalmi: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur Dominus.

De artibus uerò ac disciplinis cæteris ita sentit, ut non contentus iudicio Cræsi apud Xenophontem, censeat tantum esse τὴν γὰρ καλῶν, etsi & hoc Encomium præclarum est, sed uerius & rectius iudicat, esse ornamenta ac præsidia Ecclesiae ac Reipublicæ, & neruos consociationis humanae.

Idcirco cum Ecclesias habeat in his suis regionibus puritate doctrinae, pijs ritibus, qui exercitijs doctrinae & inuocationis seruiunt, iudicijs Ecclesiasticis ac disciplinae pie: Gubernationem Politicam

tam honestissimis legibus, & seuerissimis iudicijs  
 grauius ac sapienter constitutam atque exorna-  
 tam: ut hæc bona confirmarentur ac perdurarent  
 ad posteros, scholas alit, & instruit, publicas duas,  
 priuatas tres, ut hæc & doctrinae sacrae, ac cete-  
 rarum disciplinarum fideles custodes essent, inq;  
 his sinceritatem, atque consensum tuerentur, &  
 ceu seminaria educarent, ceu promptuaria suppe-  
 ditarent Ecclesijs idoneos uerbi ministros, ad u-  
 nam certam atque consentientem doctrinae for-  
 mam adsuefactos: Reipub: utiles gubernatores,  
 ordine deductis liberalibus ingenijs, quæ cum iu-  
 dicio deliguntur, per artes singulas, a primis an-  
 nis, ut solidum aliquid assequi possint, ubi etas ma-  
 turuit ac iudicium. Sine scholis enim uniuersa il-  
 la citò essent interitura, si idoneis gubernatori-  
 bus extinctis, non protinus alij in illorum uestigia  
 succederent, ijs si exculti artibus, quibus & mune-  
 ri docendi & oneri gubernationis, quæ duæ sunt  
 res in genere humano omnium maxima, pares esse  
 possint.

Hæc scholæ quantum præstiterint domi patriæ,  
 res ipsa loquitur. Quantum eadem profint ac pro-  
 fuerint foris exteris gentibus, credo nullam ex ip-  
 sis esse aut fore, quæ non libenter profiteatur, &  
 optimi principis hac in parte pietatem ac libera-  
 litatem grata prædicet.

Sed ad Electorem nostrum redeo. Huic, ut sapi-  
 enti Principi ac suorū et posteritatis amantiſſimo,  
 non

non satis fuit, tantis impensis publicis tot scho-  
 las alere, sed quòd uideret fato quodam temporum  
 nostrorum, negligi, uel etiam contemni studia lite-  
 rarum ab ijs, ad quos præcipue pertinebāt, & cu-  
 ram hæc propagandi ab ordinibus superioribus,  
 quos olim in Græcia & Italia constat possessionem  
 doctrinarum, quasi suam ac propriam fecisse, de-  
 uolutam esse ad ordines inferiores, quibus ne faci-  
 le emergant, obstat res angusta domi, futurum au-  
 tem, ut hæc res adferat tandem uel detrimentum  
 uel ruinam, & artibus ipsis ac doctrinis, & Ec-  
 clesijs etiam ac Rebus pub. in quas mox tetra esset  
 peruasura barbaries, si uox doctrinarum contices-  
 ceret. Ideo ut hanc quoque calamitatem, quam im-  
 pendere, imò ingruere iam, sapienter præuidet, à  
 suis regionibus auertat, quantum humanitus fieri  
 potest, rursus decreuit nouos & uerè regio sum-  
 tus in hac nostra Academia certis Scholasticis, in-  
 signi numero, sed certa conditione delectis, quo-  
 rum alij in alijs doctrinarum generibus exercean-  
 tur iusto tempore, quod integrè fontibus percipi-  
 endis sufficiat. Non enim uult, ut tantum eua-  
 gustent initia, sed ut fontes haurire, & perspicere  
 re uera, firma ac solida fundamenta consuefcant,  
 Ne unquam Ecclesijs pij & intelligentes ministri,  
 Reipublicæ sapientes  $\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\upsilon\lambda\epsilon\upsilon\tau\omicron\upsilon$ , scholis eru-  
 diti doctores, doctrinæ ipsi acres & exercitati de-  
 fensores desint. Has uerè diuinas dotes & uirtu-  
 tes hæc

tes heroicas, Pietatem Illustrissimi Principis Electoris, quæ anteit & gubernat cæteras, sapientiam, iusticiam, munificentiam: has ergo, si non quantæ sunt metiremur ac perpenderemus, nimis oscitanter de his cogitaremus, ut lenissimè dicam. Si uerò non grata mente celebraremus & posteritati commendaremus, iniustè faceremus. Hæc ergo, ut alia in eo illustria ornamenta plurimarum heroicarum uirtutum, statuamus dona diuina esse, & augeri confirmariq; à Spiritu sancto petamus, ut diu Ecclesiæ Dei & Reipub. profint. Id enim flagitat ueritas, quæ, ut dixi, prima gratitudinis pars est.

Cum autem altera gratitudinis pars sit Iusticia, quæ sese obligat ad officia & mutua, cogitemus postulare à nobis leges Iusticiæ, ut de perceptis ingentibus beneficijs Deo assiduè gratias agamus, & gratitudinem simul omnibus demandatæ obedientiæ officijs, in agnitione & fiducia filij uirgeniti Domini & mediatoris nostri Iesu Christi, declaremus. Deinde ut eos, quos suorum beneficiorum uoluit esse ceu distributores, tanquam organa diuina & generi humano salutaria, eo reuerentiæ, obseruantia & obedientiæ cultu afficiamus ac prosequamur, quo unumquemq; conuenit suo loco & ordine. Denique ut artes ipsas ac doctrinas ceu res diuinas sanctè religiosèq; tractemus ac colamus, quod fiet, si quas accepimus, religiosa fide tueri & posteris quasi per manus tradere

dere incorruptas studuerimus. Tales autem retinebimus, si, ne uel tricis ociosorum Sophismatum inuoluantur, uel absurdarum opinionum cœno inquinentur, uel nouorum commentorum dissimilitudine ac discrepantia deformentur, prohibuerimus, insistentes uestigijs, quæ ante oculos sunt, scriptis expressa. Id uerò ut non dubito unumquemq; ea fide, diligentia & assiduitate præstiturum in sua arte quam profitetur, qua quisq; fecit hætenus: ita me meo loco facturum promitto, qui cùm partem doctrinæ Astronomicæ in hac scholâ tradam, eò magis de huius conseruatione sollicitus sum, quò magis illam Ecclesiæ curæ fuisse considero, quæ, ut dixi, à primordijs mundi ductam seriem annorum, & accuratissima sanctorum patrum annotatione distinctam nobis communicauit, qua si careremus, quantò plus sciremus de nostra uel aliarum gentium origine, de initijs Ecclesiæ & imperiorum, quàm de sua origine nouerunt omnes gentes extra Ecclesiam, Ægyptij nescio in quot commentitia millia annorum retro suam uetustatem referunt, sine ulla aut principij aut progressuum aut mutationum, quæ inciderunt, indicatione. Quàm absurdum est, quòd ex horum commentis citat Herodotus, Solem intra annos undecies mille trecentos & quadraginta, quater uariasse loca ortus & occasus. Et si enim fortasse de mutatione, uel maximæ obliquitatis Solis uel Apogeorum ac perigeorum, uel orbis stellati,

stellati, excusari mentio ortuum atque occasuum  
 posset, tamen figmentum de tempore absurdisi-  
 mum est. Arcades se finxerunt ante Lunam na-  
 tos esse. Thessali se fabulati sunt ex lapidibus pro-  
 filisse. Attici uana iactantia gloriabantur, se  
 αὐτὸς Διὸς esse, quasi ex terra proruperint.

Ridicula hæc nobis accidunt, qui de harū gen-  
 tium origine ex Sacris discimus, à quibus autori-  
 bus conditæ sint, et quando coeperint. Patrem gen-  
 tis Ægyptiæ nominant Sacra literæ Mizraim  
 filium Chami: Ioniciæ gentis, Iapetum, & Ianum.  
 Nec his dissimilia sunt, quæ de primis parentibus  
 Germanicæ gentis comminiscuntur multi, nixi  
 autoritate Taciti, aliquantò magis ineptiunt Gal-  
 lici scriptores, dum ab Hectoris nepotibus Fran-  
 co & Bruto propagant Francos & Britan-  
 nos.

Ita cum etiam de nostræ gentis ortu nulla alia  
 monumenta tradant testimonia ueriora, quàm Ec-  
 clesiastica, etsi postea aliæ historiæ ad Ecclesiasti-  
 cas collatæ, lumen inde accipiunt, agnoscamus  
 quantum hoc sit beneficium, quò doceat Eccle-  
 sia, unde sit gens nostra, ex quibus autoribus nata  
 sit, & quòd in annorum serie tempora etiam ori-  
 ginis indicat, quibus consentiunt deinceps histo-  
 riæ, quæ sequuntur. Imò ex Ecclesia natam esse  
 atq; profectam anni distributionem collatio osten-  
 dit, etsi in ea singule gentes suo quodam consilio  
 subinde aliquid mutarunt, quò se & à populo Dei,

Et ab alijs gentibus dissidere ostenderent. Certissimum est enim ex historia Nohe, sanctos patres in menses singulos, 30. dies recensuisse, quod Ægyptij imitati in sui anni descriptione obseruarunt. Ægyptijs uerò ceteræ gentes Europææ, quicquid de anni ratione in usu habuerunt, ferunt acceptum. Neque ullos unquam Cyclopes fuisse tam feros puto, neque ullam unquam tam horridam barbariem, quæ non mensium atq; annorum interualla ac metas notarit.

Sed cum anni necessitas manifesta sit, uelim etiam scholasticos attentè considerare, quam latè doctrina de Anno pateat, quantum ad exactam huius ceu fabricam atque constitutionem conferat totus chorus artium Mathematicarum, quæ et inter sese, et cum Astronomia præcipuè, æternò deuinctæ fœdere, ita operas cum hac communicant suas, ut si qua sese ex his subtrahat, aut si deficiat, herere mox illam, et aliqua sua parte mancā fieri atque mutilam necesse sit. Neque enim magnitudo anni definiri potest, aut siderei, quem ἄστρονομία uocant, si ad inerrantes stellas Solis circuitus referantur, nisi orbis stellati motus exploratus sit: aut Tropici seu uertentis, nisi simul etiam momenta æquinoctiorū ac solstitiorum sint comprehensa: aut utriusq; nisi uniuersa in annuo Solis ambitu uarietas, τῆς φαινομένης ἀνωμαλίας incitatore et tardiore incessu ad diuersa Zodiaci puncta sit animaduersa atq; perspecta.

Annum

Annum constituunt menstrua spacia. Hæc uero, quomodo designabuntur ac distinguuntur, nisi uel ex Luna conuersionibus, uel ex Solis decursu per Zodiaci δωδεκατημόρια? Ergo circuitus Lunares, in quibus maior adhuc inest uarietas, ut prius metiamur necesse est, quam menstrua spacia determinemus. Diurni uero nocturniq; temporis continuis uicibus crescentem ac decrecentem uarietatem quomodo explicabimus aliter, quam ex quotidiano cæli circumactu, & Solis conatu nixuq; in contrarium.

Denique quatuor anni temporum gratissimas uices, & magna sapientia peculiari temperie à cæli uiribus diuinitus distinctas, queq; in has incidunt menstruas, diurnas, horarias ac penè momentaneas aëris mutationes, & præter has alias etiam affectiones atq; impressiones, quæ è cæli defluxu in amplissimos aëris tractus sese diffundunt, ac uel salubritatem adferunt, uel damna atq; detrimenta rebus nascentibus atque corporibus. Illas ergo aut quomodo intelligemus, aut quomodo perspicimus, nisi & quinq; errantium stellarum, multo maiore uarietate discurrentium, cursu aliàs aliter in boream uel austrum deflexo, & incitato uel represso, ad Solis interualla, aut itineris, in quo decurrunt, ut ita dicam, asperitatem? Nisi ergo harum etiam Synodos cum Sole, & συναφὰς νοητῶν ἀπορροιας & προσημαλισμοῦς ad Solem, & omnium tam errantium quam inerrantium



ortus atque obitus numerauerimus ac notauerimus.

Ac disci hæc nisi de documentis φαίνόμενα, & eruditis obseruationibus multorum seculorum, nec nisi de harum inter se collatione accurata nequeunt. Orditur enim seu Astronomia seu Astrologia, (utroq; enim nomine uetustas usa est) ab his, quæ φαίνόμενα, sensibus ostendunt, παρατηρήσασθαι & sensibus & ex Geometricis atque Arithmeticis demonstrationibus rationi persuadent. Obseruationes erudite organisi fiunt, quæ ad eum usum fabricat Mechanica, & rationem structuræ ac distributionis dirigentibus Geometria & Arithmetica. Cumq; institui nequeant, nisi exploratum sit, in quo terræ uestigio, qua ad Solis iter, aut ad æquinoctialem uel Polum extantem, qua ad ortum uel occasum habitudine consistamus, & organa collocemus, Cosmographia opus est, quæ quia complectitur γεωγραφικὰς καὶ χωρογραφικὰς περιγραφαίς, terræ superficiem, locorumq; interualla dimetitur ac distribuit, cui rei magnum usum præstant διοπτρικὴ, μετεωροσκοπικὴ & γνομονικὴ. Hæc enim ex gnomonum & umbrarum ratione, rursus Geometricis innixa fontibus, & inde petitis stulta demonstrationibus, multa comparat ad motuum obseruationes ac doctrinam necessarias. μετεωροσκοπικὴ stellarum altitudines: διοπτρικὴ earundem interualla exquirat ac ceu mensurat.

Totam

Totam uerò per organa cœli stellarumq; contemplationem ac notationem dirigit ὀπτική, cum uisionis rationem explicet, ac causas inueniat, cur eadem stelle eodem aut diuerso positu magnitudinem mutant. Hæ itaque omnes etsi iisdem postea firmantur demonstrationibus, quibus Astrologia, tamen ipsi ceu famulantur & suam accommodant operam, qua illa tandem perficitur.

Sed & ex obseruatis primis, multa deinceps alia extruunt ac detexunt, coniunctis & partitis, prout opus est, operis Arithmetica & Geometria, quæ cum in ipsis motibus insint, non tamen ab omnibus euidenter percipiuntur.

Neque hæ discipline ad rem tantam sola adferunt Euclidea elementa, etsi inde initium est: sed multa alia ex his conflata, sed Geometria præcipuè doctrinam Triangulorum utrorumq;, planorum ac Sphericorum, qua ceu scalas illa construit, quibus & ascendit in sublimè, & rationes explicat fabricæ corporum atque orbium cœlestium, motuum, interuallorum, magnitudinis, connexionis inter sese & cum reliquo mundi systemate, habitudinis ad terram. Ex his tandem, ubi ea & inter sese & ad ueterum annotata congruere deprehenderunt, demonstratio inuestigans consensum, & logisticè dinumerans motus ac tempora, conficiuntur Canones mediorum motuum. Hæc Astronomiæ initia sunt, quæ postquam solertia artificum fabricatis orbibus ac circulis homocentris

& eccentricis, hisq; ad rationem motuum digestis  
 atque coaptatis ita ceu depinxit ac expressit, ut  
 oculis cernendum proponant coram, quod procul  
 sit in sublimi, si tunc Geometricæ ἀποδείξεως con-  
 uincant hypotheses obseruatis & φαινομένων  
 satisfacere, doctrina constituitur, & de differen-  
 tia mediorum ac uerorum motuum canones con-  
 duntur πρὸς ἀφαίρεσίν τε, de quibus logistice ex  
 Arithmetiis nata demonstrationibus, deinceps  
 motus siderum ad quæuis momenta elicit ac pro-  
 mit. Hi si integrè collecti obseruatis ac φαινομέ-  
 νωι respondeant, constat doctrina omnibus suis  
 absoluta partibus. Si discrepent, redit labor actus  
 in orbem, quem repeti ab initio atq; iterari oportet  
 eò usque, donec motuum utrorumq;, horum  
 qui numerantur ex canonibus, illorum qui obser-  
 uantur in cælo, efficiatur consensio. Sed hic la-  
 bor, cum nec unius sit hominis, nec paucorum an-  
 norum, nec sumtuuum, quos sustinere priuati pos-  
 sunt, decebat Reges & Principes propositis  
 præmijs excellentia ingenia, qualia non mul-  
 tis contingunt, excitare ad hæc studia, non mi-  
 nus quàm ad alias artes questuosas, urgenda ex-  
 colendaq;, quod olim Assyrios & Ægyptios reges,  
 recens ex Romanis Imperatoribus paucos, & ex  
 Hispanis unum Alphonsum fecisse legimus, cuius  
 impensis Ptolemaica sunt restituta, quæ si inte-  
 rijissent, quanta esset iactura facta? in quantam  
 posteritas redacta fuisset barbariem? Erat &  
 nunc

nunc emendatione opus Calendario Romano, in quo æquinoctia ac solstitia penè in ipsa mensium principia sunt retracta continuo regressu. Inde nisi ad principium fuerint reducta, permutabunt tandem cum æquinoctijs sedes suas solstitia, atque in uernos & autumnales menses hæc demigrabunt, relictis hybernis & æstiuis, ut ab æquinoctijs occupentur. Sed quotus quisq; est ex summis ordinibus, qui hac cura afficiatur? Scholis relinquatur, in quibus utinam hoc, quod artificum studio nostro tempore, partim ex Ptolemaicis scriptis, partim ex inuentis recentibus, utcunque contextum atque congestum est: Nam & Copernici & nostri præceptoris Erasmi labores meritò magnificamus ac retinemus: Utinam ergo illud commentando illustrare, & docendo conseruare possemus. Nam de nostris inuentis uix aut spem aliquam concipere ipsi aut polliceri alijs quid possumus, destituti ijs subsidijs, sine quibus frustra tantum essemus opus aggressuri. Optârim autem & harum artium necessitatem simul difficultatem considerare principes sapientes, & de earum conseruatione cogitare. Interea auditores nostros hortor, ut, etiamsi præmia desint tantis laboribus digna, tamen sua sponte has artes ament ac discant, cum propter ipsam artium pulcritudinem, & certitudinis euidentiã, quæ inest: tum quia utilitates sunt manifestæ, imò necessarie. Assuefaciant etiam sese ad cœli aspectionem, & sive

ra nosse consueſcant. Nulla profectò ſunt pulc-  
 riora monumenta, quàm hæc in cælo fulgentia lumi-  
 na, nec putet quis, ullas pyramides ueteres aut tro-  
 phæa ulla maiore cum admiratione aut uoluptate  
 ſpectari poſſe, quàm aſpiciunt ſapientes integris  
 hybernis noctibus, alterum cœli latus peruagan-  
 tem Orionem: & nunc nos cernimus ſub Cancrî  
 ſidere uiciſſitudine admirabili diſcurrentes, Sa-  
 turni ac Iouis ſtellas, ad eum modum, ut progre-  
 diendo diſiungantur, in reſſu mox concurrant  
 ruruſus atq; coniungantur. Vidimus hoſ die quarta  
 menſis Septembris anni ſexageſimi tertij, tam pro-  
 pè congreſſos, ut oculis diſtingui interuallum non  
 potuerit. Talia in cælo notare & complecti cogi-  
 tatione Deum architectum atque gubernatorem  
 iſtorum corporum & motuum, diligentia eſt con-  
 ueniens & digna Scholaſticis, in qua nulli deerit  
 ſtudium. Oro autem Deum æternum patrem Do-  
 mini noſtri Ieſu Chriſti, conditorem in cælo illo-  
 rum pulcherrimorum corporum, & autorem ſa-  
 pientie, que in doctrina cœleſtium motuum con-  
 tinetur inexhauſta, ut & hæc & alias artes Eccle-  
 ſie neceſſarias non ſinat extingui, & prohibeat,  
 ne fiant barbaricæ uaſtationes in hiſ terris, ſed  
 concedat & illuſtriſſimo Principi Electori tran-  
 quillam ac ſalutarem gubernationem, & nobis  
 grata halcyonia accommodata hiſ ſtudijs, quibus  
 ipſe honore afficitur ac celebratur.

D I X I

P E T I =

PETITIO AD  
DECANVM.

**S**pectatissimè Domine Decane & procancellariae, compater, collega & amice obseruande: Et uerissima est commendatio tua Mathematicarum disciplinarum, & iustissima celebratio augustae munificentiae Illustrissimi Principis nostri, ut tuum in utroque officium non possit non gratissimum esse bonis & intelligentibus omnibus. Hoc autem posterius, etiam pietatis laudem complectitur. Mihi uerò & eius temporis, in quod haec Scholastica festiuitas nostra incidit, exquisitio atque consideratio, suppeditare nonnihil uidetur, quod ad ea, quae tu de horum studiorum usu didicisti, illustranda faciat, & ijs, quae in praesentia agenda sunt uiam sternat.

Respicientibus enim ad antiquissimas & sacras historias, sub hoc praesens tempus, & haec anni nostri parte, celebrasse uidetur gens Hebraea memoriam sortium, quibus tempus querebatur, quo de consilio Amanis Rex Assuerus extirpare e regno suo deberet populum Iudaicum, Quod consilium cum Deus pietate & opera imprunis Mardochei & Estherae: quae & Edissa est, & Atossa esse putatur Herodoto: impediret, & autorem huius euerteret, & cor Regis populo Iudaico ita reconciliaret, ut contra hostes suos  
arma

arma ei permetteret, quibus & felicissimè usus fuit, Tum igitur ut liberationis huius diuina memoria conseruaretur, Ioachim Iesu filius, qui patris apud Darium absentis, loco Pontifex erat in illo populo ab Aarone decimus octauus, ut Nicephorus numerat. Hic igitur tunc de sententia Mardochei Festum instituit solennis celebrationis huius, Quod ad omnem posteritatem in populo Israëlitico celebraretur, decima quarta & decima quinta die mensis Adar, quod ut in letissima rei memoria festum fuit hilaritatis publicæ, Et sicut Romanorum extiterunt multis seculis post: Ita hæc Iudæorum fuerunt Hilaria quedam. Quo exemplo commotos, uerisimile est aliquos postea in Ecclesiam introduxisse publicæ letitiæ Festum, cum placeret eis, ut essent Christiana etiam Hilaria quedam.

Quàm commodè autem & qua de causa in hoc tempus collocata ea sint, & quale institutum illud sit, non querimus in presentia. Sed hæc postea temporum & morum peruersitas in Bacchanalia & Lupercalia ethnica conuertit. Atque hinc esse illa nostrorum temporum hilaria, quæ iam in Furialia conuertuntur, etiam temporis ratio comprobare uidetur, Cum in partem anni eam, qua illa Iudaica celebrata sunt, incidere uideantur.

Respondet autem mensis Hebræus Adar, Romano Februario in anno Iulij, ut Nisan, qui Martio re-

tio respondere potius quam Aprili uideatur, annum eum, quem apud Hebræos Dominus sanxit, incoet.

Est enim annus Ecclesiæ Dei priscus duplex: unus antiquissimus, ab illis primis patribus & humana sapientia constitutus, ante etiam diluuium, ut uideatur, & post tempora huius ab Abrahamo etiam propagatus, qui Chaldaeos Arithmeticam & Astronomiam docuisse legitur. Hic antiquissimus annus incoatus fuit à noua Luna præcedente æquinoctium autumnale, ut incidat in Septembrem Romanum anni Iuliani, qui secundum nostras rationes respondet Tisri Hebræo. Causam huius incoationis antiquitati fuisse aliqui putant hanc, quòd in autumnno mundum esse conditum quidam etiam ex Hebræis crediderint, & non in uere, cum aliunde, tum ex arborum fructibus argumentum ducentes, ut apparet. Sed magis esse uidetur consentaneum, ideo tum à priscis illis incoatum annum fuisse, Quòd omnibus frugibus & fructibus tum in omnibus propemodum mundi partibus perceptis, expectari incipiatur nouus prouentus. Etsi autem sola Ecclesiæ, sicut doctrinam de initio mundi, ita anni etiam rationem conseruauit integram, ad beneficiorum & consiliorum diuinorum explicationem: Asia tamen fermè tota hunc à patribus acceptum retinuit, quæ ab æquinoctio autumnali annum incoauit, & Ægyptus fermè eundem usurpauit.

Incepit



Incepit enim annum à quarto Calend. Septembris.  
 Hic igitur uetus annus est Ecclesiæ primæ, quo  
 tempore menses nondum habuerunt nomina cer-  
 ta, sed numeris tantum notata fuere. Usurpata  
 autem & conseruata fuit in Ecclesia hæc prima  
 anni ratio, usque ad tempora exitus populi Israë-  
 litici ex Ægypto, qui cum educeretur nocte,  
 precedente decimum quintum diem eius mensis,  
 qui in ueteri anno septimus erat, & postea Ni-  
 san appellatus fuit, propter rei tantæ memoriam  
 Dominus mutauit anni ueteris rationem, & in-  
 stituit nouam, atque præcepit populo suo, ut hic  
 mensis, cuius decima quinta die educti fuerant,  
 esset eis principium & caput mensium, id est,  
 primus in mensibus anni, ut habet paraphrasis  
 Chaldaica, quo manifestè ostenditur, ante hoc  
 tempus non fuisse illum mensem principium an-  
 ni. Cur enim mandaretur de nouo initio? Hic  
 igitur annus alter est priscae Ecclesiæ, & com-  
 peratione cum priore recentior, sed per se an-  
 tiquissimus, ille prior humanæ sapientiæ est, hic  
 alter institutionis & mandati diuini, quem ser-  
 uat in sua historia Moses. Et secundum hunc  
 Genes: 7. primum mensem nominat, & Leuitici  
 23. ubi & septimum uocat eum, qui priscis pa-  
 tribus annum incoauit, qui mensis postea præ-  
 ter nomen Tisri, etiam uetus habuit Ethanim.  
 Nominatur etiam septimus, Numerorum 29.  
 Hi priscae Ecclesiæ anni fuere. Postea Eccle-  
 sia

*sia maxima ex parte Romano anno usa est, qui cum Macedonum & Ægyptio recentiore facile adæquatur, quem & hodie retinet, nisi quòd à natali Christi annum incoat, qui brumæ dies esse creditur, & quo tempore Christus natus fuit, in 25. Decembris incidit, à quo iam receßit anticipando ad dies fermè 13.*

*De hoc uero utroque anno, sicut constat ex historijs ueterum, ita historiæ Hebrææ quem locum in Romano anno habeant, quo deinceps Ecclesia usa fuit & hodie utitur, de hoc inquam non constat similiter.*

*Et quanquam magnifacio meo loco studium doctissimorum uirorum, qui in hac re explicanda communicârunt nobiscum labores suos: In promptu tamen est demonstrare, Romani anni ad Hebræum reductionem exquisitam, à Lunæ & mensium Lunarium numeratione esse nullam posse.*

*Menses suos Hebræi consensu omnium à Lunæ ætatis medio motu ducunt, quos & incoat à nouilunio, sed spacium reditus Lunæ ad Solem, qui appellatur mensis ciuilis & synodicus, habet dies 29. horas circiter 13. sic Lunaris annus communis mensium duodecim, habet dies 354. à quo numero absunt adhuc dies 11. ut Romanus annus compleatur, neq; solaris annus cum hoc ullo modo per distributionem mensium in triginta dies*

dies æquari potest in annis singulis, multò minus in multis. Lunarem tamen hunc suum, cum solari adæquare, utcumque illam gentem legimus, non epactis, sed Embolismo unius integri mensis, ut annus ἐμβολιμῶος habeat menses tredecim, dies 383. horas in præsentia non numero. Ita terni anni Hebræi fermè cum ternis Romanis æquantur, exuperantibus Romanis ad dies circiter tres. Sed & tempora Embolismi Iudaici peculiaria sunt, in periodo enim Cycli lunaris illius qui decem & nouem annos continet, fit insertio mensis intercalaris septies, quinquies post duos annos interiectos, bis post unum. Item anteuertit Periodus Cycli sequentis præcedentem proximum in coniunctione Luminum hora una & fermè dimidia. Ita fit, ut multis annis intercurrentibus omnium mensium initia uariant.

Ex his ratio ineatur de mense Nisan, utrum Romano Martio aut Aprili respondere hunc magis sit consentaneum, Cuius initium sunt qui doceant aliquando præcessisse, aliquando secutum fuisse æquinoctium uernum. Idq; accidisse propter Embolismum, quod aliunde, & de facta in æquinoctijs anticipatione æstimantes, anno tantum Embolismo uel excurrisse, uel longius excurrisse in Romani Aprilis tempora, mensem Nisan arbitramur, cum hætenus disputata demonstrare uideantur, quòd in mensibus Hebræis cum  
Roma=

Romanis conferendis, neque finis respondeat, & multo maiores anticipationes initiorum faciendæ sint, quam uulgus existimat, & æquationem exquisitam esse nullam, Etsi de his breuiter dici non potest: atque ita ἐν πλάτει in hoc potius præsens nostri anni tempus, incidere illa gentis Hebrææ Hilaria Mardochaica, ut appellauimus, quam in aliud iudicamus.

Cum autem hoc tempore nostro, & tanta frequentia sit petentium honores scholasticos, quantum non uidit hæc Academia ab initio fundationis suæ, neque de alijs sæpe compertum est, Et in hoc ipsum tempus promulgatio benignitatis Illustrissimi Principis de stipendijs constitutis incidat, Causas habemus cur scholastica etiam Hilaria quedam celebrare possimus, ἐορτάζοντες Χριστιανῶν in medijs periculis Reipublicæ.

Sequentes igitur uota D. Decani nostri, agimus gratias propicio & misericordi Deo, qui studijs nostris cultores & patronos conciliat, quod in maximis terroribus & periculis, quæ undique offeruntur, penè unicum adhuc argumentum habemus, nondum prorsus contra has terras irritatæ iræ diuinæ, cum hoc modo maximum beneficium, quod terris conferri potest, conseruetur, ueritas cœlestis & humana sapientia.

Illustrissimi autem Principis munificentiam penè regiam, submissa ueneratione, & quantam  
 Iii animi

animi nostri concipere possunt gratitudinē ce-  
 lebramus, qui solus ex principibus Germaniæ  
 duas scholas publicas omnibus rebus instructissi-  
 mas habet & conseruat, neque conseruat tantum,  
 sed nouis quotidie beneficijs de inexhausto fonte  
 munificentie heroicæ cumulat atque auget. Nunc  
 autem post cætera sua, tantum in huius scholæ dis-  
 cipulos sua sponte confert pecuniæ, quæ & ad no-  
 uæ Academiæ foundationem satis esse possit, & si-  
 ne quanta impudentiæ crimine, peti ab ipsius Cel-  
 situdine non potuisset, neque in horum temporum  
 periculis facere fortassis libèret multis alijs, sed  
 non conceditur nobis tempus, in præsentia, ad ex-  
 promendum de hac re cogitationes nostras. Nam  
 etsi & officiosa & uerbosa fuit hac in parte ora-  
 tio tua, si cui tamen contendere tecum libèret, ei  
 propter amplitudinem argumenti, neque deesse  
 posset quod diceret, & pietatis id esset certa-  
 men pulcherrimum, in quo uinci etiam glorio-  
 sum fuerit. His igitur missis, tuæ dignitati,  
 spectatissime D. Decane, commendo hos 53. ui-  
 ros & iuuenes honestos atque eruditos, qui in pri-  
 uata & publica examinatione eos se esse proba-  
 runt, ut collegium nostrum, summos in studijs  
 Philosophiæ & bonarum artium honores eis de-  
 cernendos iudicarit. Itaque collegij nostri nomi-  
 ne tuam spectatam dignitatem reuerenter oro,  
 ut quos candidati hi nostri meriti esse & tueri  
 posse iudicantur, eos honores ipsis benignè con-  
 feras.

feras, & pro concessa tibi potestate, publicè magistrōs optimarum disciplinarum & Philosophiæ crees atque renuncies. Pro qua re & collegium nostrum gratiam tibi debebit, & candidati isti suo quisque loco, quæ debebunt & poterunt officia, præstituros se pollicentur omni tempore. Quod restat, oro Deum, ut hæc nostra uniuersa, Ecclesiæ ipsius, Reipublicæ, Academiæ, & in hac docentibus & discentibus omnibus, & candidatis nostris, bene feliciterq; euenire uelit.

DIXI.

## RESPONSIO.

Clarissime uir, præceptor, compater & collega obseruande. Cum satis constet uerissima esse, quæ abs te eruditè & grauitè dicta sunt, de utilitate studiorum nostrorum, quæ in anni constitutione maxime conspicitur: non libet plura in eam sententiam uerba facere. Petitioni autem tuæ eo etiam assentior libentius, quia iustum est, uiros honestos & idoneos ad docendum, publicis testimonijs ornari, ut studia literarum conseruentur Ecclesiæ & Reipublicæ necessariis.

cessaria. Postquam igitur horum 53. candida-  
 torum eruditionem atque integritatem probavit  
 collegium nostrum, & accessit grauißimum  
 iudicium Illustrißimi Principis D. Ernesti Ludo-  
 uici, Stetini ac Pomeraniæ Ducis, Magnifici  
 Rectoris ac Domini nostri clementißimi, cuius  
 Celsitud: & magnificentia non grauata est hos  
 ipsos candidatos audire publicè, ut declararet,  
 se & magnificere nostra studia & de candida-  
 tis optime sentire ac sperare, sitq; propterea de-  
 cretum, ut titulus & insignia Magisterij Phi-  
 losophici his decernantur: Ego quoque ipsorum  
 honori ac dignitati faueo, eosq; promoueri cu-  
 pio, non eò tantum, quod mihi cum plerisque  
 est familiaritas & amicitia, sed ideo quoque,  
 quod ingenia ipsorum & studia Ecclesiæ  
 & Reipublicæ profutura  
 esse spero.

DIXI.

Questio

## QVAESTIO, SVMTA

EX CAP. VIII. EPISTOLÆ

Pauli ad Roma:

**N**ISI certo mihi constaret, omnibus, in hoc amplissimo & augustissimo cœtu, morem ac consuetudinem huius Academiae notum esse, & simul etiam hoc persuasum esse, me non mea sponte, hunc locum occupasse, nec ultrò has dicendi partes mihi desumpsisse, Sed iudicio & autoritate præceptorum, quibus absque graui culpa reluctari non potui, utrumque mihi attributum & assignatum esse: Prorsus non haberem, quibus uerbis aut rationibus hoc factum meum excusarem, quod in tanto numero eorum, qui simul ornatissimi collegij Philosophici testimonium publicum hoc tempore mecum expetiuerunt, Ego potissimum in hoc Illustrissimorum Principum, generosissimorum Baronum, & aliorum doctissimorum & præstantissimorum uirorum confesso, hoc onus dicendi in me recipere ausus fuerim. Facile enim intelligo, nullam orationem, quantumuis accurate elaboratam, me à flagitiose impudentiæ & arrogantiae suspitione liberare posse. Et quia alioqui natura sum timidus, & ab omni ostentationis ausu alienus ac abhorrens: omnino obmutescerem, si ulla ex parte mihi hoc obijci posse agnoscerem, Me ingenij fiducia, & ostendat



tandæ eruditionis gratia, alijs doctis & honestis uiris συμφοιτήταις & competitoribus meis, has dicendi partes præripuisse. Sed cum hac suspicione me haud dubiè liberet huius scholæ honesta consuetudo, nota omnibus, qui adsunt: gaudeo me leuari difficili labore purgandi uobis hoc meum factum, cuius me grauissimas causas habere ipsi intelligitis. Quod uero secundo loco mihi hic agendum quasi necessario erat, ut rogarem me patienter audiri, qui meæ infantie mihi conscius, profiteor nihil à me afferri posse, quod talium Virorum præsentia dignum sit, aut iudicio exactissimo satisfaciat: Video in eo quoque operam frustra sumi apud eos, qui summa humanitate & bonitate præditi, magis uerecundæ obedientiæ studium, quam operosæ facundiæ conatum à nobis hoc in loco requirunt. Verumtamen quod uestræ eximiæ uirtutes ultro mihi promittunt & spondent quasi, Id precibus etiam meis cum debitiæ reuerentiæ cultu à uobis contendendo, ut qua facilitate alios simili in loco constitutos antea audiuistis, eadem me quoque nunc pauca dicturum patienter feratis: cui uestra æquitate magis opus est quam alijs, qui aliquot iam annos ab Academijs publicis remotus, & in puluere scholastico detentus, omnem ingenij mei culturam & exercitationem, puerorum utilitati postponere coactus fui. Sed quoniam de uestra bonitate non dubito, prætermissa longiori præfatione,  
dein=

deinceps ad ea accedam, quæ mihi præcipue ad dicendum proposui.

Statui pro more scholæ recepto, ad me & alios erudiendos, quæstionem proponere ex grauiſſimo loco Pauli, qui in 8. capite epistolæ ad Romanos extat: Vbi inter cætera argumenta, quibus Ecclesiam, in hoc mundo uerè dolores parturientis sustinentem consolatur, & ad spem ac patientiam in ærumnis præstandam adhortatur. Non temerè, sed magno consilio & inenarrabili sapientia exemplum totius naturæ rerum proponit, Quam affirmat diuinitus uanitati subiectam, & præterea tristi seruituti obnoxiam esse, quæ finiendamum sit, cum interitu & corruptione uniuersæ machinæ mundi. Verum sub hac uanitate & dura seruitute, uelut sub ærumna & pondere grauiſſimo, ait omnes creaturas gemere, & niti, & more parturientium mulierum anxietatem & cruciatus tristes perferre, una cum Ecclesia, cuius liberationem & glorificationem solícite expectent, ut cum ea etiam ipse sui renouationem accipiant. Hæc enim sunt uerba Pauli Apostoli, ut in Græcis fontibus significantissimè recitantur: ἡ γὰρ ἀποκαταδοικία τῆς κτίσεως πλὴν ἀποκαλύψιμ τῶν ἡμῶν τῷ θεῷ ἀπεκδέχεται, τῇ γὰρ ματαίωσιν ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἐκούσῃ, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι. ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλθουδρωδῆσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς πλὴν

ἐλθούσθριαρ τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ.  
 Οἶδα μὲν γὰρ, ὅτι πάντα ἢ κτίσις οὐσενά-  
 ζει καὶ σωωδίνει ἄχρι τῆς νῦν. Etenim solici-  
 ta, inquit, Creaturae expectatio, reuelationem  
 filiorum Dei expectat. Vanitati enim subiecta est  
 non uolens, sed propter eum, qui subiecit eam in  
 spe, Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute  
 corruptionis in liberatione gloriae Filiorum  
 Dei. Scimus enim, quod omnis creatura conge-  
 miscit, & una parturit usque ad hoc tempus.

Vt autem de hoc dicto Pauli cogitarem hoc  
 tempore paulò diligentius, & de eodem questio-  
 nem instituerem, imprimis me admonuit proxi-  
 mus caeli ardor, ut sic cum Liuiio & alijs latinis  
 scriptoribus appellem, qui recens nondum elapso  
 octiduo, conspectus est admodum terribili specie  
 per totam ferme noctem, quæ secuta est diem 18.  
 huius mensis Februarij, Quo ipso die ante 18.  
 annos Reuerendus Pater Dominus Doctor M.  
 Lutherus Islebia ipso die Concordiæ, in patria  
 sua ex hac uita in caelestem patriam euocatus est.  
 Eo tam tristi spectaculo, quod sine consternatio-  
 ne animi aspicere non potui, commotus, cum &  
 aliorum piorum querelas & gemitus de eo audire-  
 rem, & consolationem in uerbo Dei quererem:  
 Imprimis mihi huius loci Paulini recordatio sub-  
 iit, qui cum contineat quædam subobscura, &  
 digna eruditorum συζητήσῃ & declaratione,  
 uisum

nifum est de eo pauca dicere, ut occasionem præbeam alijs doctioribus de eo differendi accuratius, & cogitandi diligentius.

Primum enim mirum uideri alicui potest, Quare Paulus tribuat illam anxiam expectationem, & spem liberationis, & gemitum ac sensum doloris, rebus inanimatis, conditis à Deo sine sensu, cum de re seria agens, non uideatur debuisse, Poëtarum aut Oratorum more, figurarum intempestiuo usu quasi ludere.

Deinde cum dicat Paulus, uniuersam naturam à Deo conditam, uanitati subiectam, & corruptioni obnoxiam esse, uidetur confirmare uelle Epicureorum furores, qui intuentes hanc rerum confusionem in mundo, & abusum creaturarum multiplicem, ratiocinantur, Res etiam humanas ferri temerè ac nullam esse Dei prouidentiam.

Postremò dubitari potest de causis, quare Deus naturam rerum non uolentem uanitati ipse subijciat, & tantis abusibus tamdiu expositam esse sinat? Et quare hanc pulcherrimam mundi machinam, summa sapientia à se conditam & ornata, ad extremum prorsus destruere & denuò instaurare uelit.

De his rebus, etsi nec ingenij mei imbecillitas, nec temporis angustia me finit longam dispu-

tationem instituere: Tamen quia aliquid omnino dicendum est, exponam breuiter meas iuueniles cogitationes, petiturus postea à reuerendis Præceptoribus earundem correctionem, & uberior rem huius dicti Paulini enarrationem.

Nequaquam igitur, quantum ego indicare possum, ludere uoluit Paulus figurarum flosculis, in hac grauissima disputatione, in qua conatur ueras & efficaces consolationes proponere pijs, persecutionem patientibus propter confessionem Euangelij, sed singulari Spiritus motu, intuetur horribiles abusus, quibus res bonæ à Deo conditæ, à Diabolis & impijs hominibus, contaminantur quasi, & deformantur. Etsi autem omnes creature propter hos tam foedos abusus & horrendas prophanationes, eo ipso uidentur quasi uoces & gemitus & lachrymas suas ostendere, quando plures inusitados motus & effectiones habent, quas Prodigia nominamus, quælia sunt in sublimi Cometarum tristes flamme, Chasmata, & alia incendia in aëre, Fulminum item & procellarum crebritas ac seuitia, marium & fluminum subitæ exundationes & diluuiâ, cruoris ex terra scaturigines, monstrosi partus, terrarum tremores & horrendi mugitus, quibus omnibus & abusum sui multiplicem significare, & ceu uoce edita & picturis propositis, prænunciare uidentur clades totarum gentium,

&

& extremum mundi interitum: Tamen Paulus  
 hoc quidem in loco, cum creaturas dicit ingemis-  
 cere, non uidetur ad illa prodigia respicere, sed  
 ideo potissimum sic loqui. Quia præcipua pars  
 creaturarum, cuius causa reliquæ omnes & con-  
 ditæ sunt, & tam diu conseruantur, Pij uidelicet  
 homines in Ecclesia omnibus temporibus, illum  
 abusum rerum à Deo conditarum & cernunt ma-  
 gis, & propter eum acerbissimos dolores animo-  
 rum experiuntur. Quemadmodum enim, cum  
 statuæ idolorum Ethnicorum templo Ierosolymi-  
 tano ab Antiocho Epiphane inferebantur, & in  
 ara ad ueri Dei cultus destinata uictimæ prohibi-  
 te Ethnico ritu mactabantur, præterea in ipso  
 templo homines pij trucidabantur, Honestæ uir-  
 gines & matrone ad stupra rapiebantur, uasa  
 templi aurea in Ethnicorum obscœnis conuiujs  
 prophanabantur, non dolebant aut gembant  
 tunc ipsi lapides templi, aut aræ, nec aurum  
 prophanatum, sed Maccabei & alia pia mem-  
 bra Ecclesiæ acerbissimo dolore excruciantur,  
 & tamen se promissione diuina de mansura Ec-  
 clesia & uenturo liberatore consolabantur: Ita  
 cum omnes res sint subiectæ multiplici abusui  
 Diabolorum, Tyrannorum, & aliorum impio-  
 rum hominum, & una cum Ecclesia sustineant  
 magnas iniurias & prophanationem: Hunc affe-  
 ctum doloris, quo excruciantur pij in Ecclesia, per  
 προσοποχείαν, uel potius σκωμικείωσις & com-  
 muni-

municationem quandam, transfert Paulus à præcipua parte creaturæ in uniuersam creaturam. Idq; ideo facit, quia certo constat, naturam rerum conditam esse, non ad tales abusus & iniurias impiorum, sed ad utilitatem, letitiam, & incolumitatem piorum. Hunc uero bonum finem, cum rerum natura post lapsum generis humani semper tenere & assequi non possit, imò contra ipsum cogatur sepe Diabolis & impijs seruire contra Deum, contra pios homines, contra uniuersam Ecclesiam: Haud dubie Paulus significare uoluit, ipsam naturam rerum illos abusus tacite damnare, & dolores ac gemitus piorum apte probare.

Itaque ut exprimeret hunc consensum cogitationum in pijs hominibus cum eo fine, ad quem uniuersa natura creata est, uti uoluit tam significandis uerbis,  $\pi\alpha\sigma\alpha \eta \kappa\lambda\iota\sigma\iota\varsigma \sigma\upsilon\sigma\epsilon\nu\acute{\alpha}\zeta\alpha \nu\theta\eta \sigma\upsilon\omega\delta\iota\upsilon\epsilon\iota$ .

Sed ne nimis diu in prima parte questionis propositæ inheream: Nunc quidem ad alteram partem accedo, in qua dubitari posse uideo. Num Paulus ita dicat uniuersas creaturas uanitati subiectas esse, quod uelit impugnare aut euertere sententiam de prouidentia.

Hic breuiter respondeo: Nequaquam eo animo intueri & deplorare Paulum tristem confusionem rerum in hoc mundo, quo Epicurus il-

lam

lam afficit, qui inde male hoc modo ratiocina-  
tur: Multas res finit Deus ab impijs rapi in te-  
trum abusum & indigne tractari: Ergo pror-  
sus non curat Deus res humanas. Item: Aliquan-  
diu talis fuit confusio & uanitas rerum in mun-  
do: Ergo perpetuo talis erit.

In tales collectiones uniuerſales, progressas  
& particularitate, (quas uitioſas eſſe omnes ſani  
intelligunt) incurrere humanam ſapientiam ne-  
ceſſe eſt, dum intuetur hanc confuſionem, cui  
ſubieſta eſt natura rerum, ſine uerbo Dei, nec  
cauſas illius cernit, nec modum ac finem illius in-  
telligit, nec proſpiciſt denique ac credit libera-  
tionem creaturarum, & ſecuturam inſtauratio-  
nem glorioſam huius domicilij, ad uerum & æter-  
num uſum beatorum.

At uerò Paulus Apoſtolus hæc omnia ex  
uerbo & patefactionibus diuinis agnoſcens, non  
obſcurè contra ipſum Epicurum hæc argumen-  
ta inuertit ad confirmandam prouidentiam: Eſt,  
inquit, confuſio & ſeruitus creaturæ, Sed illa  
ſit Deo ſciente & permittente imò & ſubijcien-  
te, qui & creaturam in illa uanitate, ne in ni-  
hilum redigatur, ſuſtentat, & finem eius ac li-  
berationem & gloriã æternam Eccleſiæ pro-  
miſit, & pœnas æternas Diabolis & impijs præ-  
dixit: Ergo neceſſe eſt prouidentiam eſſe fa-  
cti.

Quod



Quod autem tertio loco hic quæritur, Quare permittat Deus creaturam suam, non uolentem, & præter suum meritum, ac contra finem creationis, tam sædæ seruituti tamdiu subijci, & adeo multiplici abusu impiorum profanari? Et quare illos ipsos abusus auertere tandem non aliter uelit Deus, nisi destructione & corruptione totius machinæ, quam tanta arte & cura condidit?

Hic ego sanè uictus amplitudine rerum hæreo. Et quanquam mihi de hac re cogitanti aliqua in mentem ueniunt, quæ adduci non incommodè posse uidentur: Tamen cum ipse fidere meis cogitationibus non audeam: Malo de rebus tantis audire sententias seniorum, qui diu res easdem cogitarunt, & quorum iudicia, ut Plato in quadam Epistola scribit, certiora sunt.

Quamobrem oro Reuerendum Dominum Pastorem huius Ecclesiæ, Doctorem Paulum Eberum, Præceptorem & hospitem meum, ut & de responsionibus meis ad priores partes questionis propositæ sententiam suam exponat: Et postremam partem Questionis de causis toleratæ seruitutis & destructionis huius pulcherrimi ædificij, ipse explicandam suscipiat. Cui pro hoc & alijs erga me beneficijs & meritis uerè paternis, & ego gratitudinem animi sempiternam

piternam polliceor, & tota posteritas sanior  
 haud dubie perpetua meritorum ipsius celebra-  
 tione præstabit.

DIXI.

RESPONSIO  
 AD QVÆSTIO-  
 NEM.

Doctissime Magister Christophore, Non  
 dubium est, quin mediocriter intelligen-  
 tes & pij homines, animi oculos circumferen-  
 tes per orbem terrarum nobis cognitum, & om-  
 nium regnorum & regionum Ecclesias & po-  
 litias, & summorum Principum familias, omnes  
 denique status ac ordines in genere humano per-  
 lustrantes, uehementer consternentur ac cohor-  
 rescant, cum ubique tantam confusionem, ἀναρ-  
 χίαν, & ut Paulus nominat, ματαόγητον  
 inueniant, quantam nullo unquam tempore fuis-  
 se legimus aliàs, nisi quando fatales ac uniuersa-  
 les orbis terrarum pœnæ ac uastationes proxime  
 præforibus fuerunt. Equidem de meo dolore con-  
 iecturam faciens, quem capio ex conspectu pu-  
 blicorum præsentium, & ex metu impendentium  
 malorum, quem dolorem non dubito mihi cum  
 plurimis pijs communem esse, omnino statuo,  
 adue-

aduenisse iam illud postremum tempus, in quo  
 Christus prædixit fore σωοχλήν ἔθνῶν ἢ ἀπο-  
 ρία, ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ  
 προσδοκίας ἢ ἐπιχορμίων τῆς οἰκουμένης,  
 hoc est, fore singularem anxietatem gentium,  
 ad desperationem usque, contabescentibus homi-  
 nibus præ timore & expectatione eorum, quæ  
 superuentura sunt orbi terrarum. Quare si una-  
 quam, nunc certè opus est, ut nos instruamus ue-  
 ris ac firmis consolationibus, quibus erigi & ful-  
 ciri corda nostra possint, ne præ metu aut sensu  
 tantorum malorum deficiant. Cùm autem effi-  
 cacissima remedia dolorum quorumlibet, ex solo  
 uerbo diuinitus patefacto hauriri possint, debet  
 eam ipsam ob causam nobis studium sacrarum  
 literarum hoc tempore commendatius esse, in quibus  
 & prædictæ sunt hæc confusiones mundi,  
 uergentis ad interitum, & consolationes pro-  
 ponuntur solidæ, quibus muniri ac roborari pe-  
 ctora possunt, ne mœrori succumbant.

Laudo igitur pietatem tuam, Christophore,  
 quòd in communi mœsticia horum temporum, ani-  
 mum tuum studes confirmare efficacibus consola-  
 tionibus, qualem omnino esse iudico istam, quam  
 ex Diuo Paulo in medium adduxisti, in qua dicit,  
 uniuersam rerum naturam nobiscum gemere, &  
 dolere ob communes iniurias impiorum, & spe-  
 rare etiam, & anxie expectare liberationem,  
 erecto

erecto quasi capite circumspectantem, unde & quando ueniat auxilium (id enim uox Græca ἄνω-καρὰ δ' ὀκῆρ, significat, qua Paulus utitur, alludens haud dubiè ad dictum Christi, iubentis nos capita erigere tunc, quando postremi temporis mundi confusiones & terrores ingruunt.)

Sicut autem sæpè expertus sum in magnis doloribus, ac præcipuè in proximo meo uulnere, animum meum leuari nonnihil, quando uidi alios bonos uiros meo luctu simul commoueri, (quemadmodum nihil est acerbius quam ἐπιχαυρεκακία, insultans mæsto, & calamitatem exprobrans, ut impius Semei Dauidi exulanti faciebat) Ita in his doloribus, quem conspectus publicorum malorum mihi parit, efficacissimè me consolatur & recreat hæc Pauli προσωτωωοία, qua affirmat totam rerum naturam, quamuis expertem alicubi sensus, nobiscum gemere & condolere de nostra miseria, ac cupidissimè expectare, & certo sperare nobiscum illum lætum diem, quo liberati ab omnibus miserijs, traducemur in promissum regnum, & gloriam ac fruitionem æternæ consuetudinis cum Deo.

Rectè igitur tu iudicas, Paulum tribuere hæc quasi uoces, gemitus, ac sensum doloris, toti rerum naturæ, respicientem ad finem ipsum, in quem est à Deo condita creatura, uidelicet ut seruiat ad utilitatem & salutem hominum ad imaginem Dei creatorum, & Deum rectè agnoscentium ac colentium.

tium. Iuxta hunc finem dicit Paulus, creaturam detestari abusus & iniurias, quibus Diaboli & impij homines contaminant res bonas, ijsq; ad contumeliam Dei, & perniciem piorum ac Ecclesie abutuntur, & quasi emissa uoce ac gemitibus deplorare suam tristem seruitutem, & confirmare pios, quod inuita seruiat impijs contra Ecclesiam, & quod sit futurus huius tristis seruitutis letus finis, & secutura ingens & eterna gloria piorum, quibus ipsa quoq; creatura renouata, postea in tota eternitate sine ulla offensione, contristatione, abusu, sit seruitura beatis hominibus, & commodatura ad perpetuam letitiam, gloriam, & uitam ipsorum.

Hanc dulcem concionem omnium partium mundi, qua iuxta hoc Pauli dictum nos in erumnis nostris priuatis & publicis, quotidie quasi alloquitur & consolatur tota rerum natura, nobis hoc dicto proponit & commendat Apostolus, quo nequaquam tollit prouidentiam Dei, sed potius confirmat, ut tu recte ratiocinatus es, cum aperte dicat Paulus, creaturam esse subiectam uanitati dicē τὸν ὑποταξαυτα, propter Deum uidelicet, ergo Deo sciente & permittente sustinet illam seruitutem, & quidem ἐὼς ἐλπιδι, inquit, cum spe certe liberationis. Loquitur autem hic Paulus more scripturae, quae saepe dicit, Deum aliquid facere, quod permittit fieri, ac non efficaciter in praesentia impedit, aut mutat, aut contrarium fieri cogit, sicut

sicut dicitur indurare cor Pharaonis ostensione plurium miraculorum, quando sinit ruere in illam cœcitatē & contemptum miraculorum cor impij Regis, persuasi à suis sapientibus, arte magica illa miracula à Mose fieri, quæ ipsis imitari non esset difficile. Propter hanc extenuationem, illa stupenda facta Dei per Mosen edita, erant tantum regi impio causa (sed minimè propria) indurationis, ut pertinacius denegaret populo exitum in desertum, cum tamen illa miracula ideo exhiberentur à Deo, ut superbus ac contumax regis animus mollesceret, & flecteretur ad obedientiam Deo tam potenti præstandam.

Ita hic dicitur Deum, creaturam subiecisse uanitati, hoc est, horribilibus abusibus Diabolorum & impiorum hominum, cum non eo fine conferuet mundum, ut eo tam sceleratè Diaboli & impij abutantur, sed propter alias grauissimas causas: quas utinam tam faciliè mihi esset exponere, quàm tibi facile fuit, Christophore, eas ex me sciscitari, de quibus cuperem ipse alios exercitatiores differentes audire. Et hic locus, ac temporis angustia, non patitur orationis prolixitatem: ueruntamen ut tue Petitioni aliquatenus saltem obsequar, paucissima adijciam.

Potuisset Deus benignissimus conditor generis humani, primos Homines post scœdisimum lapsum unà cum ipso domicilio in ipsorum usum condito, summo iure statim funditus delere, &

in nihilum redigere, sicut ante creationem nihil fuerunt.

Sed cum pro sua immensa bonitate ac misericordia, quam filij coeterni intercessio ac obligatio ad satisfactionem pro genere humano, impetrarat, Homines in gratiam recepisset, & eos quamuis morti corporis obnoxios, tamen longiuscule uiuere super terram uellet, ut multiplicare se & crescere in cœtum ac numerosam Ecclesiam possent, & tempus haberent, quo & plenius institui, & proficere indies ac confirmari in agnitione Dei, & eandem in suos & alios propagare docendo & alijs officijs possent: etiam mundi domicilium ipsis reliquit, & creaturam uoluit eo ordine ac fine, ad quem condita initio fuisset, omnibus hominibus seruire, ad sustentandam, fouendam, prorogandam ipsis uitam, & ad monstrandam ipsis in singulis nature partibus etiam uilissimis, Dei conditoris sapientiam, potentiam, θεοδότης καὶ ἐλεῶντος πικρ, ut Paulus nominat.

Hec ministeria uoluit Deus creaturam sine omni recusatione præstare pijs patissimum hominibus, & Ecclesie sue ciuibus, propter quos & initio eam condiderat, & post lapsum hominum in ordine suo reliquerat, nisi quod sibi hanc potestatem liberam reseruaret Deus, ut eiusdem creature ministerio posset uti ad coercendos, exercendos, castigandos filios suos in Ecclesia, ferociter, languescentes, & delinquentes.

Sed

Sed & impijs ac ingratis hominibus uoluit Deus eadem ministeria & obsequia à creatura sine recusatione præstari aliquandiu, si possent impij hac bonitate conditoris, & obsequijs rerum ab ipso conditarum, flecti & permoueri aliquando ad pœnitentiam, ad agnitionem & reuerentem cultum Dei, per uocem filij mediatoris, sicut Christus testatur inquitens, Matth. 5. sitis imitatores Patris uestri, qui in cœlis est, qui Solem suum sinit oriri tam super malos quàm super bonos, & pluuiam fecundantem agros impertit non tantum iustis, sed & iniustis.

Nec propterea Deus causa illorum scelerum est putandus, quæ designant impij, adiuti ministerio creaturæ, ipsis aliam ob causam concesso, sicut ille benignissimus Paterfamilias, Lucæ 15. Non est censendus causa fuisse prodigo filio profusionum, heluationum, & scortationum, quibus nequam ille filius (sed postea per pœnitentiam conuersus) hæreditatem à patre clementi acceptam prodegerat, quam optasset pater ad alios usus conuersam esse, sicut poterat ac debuerat ea filius uti ad suam & aliorum multiplicem utilitatem.

Causa igitur est Principalis, cur Deus hunc mundum sinat etiam in his abusibus ac uanitate tandiu durare, immensus amor & misericordia Dei conditoris erga genus humanum, ex quo ut colligat sibi copiosam Ecclesiam, cui suam bonitatem largissimè communicet, sinit per aliquot secula



durare multiplicationem hominum, quorum uitam sustentat ministerio creaturarum.

Altera causa est, ineffabilis clementia & μακροθυμία, qua Deus perfert aliquandiu impiorum scelera, & abusus optimarum creaturarum, ut habeant spacium resipiscendi per seriam penitentiam, et ut, neglecta conuersione ad Deum, quae tot modis ab ipsis est requisita & flagitata, inexcusabiles sint in iudicio Dei uniuersali.

De hac causa loquitur Paulus, Ro. 2. inquiens Existimas ne o homo faciens hæc scelera, quod es fugiturus sis iudicium Dei? aut opulentiam benignitatis & patientiæ & μακροθυμίας contemnis? ignorans, quod bonitas Dei te ducere cupit ad penitentiam. Tu autem secundum duritiam impiæ penitentis cordis tui, accumulās tibi ipsi iram in die iræ, & reuelatione iusti iudicij Dei.

Hoc igitur amore erga Ecclesiam, & patientia ac longanimitate utens erga impios, sinit Deus mundum durare subiectum tot & tam scedis abusus, quos serio improbat, & grauius punit per filium uenturum ad iudicandum omnes creaturas rationales, quando igne dissoluet etiam hanc totam mundi machinam.

Sed hic rursus quæris, & petis à me causas tibi exponi, cur Deus illos abusus non aliter uelit tollere, quàm cum destructione huius pulcherrimi edificij, quod tanta arte ac cura semel extruxit, & tam diu conseruauit? An non posset auferre ad  
penas

*pœnas æternas impios contaminatores creaturarum, saluo & durante ipso domicilio in tota æternitate?*

*Ex multis causis paucas recitabo, quæ nos de magnis rebus utiliter commonesfacere possunt.*

*Prima est, quòd etsi hæc rerum uniuersitas per se bona est, sicut testatur dictum Genesis: Et uidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualdè bona: tamen propter lapsum primorum parentum, & propter filiorum degenerationem ac impietatem, etiam ipsa sedes hominum aliquem quasi reatum contraxit, & Deo quodammodo inuisa est reddita, & maledictioni diuinæ subiecta, sicut manifestè dicitur Gen. 3. Maledicta terra propter te. Ab hoc reatu & maledictione aliter non liberatur, nisi ipsa quoq; destruat. Ut enim sordes & fœtorem aliquem uenenatum concipiunt ædes & conclauia illa in quibus homines leprosi aut alijs contagiosis morbis affecti aliquandiu commorati sunt: ita mundus quoq; polluitur quasi sceleribus inhabitantium Diabolorum & impiorum hominum, & sordes contrahit, quas per ignem aboleri & quasi excoqui oportet.*

*Secunda causa destructionis mundi est: ut Deus in fine mundi edat insigne & illustre testimonium immensæ suæ iræ aduersus peccatum, non modò Diabolos, qui prima peccati causa fuerunt, & Homines impios, qui in peccatis & contem-*

*tu DEI creatoris sine pœnitentia & fiducia filij*

Mediatoris perseuerarunt, abiecturus est in aeternos cruciatus, sed etiam totam illam domum, quae sedem praebuit pollutis & ingratis creaturis, funditus demoliturus & renouaturus est, ut semel omnis peccati quasi memoria aboleatur, & palam fiat omnibus angelis & hominibus, adeo Deum odisse, & ferre non posse peccatum, ut ne locum quidem illum talem relinquere uelit, qualis fuit, in quo patratum est peccatum, quemadmodum princeps iusticiae & uirtutis amans non contentus est, latrones, quos comperit immaniter grassatos fuisse in homines innocentes, supplicio capitis affecisse. Sed, ut monumentum relinquat iustae irae suae, ipsas etiam arces & receptus latruncolorum destruit & euertit.

Tertia causa est, quod hac crematione mundi Deus etiam testimonium suae clementiae & amoris aeterni erga Ecclesiam edere uolet, quam cum saepe permiserit antea per creaturas affligi, exerceri, & propter aliqua delicta etiam puniri & excruciarī: iam resuscitatae & glorificatae Ecclesiae ostensurus est, & antea se inuitum illas poenas irrogasse, & posthac nullas amplius poenas aut afflictiones Ecclesiae metuendas esse, quod ut ei certius persuadeat, omnibus Beatis spectantibus, totam hanc mundi machinam igni comburet, cum renouatione talis aedificij, quod tantum ad gloriam, utilitatem, letitiam, & delectationem Beatorum in tota aeternitate seruiat: Sicut mater pia post acrem castigationem

tionem filij cæsi ob delictum, & promittentis seri-  
am emendationem, uirgas ipsas, quibus uerberauit,  
filium, ipso aspiciente, cum indignatione & mala  
imprecatione in ignem abijcit & comburit, simul  
ut testificetur, sibi quoq; illam necessariam castiga-  
tionem filij aduersam & dolori fuisse, & ut rursus  
exhilareret ac confirmet filium hac abolitione in-  
strumenti pœnarum, ne posthac similem iram aut  
uerbera metuat.

Exposui ex multis aliquas causas, quare Deus  
in remotione uanitatis & abusu rerum à se  
creatarum, simul uelit ipsam mundi machinam de-  
struere cum renouatione eiusdem.

Quòd tempus cum non procul absit, sicut  
plurima minimè fallacia, & ea ipsa signa testan-  
tur, quæ præcessura esse illam mundi conflagratio-  
nem ipse filius Dei prædixit: oro Deum æternum  
patrem Domini nostri Iesu Christi, & hunc ipsum  
Filium Dei & filium Hominis Iesum Christum,  
rediturum cum inenarrabili gloria ad iudicandos  
spiritus & homines uiuentes tunc & à morte re-  
suscitados, ut nos interea reptantes super terram  
in magna imbecillitate nostra, & tristissimis con-  
fusionibus squalentis senio mundi, ac in immanibus  
furoribus Diabolorum & impiorum hominum, suo  
uerbo & spiritu sancto clementer & paternè do-  
ceat, regat, muniat, roboret, uiuificet, & adiuuet,  
ut possimus uigilare, & erectis capitibus expecta-  
re, retinentes fidem ac bonam conscientiam, & le-

*tis cordibus excipere aduenientem Dominum de redemptorem nostrum Iesum Christum, sicut ipse grauissimè monet homines uicturos circa illa postrema tempora mundi, quæ haud dubiè nos attigimus, inquit: Lucæ 21. Vigilate itaq; omni tempore, orantes, ut digni habeamini effugere ista omnia, quæ euentura sunt, & stare ante filium hominis. DIXI.*

## ORATIO PRONUNCIATA

AB ILLUSTRISSIMO Principe ac Domino, D. Ernesto Ludouico, Sedorum Pomeraniæ, Cassubiorum & Henetorum duce Rugiæ, Principe Gutzcoiæ, &c.

Rectore Academiæ VVitebergensis, cum leges Academiæ scholasticis repeterentur. die

5. Iduum April.

**C**VM Scholæ debeant esse officinæ sapientiæ, et uirtutum, iudico utile esse, ut sæpè repetantur, non tantum doctrinæ necessariæ, sed etiam commonesactiones, de legum fontibus, & dignitate totius ordinis politici, ut teneris animis instilletur honesta de legibus opinio, & rudior ætas nondum cicurata doctrina, paulatim assuescat, ad amorem legum, ac disciplinæ, & reuerentiam erga ordinem politicum, quæ assuesfactio deinceps adheret & prodest per omnem ætatem.

Nec

*Nec minor est laus obedientiae erga leges, ac Magistratum, quam magnae eruditionis ac sapientiae, uel potius multò illius maior laus est, cum sit ornamentum hominis præcipuum, complectens totum chorum uirtutum, cuius pulchritudinem Aristoteles Hespero ac Lucifero, decus Plato omnibus uictorijs Olympicis præfert. Quod si corporeis cerni oculis posset, ut illa conspiciuntur, ardentiores multò sui amores, & maiorem admirationem commoueret. Sed perspicitur tamen acie mentis, quando legum fontes considerantur, in quibus cum ostenditur autor legum, & Architectus, ac custos ordinis politici, qui sese in legum sapientia depinxit atq; expressit, Si qui hæc audientes, aut leuiter, aut nihil afficiuntur, eos quouis Cyclope inferiores esse oportet.*

*Probo itaq; consilium & consuetudinem huius Academiæ, quòd et leges suas repetit annuatim publica uoce, & autoritate, & ante recitationem proponit commonesactiones adolescentibus necessarias. Cumq; & initio me legum autoritati reuerenter subiecerim, et postea libenter paruierim sententijs Professorum huius Academiæ, quando Magistratum Scholasticum mihi imposuerunt: Nunc etiam non grauatim me ab iisdem huc ad illas ipsas commonesactiones recitandas produci passus sum, cum id exigeret ratio muneris, quo fungor, & exemplis inuitarer multorum illustrium hominum, qui ante me eundem Magistratum gesserunt.*

*Fator*

Fateor me aliquam huius rei partem etiam debere institutioni Scholasticæ, quod à teneris ita assuesfactus sum, ut sciam non debere me, uel opiniones, aut cupiditates priuatas anteferre legum sententijs, cuius rei exemplum habeo in Cyro Xenophonteo, uel temere refragari iudicijs, & uoluntatibus Seniorum ac prudentiorum. Neq; excidet unquam animo meo lex Theodosij Imperatoris, in quamcunq; me gubernationis publicæ partem Deus collocarit, dignam esse uocem maiestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri. Hanc consuetudinem quæ paulatim iudicio & etate confirmatur, cum intelligam mihi maximoperè profuturam esse, meritò Scholasticam amo & colo.

Sed uenio ad id quod nunc agitur. Vos Scholasticos adhortor, ut cogitetis leges sapientiæ diuinæ riuulos, ordinem politicum & conseruationem humane societatis, iusticiæ diuinæ opus: utraq; testimonium præsentis diuinæ esse in genere humano.

De Magistratu uerò ita sentiatis, non ab hominum ambitione & τυραννικῆ Tyrannicè rapiensium Imperia, aut à uiolenta opprestione infirmiorum hunc extitisse, sicut multi prophani iudicant: Sed à DEO legibus additum, & autoritate ac potestate diuina armatum esse, cuius officium est, ut sit legum custos. Sicut præclare describit Magistratum Aristoteles, id est, ut sonet decalogi uocem in societate ciuili, ut exequatur pœnas et coercent  
at, ac

at, ac puniat delinquentes contra Decalogum, ut cum opus est, suas quasdam leges addat, & interpretetur, quæ non pugnent cum Decalogo, ut pœnas etiam suis legibus sancitas exigat ac persequatur. Leges enim sine pœnis contemnuntur. Et laudatur dictum Æschinis: οὐδὲρ ὄφελος πόλεως, ἢ ἄλλο μὴ νεῦρα ἐπὶ τοῦ ἀδικῶντος ἔχει. Certò etiam uobis persuadeatis, Deum tueri, & ordinem suum, & constitutos à se huius ordinis custodes, ac præfides, ea seueritate, ut si Magistratus impediatur, uel sua imbecillitate, uel delinquentium ferocia, ipse & iudicis & satellitis munus obiens, auctores mirabilibus modis, & occasionibus comprehensos atq; irretitos, rapiat ad exquisitas pœnas.

Est enim certa & immota regula. Non erit bene impio. Item, Non erit impunitum scelus, quæ cum congruit Oraculi uersus: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσις οὐκ ἀποτίσει, etiam in hac uita. Neq; ullus unquam contumacem uiolationem legum et ferocem sui Magistratus contemptum, inultum tulit, Neq; impunitatem speret quisquam, qui ordinem diuinum turbauerit.

Nulli exercitus, Satellitia nulla, nulli aggeres, aut propugnacula magis muniunt Magistratum, quam Pauli Concio ad Romanos, quæ non tantum ciuiles pœnas contumacibus denunciât, sed eosdem reos fieri æternæ iræ Dei, & ruere in æternum exitium, pronunciat. Quotiescunq; ergò legum uocem auditis, Dei uos audire uocem cogitetis, &

ad



ad Magistratum quotiescunq; acceditis, memineritis, uos, ut Plato ait, ad numen quoddam accedere, cui & uices suas, in ciuili gubernatione societatis humanæ Deus delegauit, & præsto adest, adiungit auctoritatem ac sufficit uires, quando cognoscit ac disceptat causas, dicit & exequitur sententias, deposcit ad pœnas delinquentes. Cuius rei exempla suppeditat quotidiana experientia.

Sunt autem ordinis politici, post Oeconomias prima ac præcipua pars, Scholæ, doctrina ac disciplina benè constitutæ, quæ uelut seminaria ac promptuaria Ecclesias & Respublicas deinde instruunt. Oeconomie enim tantum gignunt & nutriunt, Scholæ uerò formant & excolunt Ecclesiis & Politijs idoneos gubernatores.

Quare certò statuatis, Scholas Deo, eò magis curæ esse, quò magis refert plurimos, quàm optime, à teneris educari, & quàm paucissimos corrumpi, præsertim ea ætate, quæ uerè est domicilium Dei, & custoditur à castis Angelis.

Ita de Scholastico agmine qui sentiunt, rectè sentiunt: Qui gigantum aut Cycloporum colluuiem, aut Circes stabulum esse putant, in quo sit licentia omnium flagitiorum ac scelerum, hi Scholasticorum nomen, uel ipsi immeritò usurpant, si his sese annumerent, uel contumelia summa afficiunt, si ab hoc grege sunt alieni. Nec se dubitent grauissimas Deo duros esse pœnas, qui ætatem innocentem & improuidam exemplis uitæ dissolutioris, & insolentis

solentis contumaciæ inuitant ad peccandum, uel seductos aut incitatos etiam cogunt degenerare, et hoc modo conturbant in ipsis Spiritum sanctum, dolore afficiunt optimos parentes eorum, defraudant Ecclesias, et Rempubicam, contumeliosi sunt in Deum, cuius Imaginem, quæ restitui debebat, polluunt prius, ac deformant magis magisq̃, quam ab insita labe purgari cœpit atq; expoliri.

Cum autem conuocati nunc sitis ad audiendas leges Academia: hortor uos, eo ut animo illas audiatis, quo uocem de cœlo sonantem admissuri essetis, & amplexuri.

Sunt enim inter has præcipuæ ipsa uox Decalogi ita descriptæ, ut uerè sint ὁμοιοῦ ἐν ἑαῖς, quales Plato leges esse debere rectè disputat.

His additæ sunt quædam de executione, quæ à Deo Magistratibus mandata est. Obedientiam autem secundum has leges, memineritis, debere uos primum Deo, deinde Magistratui, quam ut præstetis, mouere uos debet ante omnia autoritas diuina, multis declarata præceptis, quibus Decalogo, & legitimo Magistratui dignitas sua atq; potestas asseritur ac stabilitur. Moueat uos & publicæ tranquillitatis ratio, quam petulanter turbare per se scelus est, etiamsi sequatur impunitas. Accidit enim quandoq; ut cœlestes etiam pœnæ, quas DEVS infligit, differantur, cum quidem impunitas blandiens ferocibus Ingenijs, acuit studium peccandi augetq; licentiam. Sed hæc eo ipso quod

quod crescit, pœnarum & numerum accumulatur,  
& atrocitatem exasperat.

ὑβρις γὰρ ὁ ζανθισὸς ἐκάρπωσε εἰς ἄνω  
ἀτης, ὅδε μὲν πάγκλαυτον Ἰζαμά. θέρ. &.

Nec cunctatur datis occasionibus Diabolus, sed  
ab initijs talibus telas texit nobis inextricabiles,  
quibus irretitos, conijcit in calamitatum pelagus,  
quæ deinceps in totas gentes & familias multis se-  
culis grassantur horribiliter. In liberalibus inge-  
nijs uerò plus ualeat honesti respectus, propter  
mandatum Dei, quàm formido pœnarum, ὅτι ἰσὺ  
αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφύκοσι secundum  
Sophoclem. Turpe est dignitatem generis  
à parentibus acceptam, turpitudine propria, aut  
contaminare, aut obscurare: sed omnium maximum  
est, quod in ijs, qui perseuerant in delictis contra  
conscientiam, Deus non est efficax.

Qua de re grauiſſima est Siracidae sententia:  
Ἄνθρωπος σοφὸς οὐ μισήσει νόμον, ὅδε ὑπεκρινόμενος  
ἐν αὐτῷ ὡς ἐγκαταγῆδι πλοῖον, id est, Vir sa-  
piens non odit legem, Qui uerò est hypocrita in  
ea est uelut in tempestate Cymba. Simulator qui  
non uerè assentitur uoci diuinæ, legibus expresse,  
sed putat fabulam esse astutè excogitatam ab homi-  
nibus ambitiosis, pacis causa, is erit ut Cymba in  
tempestatibus, lætabitur fluctibus cupiditatum, &  
Diabolorum impulsione, ac tandem sine conso-  
latione ruet in exitium æternum. Quid tristius  
est, quàm esse & manere hostem Dei, & organum  
Diabo-

Diabolorum, qui contumaces contemptores legum  
ex uno scelere in aliud, & tandem in tristissimas  
pœnas corporum & animarum præcipitant :

Horum cogitatione excitate & alite in animis  
reuerentiam erga leges, & ordinem Politicum, &  
nunc, dum in Scholis uersamini, & deinceps omni  
tempore, ad quodcunq; uos genus uitæ Deus  
uocârit, & libenter Deo, Magistratui,  
& honestis legibus obtempe-  
rate. D I X I.

## RECITA LEGES.

## POST LEGES.

**A**udiuistis leges Academiæ, quas cum fateri  
omnes oporteat, pias, honestas, & tranquillita-  
tati communi utiles esse: Præcipimus, ut eis obedia-  
tis, ea autoritate, quam audiuistis legibus diuinitus  
attributam esse.

Debeat post gradum ministrorum Euangelij  
agmen Scholasticorum, flos & decus esse Ecclesiæ,  
Et est flos præcipuus, pij senes Doctores, & pij  
Adolescentes, quales in hoc coetu multi sunt. His  
utinam non essent admixti alij efferi, qui Deum,  
leges, Ecclesiam, Magistratum, honestam societa-  
tem & omnia uirtutum officia contemnunt, &  
Præceptorum conciones atq; commonefactiones  
uere paternas, ideo leuius curant, quòd uident, non  
LII satis

satis armatos esse, ijs præsijs, quibus talem petulantiam cohercere possent.

Sed sciant isti, Deum fore uindicem, & se Deo pœnas uiolati sui ordinis debere, quas persoluent quando eas Iudex ille expetiuerit, cuius declinare forum, aut defugere iudicium non poterunt, & persoluent non præmoniti, Fortasse cum iniuriarum quas fecerunt obliui, beatos se esse, & extra periculum somniabunt, Testabuntur suo exemplo, ut multi alij:

Indomitum nihil esse pio, tutum uè nocenti.

Precamur autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, ac resuscitatum, Sedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, ut Scholam hanc uelit manere domicilium Ecclesiæ suæ, & ueritatis restitutæ Custodem, sicut fuit huc usq; Et coniunctionem cum hac Schola Ecclesiarum & Scholarum patriæ & regionum nostrarum, in una fide & Spiritu uno, qua inter sese hæctenus ita deuinitæ fuerunt, ut dissolui nullis humanis, nullis Diabolicis artibus potuerit.

Illam ergo Coniunctionem, precamur ut conseruet ac tueatur, ut simus omnes unum in ipso.

ORATIO

## ORATIO QVA CA=

LENDIS MAII PVBLICE, ILLV=

strissimus Princeps ac Dominus. D. ERNES=

TVS LVDOVICVS, Dux Sedinorum, Po=

meraniae, Cassubiorum ac Henetorum, Princeps

Rugie, Comes Caycorum, &c. Academie VVi=

tebergensis tunc Rector, Magistratum scho=

lasticum resignauit, eumq; Illustrissimo C.S.

fratri, duci BARNIMO tra=

didit, & commendauit

Anno 1564.

**M**VLTÆ magnæ incidunt difficultates in

omnem quantumuis salutarem, & placidam

gubernationem. Nam & hominum naturæ sunt

infirmae, & odio Dei grassantur Diaboli homici=

dæ, qui imbecilles naturas incendunt, ut contur=

bent disciplinam, & moueant Respublicas. Id do=

cent exempla omnium historiarum & quotidiane

experientiæ. Sed uos qui in doctrinæ studijs uer=

samini, præcipuè decet, hæc considerare, & intel=

ligere, & his commonesactos, reprimere errantes

impetus, quibus turbatur uite ordo, ac petere ar=

dentibus uotis, ut cœtibus hominum DEVS ipse

adsideat, consilijs intersit gubernatorum, ut fle=

stat mentes ipsorum, ac subditorum ad uirtutum

intellectum atq; amorem. Verissimum est enim

quod à Salomone scriptum est, Vt oculi uideant,

LII 2 & aures

& aures audiant, Deum facere utrumq; Id est, ut  
 diu præsent, recte consulant suis, & subditi mo-  
 deste obtemperent, nec furenter dilacerent bene  
 constitutum ordinem, hæc Dei beneficia esse, ad-  
 fidentis ad gubernaculum, sicut in naui ad clauum  
 adsidet gubernator. Hæc uota assidue repetere  
 debetis, sed tali tempore ardentius, quando sit re-  
 nunciatio Magistratus uestri publica. Vbi conspe-  
 ctus Magistratus de toto uos ordine Politico com-  
 monefaciat.

Mecum igitur omnes pia mente intuentes &  
 inuocantes uerum DEVM, his uerbis precemini.  
 Tibi æterne DEVS, pater Domini nostri IESV  
 CHRISTI, conditor, & conseruator omnium  
 rerum, & Ecclesie tuæ, una cum filio & Spiritu  
 sancto, qui in societate generis humani uis conspici  
 sapientiam tuam, iusticiam & bonitatem erga ge-  
 nus humanum, & uis Politias esse hospitia Eccle-  
 siæ tuæ. Tibi ergo toto pectore gratias agimus,  
 quod in tantis furoribus hominum, qui uarijs sce-  
 leribus uitæ ordinem turbant, seruas tamen aliquas  
 Politias in his regionibus nostris, atq; alijs pluri-  
 bus, in quibus sonat uox Euangelij, excoluntur  
 artes uitæ communi necessariae, Ecclesie uelut ni-  
 dulos habent, uita ciuilibus non Tyrannicis imperijs,  
 sed sapienter & iuste scriptis legibus regitur, &  
 mores hominum mediocri disciplina frenantur.  
 Et oramus ut has Politias, inq; illis scholas & Ec-  
 clesias porro tuearis ac regas, ne opinionum ac  
 morum

morum tetra confusiones existant, sed maneant ac uigeant, uox Euangelij, honesta ac necessaria studia, leges, iudicia, & omnes nerui discipline, ut semper inter nos perpetua à Deo colligatur Ecclesia. Hec bona & peti præcepisti, & affirmas te daturum esse propter filium, Confidimus itaq; te uota ac gemitus petentium ea exauditurum esse.

Ab hac precatatione exorsi nunc significamus uobis pro singulari consilio Senatus Academiæ decretum nobis esse successorem in Magistratu scholastico per hoc æstiuum semestre Illustrissimum Principem, ac Dominum, D. BARNIMVM Stetini & Pomeraniæ Ducem &c. fratrem mihi dilectissimum. Et adiunctum illi esse prorectorem, uirum, eruditione, uirtute & prudentia excellentem CASPARVM PEVCERVM Philosophiæ & Medicinæ Doctorem. Hunc uobis Magistratum constitui cogitetis à Deo, non tantum autoritate præceptorum uestrorum. Quare qui Deum timent, uera se reuerentia ei subijcient & omni obedientia eum colent. Qui & Deum & Magistratum contemnunt, meminerint Deum contumaciæ uindictam esse & se persensuros tandem in animis, qui comitari hanc solent horribiles conscientiæ cruciatus, qui furie sunt ultrices contumaciæ, & in exitium agunt reos uiolatæ obedientiæ.

Nunc tuæ dilectioni trado & Magistratum, & insignia huius atq; ornamenta, & opto præ-



corq; ut gubernatio T.D. sit tranquilla ac salutaris. Talis sine auxilio diuino cum esse nequeat:

Oro Deum eternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ipse sit Rector Academiae, ac T. D. & nos omnes clementer gubernet, & adiuuet.

DIXI.

## ORATIO DE VITA,

ET GVBERNATIONE SCHOLAE  
 stica Valentini Fridlandi Trocedorffij, instauratore & rectore Scholae Goltpergensis. Recitata à discipulo olim eiusdem, Magistro Baldasaro Rhauu Naumburgensi Silesio, Collegij Philosophici in Academia VVitebergensi tunc Decano, atq; Illustrissimorum Ducum Pomeraniae Praeceptore. 18. Calend. Septemb.

**S**I quem fore existimarem, qui me reprehensurus sit afferentem Orationem, non tam uel ab hoc loco, uel à studijs Philosophicis alienam, quam argumento tenuem ac nouam, laborarem maiore cura, in excusando consilio meo. Video enim eo magis studio mihi uestro ac fauore opus esse, quam caeteris, quo magis in me desidero ea praesidia, quae apud uos alios hac sollicitudine liberatos, subleuauerunt. Nam & hospes sum in Academia hoc tempore, & ut satis fecero ijs, quibus cum aliqua mihi necessitas

necessitudo intercedit, quorum cum ora, uultusq; intueor, fateor recordationem beneuolentiae erga me illorum uicissim erigere nonnihil, ac recreare animum meum, & loci insolentia, & confessus huius amplitudine, & auditorum frequentia, grauius conturbatum: Tamen non possum non uereri iudicia reliquorum, quae ut libera debent, ita uaria esse, & ex causis atq; occasionibus nasci diuersis solent. Sed cum cogito, & qui uir ille fuerit de quo uerba facturus sum, & quam de se reliquerit opinionem in animis uestris, in spem uenio pene certam, memoriam meritorum illius, & renouatum sola mentione nominis amorem uestrum, uel non admissurum esse censuram in me seueriorem, uel si quid offense adhaeserit, id illum diluiturum esse ac deleturum sponte, me tacente. δεῦναι γὰρ αἱ ἐὺνοιαὶ ἀπεδέκασαι τὰς ψήφους, δεῦναι δὲ ἐπισυκρίψαι καὶ νοὴ συσκιᾶσαι τὰς ἀμαρτίας.

Dicturus enim sum de uiro optimo & ingeniorum formatore felicissimo, Valentino Trocedorfio, in quo laudando, si plusculum indulsero amori erga illum meo, ueniam mihi daturus uos, & quidquid peccatum à me hac in parte fuerit, id pietati et gratitudini, quam Praeceptor optime de me merito debeo, tributuros esse confido. Ita enim apud illum fuimus, quotquot in eius schola didicimus, ut animo nos paterno complexus, nihil diligentiae, curaeq; maximae in nobis erudiendis atq; instituentis, tam praecipis uirtutum atq; pietatis, quam

litteris bonis atq; artibus & doctrina religionis omiserit.

Non aberat in eo erga nos digna Magistro seueritas, sed absq; toruitate ac morositate, mirifica quadam, & ætati nostræ tum grata comitate temperata. In proponendis ijs, quæ discenda erant, dexteritas singularis. Hanc ita moderabatur, ut ad captum sese demitteret & accommodaret ad vires singulorum, cum ingeniorum pene infinita esset diuersitas. In exercenda uero opera nostra, pensq; exigendo summa assiduitas.

Itaq; cum metueremus, obseruarem, reuereremur eum tanquam magistrum, non secus tamen & amabamus & colebamus, ut parentem.

Dignam uiri memoriam iudico, quæ commendetur posteritati, Sed dignius exemplum scholasticæ gubernationis, quam ad formam optimæ politicæ ita constituerat, distributis classibus, legibus, studijs, exercitijs, iudicijs, Magistratibus, officijs publicis, & priuatis, ut præsens absensq; pari seueritate & fœlicitate administraret, atq; exequeretur omnia, & in officio, atq; intra circumscriptas metas, quasi carceres quosdam contineret scholasticos: Ut adesse ubiq; cum procul abesset, & spectare coram singulorum operas atq; urgere, censurasq; agere in singulorum mores atq; actiones: ut quouis momento agere aliud nihil, nisi docere uiua uoce quosuis, repetere dictata, præcipere, monere, hortari, pœnas mimitari delinquentibus, Deniq; ut ad hoc

hoc regnum in schola natus, atq; adiumentis necessarijs diuinitus instructus esse uideretur.

Erant enim res uere diuinæ & admirabiles, op= tati destinatiq; in eo munere successus, de quibus testantur, qui è schola eius prodierunt innumeri, & autoritas, qua tanta erat præditus, ut conspe= ctus solus præsentis, & sola memoria absentis præ= starent atq; efficerent, apud naturas etiam ferocio= res, ac minus cicuratas, quod uix alibi legum ac pœnarum metus potest. Sed circumdatam sibi di= uinitus autoritatem tuebatur & augebat, sedulti= tate in officijs uocationis, & integritate ac sancti= monia uitæ innocentis. Hanc ad uocem doctrinæ quam tradebat ita compararat, uera animi pietate, ut excellentia uirtutum, quibus commendare se om= nibus: sed scholasticis suis præire ac prælucere co= nabatur, ne suspicionem quidem de ipso sinistram, unquam in animos hominū, ulla in parte admiserit. Docebit id sequens narratio, ad quam nunc accedo.

Natus est Valentinus Trocedorffius, Anno 1490. Patre Agricola, uiro honesto, Bernhardo Fridelando, in pago à quo cognomentum traxit, cum aliud sit nomen familiæ paternæ. Distat pagus uno miliari à Gorlicio, superioris Lusatiæ oppido. Pater cum natura esset religiosus, superstitionibus eius ætatis apprime deditus, frequens Monachis illius loci adesse, quæq; illi mendicando collegissent, adseruare domi suæ, Et cum in urbem uentitaret secum aduchere erat solitus, quæ occasio fuit, ut

accedentem ad Monachos patrem crebro filius comitaretur, in quo illi seu specie considerata, seu obseruatis argumentis atq; indicijs alijs, quod & curiosius inquisiuisset multa, & librorum tractatione delectari uisus esset, His ergo notis ubi in eo deprehendissent indolem discendi auidam, & doctrinarum capacem, hortati parentes fuerunt, ut filium scholæ adhiberent, & erudiri literis curarent. Sequuti consilium parentes, Rectori scholæ in urbem commendant. Sed cum uix literas nosse, & iungere didicisset, relicta schola, redijt domum ad operas rusticas, seu pertæsus uitæ scholasticæ, seu reuocatus à patre, cui res familiaris magis, quam filij indoles curæ erat. Sed aduersabatur utriq; mater, quæ usitata illorum temporum persuasione, tum demum se fore beatam putabat, si uel Sacerdotem, uel Monachum genuisset. Cum ergo optimam de filio spem, ex Monachorum iudicio concepisset, abduci eum à literis nolebat, & ne maritum offenderet, si filium in urbem remissum, ab operis rusticis prorsum arceret cum rei familiaris detrimento, à pastore & custode pagi impetrat, ut hic lectionem, & pronunciationem pueri succisuiuis horis exerceat, ille literas eum formare ac pingere doceat.

Ad hunc usum aiebat tum interiorem betulæ corticem chartas, anserem calamos, fuliginem infumibuli atramentum suppeditasse.

His exercitijs, postquam biennium consumsit apud parentes, quod iam aucto cum ætate iudicio, literarum utilitatem consideraret, atq; intelligeret melius, matre etiam assidue instigante, repudiavit uitam rusticam, & urbe repetita, totum sese studijs dedit. Mater abeuntem prosequuta, & dimissum à se multis lacrymis obtestata fuerat, ne uitam scholasticam desereret. Has uoces sepe affirmabat, se tunc ominis loco accepisse, & de sequutura uite cursu, qui scholasticus futurus esset, interpretatum esse. Quare si quando deinceps etiam ad functiones alias splendidiore uocabatur, ut Ecclesiasticas, recusabat eas, quod se uoto matris, Scholis dedicatum esse meminisset. Ab his sibi per mandata eiusdem salua pietate discedere non licere.

Reuersus itaq; ad studia, tanta cum intentione animi, & assiduitate tanta in illa incubuit, ut paucorum annorum spacio ætate superiores omnes, longo interuallo antecuerit, et spem de sese summam concitarit. Præceptorem habuit quendam Magistrum Alexandrum Cuspinianum, qui postea puriorem Euangelij doctrinam amplexus, fuit unus inter præcipuos, qui Ecclesias Silesie à sordibus Pontificijs repurgarunt. Parentes amisit annos natus uiginti tres, id est, anno à nato Christo Salvatore tertio decimo, quo diuendita hereditate uniuersa, Lypsiam se contulit, Vbi quod propter iudicij maturitatem ac rectitudinem posset per  
se

se constituere, quæ ipsi studia maxime conuenirent, & odisset barbariem sermonis monastici, qui tunc in scholis dominabatur, sed absq; cognitione lingue græcæ, perfici nil posse, in eruditione doctrinæ cerneret, ut coniungeret ergo linguam utramque, delegit præ cæteris, Magistros, Petrum Mosellanum, & Riccardum Crocum Anglum, quorum alter Mosellanus in latina lingua puriore, alter Riccardus in græca excellere iudicabatur, & quidem Riccardus græcæ lingue studium in has terras recens adduxerat. Vtrunq; & audiuit diligenter, & coluit studiose amplius biennio, & exemplo ac uelut manuuctione illorum scriptores in utraq; lingua probatissimos legere, & imitari cum sermonis, tum historiarum causa coepit. Ibidem eo tempore, primum suscepit in philosophia gradum. Inde uocatus Gorlicium ad docendum in schola. Etsi initio erat loco inferiore, paulatim tamen propter liberalis ac politæ eruditionis opinionem ita creuit, ut non pigeret Rectorem Scholæ & collegas, illo Magistro uti in discendis elementis græcæ lingue, & Latinis Scriptoribus cognoscendis.

Quare tunc & collegas & scholasticos pariter docuit. Collegis libros Ciceronis de officijs enarrauit, & Plutarchi libellum, de puerorum educatione. Adiuuit & multos alios bonos uiros, in scholarum per Silesiam emendatione & constitutione, opera atq; consilio suo, qui capti pulchritudine

dine ac dulcedine reflorentium literarum, fastidiebant barbaricas sordes, in quibus consenuerant, & hunc iuuenem certatim colebant atq; inuitabant ad sese. Sed haud ita multo post cum Lutherus editis propositionibus oppugnaret indulgentias, quas uenales circumtulit Tecelius, excitus uiri fama, huc Vuitebergam illius uisendi causa profectus est. Incidit tunc forte fortuna in Iudæum quendam Christianis sacris baptismo initiatum, Hadrianum nomine, patria Hispanum. Huic, cum non abundaret pecunia, operam suam addixit ad ministeria domestica, quo posset sine sumtu suo, audire tradentem elementa linguæ sacræ, in qua celeriter tantum profecit, ut mox cum multorum admiratione, intelligeret & recitaret Psalmos sine interprete, sua lingua, & eosdem explicaret alijs. Commoratus in Academia ad annum quintum usq;, auditorem assiduum & sedulum præbuit Luthero & Philippo. Sed delectatus ingenio ac studijs Philippi & eiusdem in docendo perspicuitate, facilitate ac rerum copia, ad hunc imitandum totum sese composuit.

Tanta cura autem, ac tam religiose uestigia eius consecrabatur, ut non sententias tantum ab illo traditas, sed & uerba retinere studeret, atq; usurpare in docendo, ad extremam senectam usq;,  $\delta\iota\kappa\lambda\omega\ \upsilon\eta\tau\alpha\ \tau\omega\ \sigma\omega\delta\omega\ \delta\epsilon\ \phi\upsilon\lambda\acute{\alpha}\tau\omega\ \tau\omega\ \pi\omicron\sigma\iota\kappa\omicron\lambda\omega\ \eta\tau\epsilon\ \eta\ \pi\epsilon\omega\tau\eta\ \alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\ \sigma\iota\omega\eta\theta\epsilon\alpha\ \omega\sigma\ \omega\sigma\tau\eta\tau\eta\ \pi\acute{\rho}\iota\epsilon\theta\eta\kappa\epsilon,$  quæ uerba sæpe in ore habebat, Imo piaculum se



commissurum putabat, si à præscripta norma, uel latum unguem discederet. Neq; obscure præ se ferebat, eum se fructum capere ex suis laboribus præcipuum, si quos in officina sua excoluisset, probaret Philippo, & ἀποάτας huic idoneos præstaret. Nam in ea erat sententia, scholas priuatas debere & uestigia sequi publicarum, & ingenia tenera præparare atq; assuescere ad elementa publicæ doctrinæ in Academijs, præsertim, si certa et ætati puerili accommodata doctrinæ forma extaret, non ad sua inuenta, quæ cogentur sæpè adulescentes dediscere labore aliquanto difficiliore, quam addidicissent. Nec *Ἐλαυτίαν* probabat illorum, qui in scholas suas non admittebant quidquam, nisi quod ipsi uel genuissent, uel suo iudicio hinc inde decerptum corrasissent.

Posterioribus annis in Academia priuatim docendo sese sustentauit, commode & liberaliter, idq; tum factu non fuit difficile.

Tanto enim flagrauit discendi studio ætas illa, ut cum magna esset raritas rectè eruditorum, si qui reperirentur, qui melioris doctrinæ instaurationem ac propagationem adiuuarent, ij multa mercede conducerentur & cumularentur præmijs. Enarrauit autem præter Ciceronis scripta, quibus multum operæ & curæ impendit, Paulinas Epistolas Græcas, non tam linguae, quam doctrinæ causa, cuius fundamenta his Magistris & instauratoribus, quos *DEVS* excitarat, cupiebat integre cognoscere

cognoscere. Neq; ab illo tempore deinceps unquam  
 studium doctrine sacre de manibus deposuit. Nam  
 abductus ex Academia, autoritate & consilio uiri  
 optimi & integerrimi, GEORGII HEL-  
 MERICI, cuius excellens fuit doctrina & pru-  
 dentia, ad restitutionem scholæ Goltpergensis,  
 quæ collapsa erat, post discessum Hieronymi VVil-  
 debergij uiri clarissimi, qui ante paucos annos in  
 Borussia mortuus est, annis plenus, Centesimum  
 enim attigisse putatur.

Eò ergo abductus, cum non subito schola auge-  
 retur, rebus mutatione doctrine ac rituum turba-  
 tis ac fluctuantibus, & collega à pulueribus scho-  
 lasticis ad rempublicam accessisset, ipse omne tem-  
 pus tribuit disputationi, commentationi, collationi  
 sententiarum, cum amicis de suscepta religionis  
 emendatione.

Inciderat tum forte certamen Doctori Ioanni  
 Hesso, Theologo præstanti, in urbe Vratislauiæ,  
 cum Monachis & sacerdotibus eius loci, quorum  
 Princeps erat quidam Doctor Sporus, id ad di-  
 sputationem deuenerat. HESSVS congressurus  
 cum aduersarijs, ne solus rem tantam audere uide-  
 retur fiducia quadam uel ingenij uel doctrine,  
 præ multis alijs Trocedorffium sibi adiunxit, tan-  
 quam paratiorem cæteris ad conflictum, & à sub-  
 sidijs necessarijs instructiorem. Cumq; libros Bi-  
 blicos amicis distribuisset, qui ad citata attende-  
 rent, iudicio Trocedorffij tantum tribuit, ut ab eo  
 solo

Solo textus, qui proferrentur, in fontibus Græcis  
& Hebraicis, inspici ac considerari uoluerit.

Eodem tempore innouata religionis occasio-  
ne Stenckfeldius & nonnulli alij, quos propter ob-  
scuritatem nominis consulto prætereo, sparserant  
in urbe Lignicensi semina fanatici ac pestilentis  
delirij, quod deinceps actis paulatim radicibus, non  
Silesiam solam, sed multas alias Germaniæ, ac præ-  
cipue nonnullas Sueuicæ partes, infecit. Tum uero  
& Principis in ea urbe animum occuparat. Huic  
delirio, cum primus sese opposuisset, & acriter re-  
stitisset penè solus Trocedorffius aliquandiu, et tan-  
dem in secretioribus colloquijs Principem pertinaciter  
diu reluctantem, euidentia testimoniorum sa-  
crorum, nonnihil flexisset, obtinuit, ut ab eo contra  
fanaticos accerferentur, tanquam ad Academiam,  
quam conditurus esset, uiri docti ex hac Academia,  
inter quos fuerunt Bernardus Ziglerus, quem ex-  
celluisse peritia linguæ Hebrææ meminimus omnes,  
Cordatus & nonnulli alij circiter annum à nato  
Christo 1527. Hi cum non autores solum fanatici  
dogmatis, sed & patronos horum experirentur op-  
piniones semel conceptas mordicus retinere, &  
emendationem futuram esse difficilem: Etsi pertu-  
lerunt aliquandiu aduersantium oppugnationes,  
nonnullos etiam ex his summouerunt, aliquos  
in sententiam traduxerunt saniozem, tandem ta-  
men cesserunt acerbitati & importunitati ce-  
terorum, quos intelligebant tolli difficulter posse.  
SOLUS

Solus Trocedorffius in statione perstitit, & ictus telaq; sustinuit illorum, eo usque, donec deuicto & expugnato Principis animo, perfecit ut perniciosum dogma radicitus extirparetur, auctoribus dimissis.

Præcipuam in hoc negotio aiebat fuisse auctoritatem Lutheri, quanquam multos Princeps consulisset, præsertim postquam impetrasset, ut Stenckfeldius huc ad colloquium cum Luthero mitteretur.

Redijt & ipse in Academiam anno proximo ante conuentum Augustanum, & hoc peracto, Goltbergensibus, autore & impulsore Helmerico, quem supra nominavi, sollicitè ac pene suppliciter eum ad instaurationem scholæ suæ inuitantibus, his obsequutus propter amicum ueterem, recepit se ex Academia Goltbergam, anno tricesimo primo, & scholæ gubernationem denuo, sed prosperiore quam antea fato ac successu adiit. Quod enim fama nominis ipsius Silesiam compleuisset totam multo antè, cito magna scholasticorum, multitudo ex omnibus locis eo confluit.

Nunc reliquam uitam eius pertexam, quam in scholæ administratione consumpsit. Etsi autem ex priuata uita cõmemorare possem præclara exempla plurimarum uirtutum, congruentium ad totum ordinem Decalogi, ut ardentis pietatis erga Deum, seriæ & assidue inuocationis, uigilantiæ, sedulitatis ac constantiæ in uocatione laboriosissi-

ma, & plena molestiarum, addo etiam plena insidiarum Diaboli, non simulata castitatis, sobrietatis, beneficentiae erga pauperes, quae fuit eximia, φιλοσοφίας erga scholasticos, quos tanquam ex se natos complectebatur ac fouebat: tamen de schola praecipue dicam, quia publica illustriora sunt priuatis, & prodest exemplum extare ad posteritatem. Celebrantur à grauitate ac seueritate disciplinae scholae ueteres, Rhodia, & Massiliensis, sed si nata ex Ecclesia, & ad aeternitatem spectantia scholarum ornamenta, si ueros disciplinae neruos pluris facimus, quam euanidam sapientiam Ethnicorum, longè hanc illis antecelluisse assentiamur. Erat enim prorsus similis, ut dixi, optime constituta politiae, & legibus, doctrina atque alijs honestis exercitijs, praeclearissime sancita, ad hunc finem, ut adolescentia à teneris imbuta sanctis de Deo sententijs, flecteretur ad timorem & inuocationem Dei, ut disceret elementa literarum atque artium necessariorum Ecclesiae, & communium hominum societati, ut arctiore disciplina uelut cicurata mansuesceret, & assuefieret ad communia honesta officia publica ac priuata.

Cœtum uniuersum qui numerosus erat, sed ingenijs dissimilis, distinxerat ueteri Attico & Romano more in classes sex, Classes in tribus certas. Classibus singulis pro captu ingeniorum, sua destinarat studia, quae assidue repetebat & urgebat  
citra

citra defatigationem eadem per eadem declāran-  
 do. Superiores classes ipse docebat, primis aliquot  
 annis solus, sequentibus cum etas & opera cre-  
 uissent, auxilio collegarum, quos asciuerat, infe-  
 riores erudiebat per discipulos natu grandiores,  
 quos exercere ingenia ac profectus suos hac occa-  
 sione uolebat, in ijs, quæ etati puerili conueniunt,  
 Profectiores exercebat in fundamentis doctrinæ  
 sacræ, hæc enim præcipua cura ac diligentia in-  
 culcabat, in usu linguæ utriusq; latinæ & græcæ,  
 & ijs artibus, quæ formandæ orationis & regen-  
 dæ ratiocinationis causa traduntur. Quare &  
 dialecticam nunquam intermittebat, & Vergilij  
 pœmata ac Ciceronis familiares Epistolas in ma-  
 nibus scholasticorum perpetuò esse uolebat, &  
 præter has ex interuallis, Ciceronis officia & ora-  
 tiones eiusdem, nonnunquam & Liuianas enar-  
 rabat, ut ad Rhetorica etiam exercitia paulatim  
 traduceretur iuuentus. Ad græca elementa Iso-  
 cratis scripta addebat & Paulinas Epistolas. Et  
 quanquam singulis diebus, horam unam repetitio-  
 ni publicæ tribueret: tamen ut acueret atten-  
 tionem & diligentiam in auditoribus, semper  
 prælectionibus miscebat examina, questionibus  
 motis aut argumentis, quæ fere ex Ethnica aut sa-  
 cræ doctrina sumebat, aut propositis sententijs,  
 uel aliquo loco communi, quo fiebat, ut simul &  
 Dialecticarum præceptionum usum conspicerent  
 adolescentes, & res ipsas nosse atque intelligere

consuescerent. Argumentorum & questionum explicationes, uel ipse instituebat, uel exigebat ab aliquo ex auditoribus, quos cum requireret, declarationes uberioribus, & ex fontibus petitas, præmonebat ante publicæ prælectionis tempus. Ita in singulas etiam septimanas bina styli exercitia instituerat, alterum in oratione soluta, alterum in carmine. His tertium argumentandi addiderat, cui aderat & præerat, Thematis in disputationem propositis.

Materiam scriptis suppeditabat aliàs sacram aliàs Philosophicā, Sed ociosam aut ieiunam nunquā. Scripta quidem publice exigebat à singulis atq; inspiciebat, ut diligentiam exploraret suorum. Sed raro perlegebat, quod tempus non suppeteret. Quæ uerò formandi styli causa monenda erant, ea seorsim accersitis ad se singulis, ubi commodum erat, exponebat priuatim accuratè, & de iisdem sæpe publicè monebat.

Sed præter hanc scribendi disputandiq; & præter quotidianam latine loquendi consuetudinem, occasiones iisdem exercitijs præbebant plures aliæ constitutiones, disciplinæ causa introductæ, de quibus historia gubernationis monebit. De qua priusquam perrexero dicere, hoc dissimulare non possum, Videri mihi gubernationem tantæ multitudinis ideo etiam faciliorem illi fuisse, quod & in pauca eam contraxerat, & aptissimo ordine gradus officiorum, quibus utebatur distinxe-

rat,

rat, Id uero singularis erat prudentiæ. Nam foelicitatem taceo, quæ prorsus erat diuina.

Vniuerso enim coetui præerat ipse tanquam ἀυτοκράτωρ. Sed tot Ephoris utebatur, ut in tanto agmine nulli manenti in statione, & intra metas, ullo uel loco uel tempore sui deessent custodes atque censores. Quos ergo domesticæ discipline ἐπιμελητάς & custodes constituerat, eos œconomos: Quos morum censores, & quasi harmonistas inter ὁμοῦζα ᾄδοντες designarat, hos Ephoros, & inspectores: quibus id negotij dederat, ut in conuentibus publicis, qui lectionum, sacrorum, aut disputationum causa fiebant, obseruarent contri-  
bules suos, hos quæstores nominabat.

Oeconomorum munus erat curare & prestare, ut domestica quisq; officia rectè faceret. Hi cum mane surgendum esset, tintinabuli pulsus excitabant cæteros, paulò post hostiatim circumueuntes, nondum progressos excutiebant, cæteros impellebant, ut ritè induti ablutiq; properarent communes ad preces, quas præcipua cura ac seueritate flagitabat & urgebat. Iidem & ad lectiones conuocabant agmen scholasticum signo dato, & à prandio ubi præterijisset tempus quod laxationibus animi honestis concessum erat, conclauia perlustrabant singula, num purgata illa essent, ut decebat, num lecti strati essent, uestimèta extersa, supellex munda & composita, num ad locum & ad operas quisq; suas redijisset, Prouidebant etiam



ac præstabant, ne qui tumultuarentur, aut componerent, aut fabulationibus intempestiuis uel musicæ exercitijs alieno tempore turbarent studia uiciorum. Somni tempore appetente, postquam preces recitatae essent, scholæ foribus conclusis atque obseratis, eodem signo ad lectum quenquam suum reuocabant. Cumq; de singulis inquisiissent hostiatim, silentium imperabant. Nec citius ipsi se quieti dabant, quam consiluisse omnia ubiq; animaduertissent. Horum cum plures essent, in pluribus ac diuersis contubernijs, cæteri ad unum, qui præcipuus erat, referebant, de suæ fidei commissis, quid fieret. Hic renunciabat præceptori qui nonnunquam Oeconomis aderat, nonnunquam multo post, aut in uniuersos ipse inquirebat, aut de ijs sciscitabatur solis, quos de nocturnis euagationibus ac discursationibus suspectos habebat.

Ephoris subiecti erant Dyscophori. Hi mensæ ministrabant, idq; ordine singuli hebdomadatim faciebant. Ephori magistri erant illius partis discipline scholasticæ, quæ exigit mundiciem, elegantiam & modestiam in mensa, ac leges quæ de his præcipiebant exequiebantur. Cumq; gererent munus commendatum autoritate publica, cæteri eos non minus, quam ipsum præceptorem reuerebantur. Hunc sublata mensa abeuntem cuncti sequebantur e uestigio, nec commorari diutius cuiquam, nec ante datum signum licebat reuerti. Volebat

bat autem succinctos accumbere singulos, ut astrictus ac uelut uinctus uenter minus impleretur atque oneraretur cibi sarcina, ingenij & ualitudinis causa.

Quæstores operarum publicarum erant ἐργασίωντων. Singulis autem tribubus sui præerant quæstores, qui uni supremo suberant ac parebant. Illi hebdomadatim creabantur, & sese magistratu solenniter publica oratione abdicabant. Horum munus menstruum erat, Ad hunc cæteri referebant, Si qui ex contribulibus uel à lectionibus uel à sacris publicis, uel à uespertinis disputationum exercitijs abfuissent. Nam ad quæstores pertinebat, cogere contribules, ad obeundas assidue ac sedulo publicas preces & lectiones, Absentes uero notare atque indicare. Themata item questionum uel argumentorum proponere, de quibus à cæna, per horæ dimidiæ spacium, inter se contribules conferebant, Vno interrogante. Si quos ex œconomis aut quæstoribus uel negligentes esse in commisso munere, uel suis conuiuere, aut cum ijs colludere deprehendebat, in tales ut præuaricatores grauissime animaduertebat.

Rebus sic constitutis, qui contra leges, mores, instituta scholæ deliquerat, aut contra officium fecerat, indicabatur præceptori. De huius sententia ad pœnam corporis aut mulctam condemnabatur, uel à Magistratu scholastico uocabatur in iudicium ad dicendam causam.

De Magistratu res sic se habet. Creabat consulem mensibus singulis è coetu scholastico, cui adiungebat Senatores duodecim: Censores bimos. Illi Consuli causas cognoscenti assidebant, quorum si quis aliquid admittebat indignum ordine illo, Senatu mouebatur.

Censores Magistri erant morum ac disciplinae in uijs & congressibus publicis, ut in incessu, gestu, sermone, & tota corporis actione prestaretur à scholasticis modestia ordinem decens.

Quibus uero iudicium publicum subeundum erat, his dies dicebatur octiduo ante, ut praeditati accederent. Non enim aut scenicum aut theatricum spectaculum exhibebatur, sed res agebatur seria, cum ea, quae publicis iudicijs conuenit solennitate ac seueritate. Senatus solo ac circumscripto loco intra determinatum circumfidebat, quem transcendere nemini licebat. Circumstabat agmen reliquum intentum in rem praesentem, cum uerecundia & modestia rei tante conueniente. In medio agmine consistebat Dictator perpetuus. Reus à reliquo coetu separatus, spectante & audiente tota corona, accusabatur. Partes accusatoris ipse quandoque agebat, nonnunquam eas demandabat uni ex scholasticis, praesertim si quid commissum erat contra leges aut bonos mores. Reus iussus respondere, prius enim fari non licebat, si uel culpam diluisset iusta excusatione, uel agnita culpa, deprecatione usus, diligenti-

ligentiam suam oratione probasset confessui, absoluebatur, sententias rogante consule, & quod decretum erat pronunciante. Si ignauiae index esset negligens oratio, quam quisq; suo Marte componere oportebat, condemnabatur uel in leui culpa.

Magna seueritate & grauitate deinceps ipse dictas sententias repetebat, exaggerabat, & exequabatur. Instituerat autem iudicia hoc potissimum consilio, ut adolescentes à teneris considerare dignitatem ordinis politici, & magistratus ac iudicia, tanquam Dei opus, reuereri consuescerent. Nam ut pietatem erga Deum uoce doctrinae & precum exercitijs, sic reuerentiam erga ordinem politicum spectaculis iudiciorum publicorum tenellis animis inseri oportere atq; infigi censebat. Nec minus ei curae erat fingere mores unicuiusq;, quam excolere pectus doctrina. Commemorandae hoc in loco erant & Panegyres, quas more Graeciae ueteris peculiari quadam festiuitate celebrabat. In his enim recitabantur à scholasticis orationes latinae certatim, et coronabantur cum praeconio publico, qui uicissent, ut olim in certaminibus Olympicis. Haec spectacula animos non prorsus aut ueternosos aut à cupiditate gloriae alienos, uehementer accendebant et incitabant. Nec dissimulanda prorsus erant corporis exercitia, quae etsi non tam urgebat, quam permittebat, tamen spectator esse plerunq; cum aut palestra exerceretur

aut cursu certaretur, atq; agilitatem uniuscuiusq; obseruare, & collaudare alacres atque excitatos, uituperare ignauos aut distortos solebat. Sed & hæc & alia pene infinita persequi neque temporis ratio patitur, neq; instituti est nostri.

Ad hunc modum scholam ille suam gubernauit annos plurimos. Sed in extremo actu infelix fuit, labefactata disciplina, Diaboli insidijs & impulsu, & crescente petulantia ac malitia ingeniorum, fato quodam effectæ huius ac delyræ senectæ mundi, in qua ruunt ceu impetu quodam precipitata, bene constituta omnia, & collabuntur atq; intereunt honestæ artes atq; disciplina, quidquid contra moliamur atque conemur. Accesserunt ad domesticas calamitates mala publica. Nam cum dissipatam seuissimam pestem scholam uix uelut fractas è naufragio tabulas recollegisset & instaurasset, subito incendio totum conflagrauit oppidum, in quo ædificia scholæ simul perierunt, sed nulli scholasticorum quidquam accidit. Hoc beneficium custodiæ sanctorum angelorum tribuebat, à quibus improuidum & curiosum agmen ereptum ex circumfuso incendio ac mirandis modis seruatum esset.

Post eam cladem quam grauissime tulit, cum agmine scholastico secessit in exilium, in quo dum occupatur colligendis sumptibus ad ædificia partim renouanda, partim sarcienda, sed de assiduis operis scholasticis nihil tamen remittit, fractus  
ante

ante aetate ac laboribus, & recentibus doloribus  
& curis magis languefactus, opprimitur subita  
Apoplexia inter docendum, cum enarrare cœpisset  
Psalmum 23. Dominus pastor meus est 6. Ca-  
lendarum Maij, Anno 1556. postquam annum  
attigisset sexagesimum septimum.

Hoc exitu uitam cœlibem & innocentem in  
terris clausit Trocedorffius, anima cum Psalmi  
precatione emissa, & Deo conditori reddita, inter  
sanctissima opera uocationis. Congruit in eum ue-  
rissime Encomium, quo ornasse Epicharmum scri-  
bitur antiquitas, ὅλλα γὰρ πότῃσιν ὄσαρ παῖ-  
σιρ εἶπε χησιμα, μεγάλη χάρις αὐτῶ, Qua-  
re cum in Ecclesiam extent merita eius præclara  
& plurima, & totus uite cursus seruiert gloriæ  
Dei, & communi utilitati, agnoscamus eum fuis-  
se organum salutare, excitatum & gubernatum  
diuinitus, ad has operas, quæ rudem adolescentiam  
deduxerunt ad agnitionem Dei & aliarum rerum  
bonarum, atque accenderunt pietatis & uirtutis  
studia.

Agamus ergo Deo gratias quod & talem de-  
derit Ecclesiæ Doctorem, & labores eius guber-  
narit ac fortunarit, ut essent salutare multis. Pe-  
tamus etiam ardentibus uotis, ut tales multos sup-  
peditet uiros, quorum ministerio, & Ecclesia col-  
ligatur inter nos, celebratura ipsum in tota eter-  
nitate, & conseruentur necessaria studia doctri-  
narum.

Te ergo omnipotens, æterne, uere Deus, æterno pater Domini nostri Iesu Christi oro, ut serues & protegas Ecclesias in his terris, nec sinas extingui lucem doctrinarum, aut uastationes effici bellis ciuilibus uel externis, per & propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

## COMMENDATIO.

**S**pectabilis D. Decane, procancellarie dignissime, uel unus, de quo uerba fecisti Trocedorffius exemplo est, quot & quantis ornatum uirtutibus, & quibus adminiculis ac præsijs alijs oporteat esse instructum eum, qui adolescentum debet formare ingenia, & fingere ac regere mores, & quantum talis uiri labores conferant ac præstent communi hominum societati, quanquam pene nullius est munus atque professio contemptior inter homines. Deniq; quam necessarie sint scholæ & literarum studia. Vt magna legum & doctrinarum, magna scholasticæ uitæ, quanquam umbratilis, & militiæ similitudo est, ita non minus doctori in schola, quam aut gubernatori, in publica, aut duci bono in acie, opus est, præter Repræsidentularum rerum, dexteritate quadam iudicij ac sagacitate, eruditione, prudentia, quodam animi robore atque constantia in uocationis operis urgendis, in perferendis iniurijs ac molestijs, quæ obijciuntur.

ijciuntur infinitæ, atque in contemnenda ingrati-  
 tudine, tolerantia laborum, uigilantia ac seduli-  
 tate, ac præter hæc, autoritate & felicitate singu-  
 lari, quæ cum conferantur & gubernentur diui-  
 nitus ut recte dixisti, precatione etiam assidua atq;  
 ardente opus est, qua à Deo petantur et expecten-  
 tur successus. Recte Plato & iustos esse Philoso-  
 phos asserit, etsi enim ad reipublicæ administra-  
 tionem non accedunt: tamen cum iusticia sit suum  
 quenq; officium facere, & fructum eius officij suo  
 loco conferre ad communem salutem generis hu-  
 mani, id maximè faciunt philosophi & doctores  
 in scholis, qui religiones, rerum naturalium cau-  
 sas, omnium honestorum officiorum leges inqui-  
 runt & explicant, & has res diuinas cæteris im-  
 pertiunt, qui artes illustrant, mandant literis res  
 gestas, enarrant historias, præparant ingenia, ad  
 alias artes maiores, ad Ecclesiam, ad rempublicam.  
 Non gessit magistratus Isocrates, sed consilijs suis  
 gubernauit Imperatorem laudatissimum Timothe-  
 um, & formauit multorum ingenia, qui postea in  
 republica principes extiterunt. Nec magis de uita  
 hominum meritis est Æschines orator quam Ari-  
 stoteles, qui etsi nec magistratus gessit, nec causas  
 egit: tamen Alexandrum, & multos alios princi-  
 pes docuit sapientiam, & finxit ac assuesecit ad  
 iusticiam & beneficentiam. Errant qui ad stiuam  
 nasci, aut in stabulis educari, uel gubernatores uel  
 duces bonos ac sapientes credunt. Errant qui re-  
 timeri



tineri ac defendi pacem ac tranquillitatem publicam putant sola militarium consiliorum & uirtutis bellicae ac manuum promptitudine. Sed qui utrunq; coniunxit, qui est Ἀμφότερον, θέρων ἄρ' ἄρ' ἐπὶ νουαλίῳ θεοῖο, καὶ μούσῳ ἄρ' ἐρατῶν δ' ὄρον ἐπισάμω. Et qui Marte ualet, Musarum & munere praestat. Quales fuerunt Monarchae omni tempore, qui imperia constituerunt, Cyrus, Alexander, Caesar, Carolus Magnus: hic excellit. Maior tamen politicae sapientiae quam bellicae uirtutis laus est, quod potior pacis quam belli cura esse debet. Recte Euripides coronandos censet sapientes & iustos, non qui bella attrahere aut accendere, sed dirimere ac sopire norunt, ἄνδρας, inquit, ἐχλῶ σοφοὺς τε καὶ ἀγαθοὺς, φύλλοις σεφέσθαι, ἧ ὥστις ἠγῆται πόλει, καὶ λίσσα σωφρωνῶν καὶ δίκου. ὧν ἄνθρωπος, ὅστις γε μύθων ἐργ' ἀπαλάλασσε κακῶν, μαχῶν τ' ἀφαιρῶν καὶ σάσσε, τοιαῦτα γὰρ πόλει τὲ πάσι & πάσι ἐλατῶν καλῶν. Oportet, inquit, uirum sapientem & bonum coronare frondibus, talis sit gubernator ciuitatis, moderatus & iustus, qui consilijs res perniciosas auertere & bella ac seditiones tollere nouit. Haec enim & ciuitati omni & toti Graeciae salutaria sunt.

Harum autem rerum initia, fundamenta, nerui, adferuntur ad rempublicam, non ex stabulis, sed ex scholis. Etsi autem educati extra scholas homines offeri plerumq; non solum contemnunt, sed.

sed etiam crudeliter oderunt literas, tanquam uin-  
 cula suarum cupiditatum, tamen horum iudicijs  
 non moueamur, plus ualeat apud bonos dignitas li-  
 terarum, & publica utilitas quam iniqua Centau-  
 rorum iudicia, quam odia Tyrannorum. Venere-  
 mur & magnificiamus scholas tanquam semina-  
 ria Ecclesie & reipublice, & fideles ac felices  
 scholarum gubernatores colamus tanquam orga-  
 na salutaria, missa diuinitus ad conseruationem ac  
 propagationem rerum maximarum in genere hu-  
 mano. Cui rei cum seruiat etiam hæc in scholis con-  
 suetudo, qua idoneis tribuuntur testimonia publi-  
 ca, de hac etiam reuerenter sentiamus & religio-  
 se eam conseruemus ac tueamur. Cum autem hisce  
 diebus explorata sit & comprobata à collegio no-  
 stro eruditio horum triginta octo honestorum &  
 doctorum uirorum, sitq; decretum ut ornentur pu-  
 blico testimonio doctrine, tibi eos diligenter com-  
 mendo petoq; collegij nostri nomine, ut autoritate  
 publica, qua in presentia fungeris crees et renun-  
 cies eos liberalium artium & Philosophie magi-  
 stros, Quo beneficio & collegium nostrum & can-  
 didatos ipsos tibi in perpetuum deuincies. Oro au-  
 tem Deum æternum patrem Domini nostri Iesu  
 Christi, ut totum cursum uite ipsorum ita guber-  
 net, ut seruiat gloriæ ipsius, & saluti communi ge-  
 neris humani. Regat etiam ac protegat hos alueo-  
 los nostros, ne uel externis uel domesticis bellis aut  
 docentium disidijs turbentur.

D I X I.

Responsio.

## RESPONSIO.

**D**octissime domine Magister Sebastiane, Colega & amice colende, si dignitatem ordinis scholastici, & huius nostræ militiæ literariæ multi in hunc modum considerarent, diligentius sese ad scholarum gubernationem prepararent. Certum est enim non bene iactis primis fundamentis omne reliquum quod superstruitur fragile esse atq; caducum, sed ut in hac parte peccetur in culpa est sepius uel negligentia, uel inscitia ac ruditas preceptorum. Qua de re, non institutam hoc in loco querelam, quia de his nostris candidatis, secus iudico, de quibus spem concepti non dubiam, magno usui eos atq; ornamento scholis, Ecclesiæ ac Reipublicæ futuros esse.

Quapropter fauco honoribus ac dignitati eorum, ac libenter tuæ petitioni assentior.

Quod ergo foelix faustumq; sit, & Ecclesiæ Christi ac Reipublicæ salutare, ego autoritate publica, qua in presentia fungor: Vos triginta octo honestos & doctos uiros liberalium artium, & Philosophie magistros creo & creatos renuntio: In nomine Patris & filij & Spiritus sancti. Et attribuo uobis omnia ornamenta & priuilegia quibus hic ordo à summis Principibus singulari consilio ornatus est.

DIXI.

Questio.

## QVÆSTIO.

**Q**uod iubeor facere, ut dicam aliquid hoc loco & tempore, in eo me studium & moderatationem meam probare decet clarissimis uiris Dominis Præceptoribus nostris. Hoc igitur officium meum ut approbent, & conatus tenuitatis meæ ut benignè ferant cum ea, qua par est submissione, ueneratione, atq; diligentia singulos & uniuersos oro, qui ad hanc Scholasticam festiuitatem conuenerunt. Cùm autem in talibus renunciationibus quæstiones proponi soleant, de rebus bonis & utilibus, quæ explicentur: in præsentia de quodam capite quæremus ex ijs, quæ hodie conuentionem Ecclesiarum nostrarum conuellunt: Recte ne doceatur nullam esse uoluntatis humanæ actionem in conuersione ad Deum: Sed hanc tantum habere se, ut subiectum patiens, & quidem repugnans Deo, Ideoq; expectandum ei esse donec diuinitus ad credendum cogatur? Ac primum recito argumentum, quo potissimum moueri audio anhelos illos diuinorum impulsuum captatores: Peccatum hærens in natura corrupta non solum est sèpnois illius Rectitudinis ac conformitatis cum Deo, quæ in creatione homini insita fuit: Sed est in toto subiecto horribilis destructio & omnium Virium hominis ἀδωραία summa: In mente & priuatio est lucis rectè agnoscentis Deum,

Et accessit insuper horribilis caligo, & multi tristes neui alij: In uoluntate & priuatio est conformitatis cum Deo, & accessit horrenda confusio illius harmoniæ, quæ antea fuerat dulcissima: In corde facta est ἀταξία & confusio appetitionum inenarrabilis, sicuti Paulus describens hæc uulnera, utitur tristissima uoce, qua tanquam fulmine perterrefactos. cohorrescere nos oportebat: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, nec subijcitur legi Dei, ac ne potest quidem.

Talis cum sit natura hominum, non est consentaneum aliquam eius actionem in conuersione esse posse, nisi à Deo impulsas sit uoluntas, ut credat uerbo & Deo obediat.

Hoc speciosum argumentum præcipuum esse uideo, quo tuentur se illi diuinorum impulsuum & coactionis defensores, ac concessa aliqua uoluntatis actione in apprehendendo uerbo, extenuari peccatum inquirunt, & deprauari terribile illud fulmen Pauli, quod rigidissimè illi expositum uolunt. Sed ut dubitem de Argumento hæc causa est. Non est quidem extenuandum peccatum, & deprauatio herens in natura, quia tristissima sunt omnia, de quibus loquitur argumentum, eaq; eiusmodi ut nullis humanis uiribus, nullo quantumuis difficili ac laborioso conatu tolli possint: Sed tamen à coactione illa & mora expectante diuinus impulsus abhorreere pias mentes iustissimum est, quia innumerabilia sunt mandata, quæ seuerissimè  
præ-

precipiunt credi uerbo promissionis nobis tradito, Hæc omnia prorsus essent inania, si adflatus de cælo expectandi sunt, quibus ad credendum cogaris.

Sed Sophisticen uniuersam, qua se Enthusiastæ hac in causa inuoluunt etas nostra comprehendere non potest, Ideo oppono absurda, quæ coactionem sequuntur horribilia, & sunt aliquanto conspectiora, quàm ut ullo Sophisticis inuolucro tegi possint. Primum enim confirmatur prophanitas maxime multitudinis, quæ hoc prætextu se tuebitur, quod expectet raptus etiamsi furoribus omnibus indulgeat, postea remoratur conuersionem etiam in his qui non sunt prorsus hæretici aut prophani: Extinguit & consolationem Euangelij propriam, & abducit mentes à uerbo Dei ad querendam puritatem propriam, quam isti specioso titulo motuum diuinorum ornant, cum fides accedat ad Deum innixa uerbo Dei, non motibus diuinis, aut puritati propriæ. Postremo confirmat dubitationem prohibitam mandatis innumerabilibus, quale hoc est 1. Iohannis 4. Qui non credit Deo, mendacem eum facit.

Hæc omnia cum sint manifestissima, abhorreo toto pectore ab illa expectatione coactionis, ac regulam ueram esse iudico, quam Ecclesiæ nostræ tradunt: Audientes uocem uerbi Dei Legis & Euangelij uelimus obedientiam, & petamus auxilium. Hoc posse hominem, qui sanatur uerbo, non

dubito, & sic fit conuersio & non aliter, sicut in Apocalipsi dicitur: Sto ad ostium & pulso, si quis audit uocem meam & aperit ianuam, ingrediar ad eum, & Iohannis 6. Qui audit à me, & discit, hic uenit ad me. Sed fateor me hanc de tantis rebus questionem non posse explicare: Ideo oro Reuerendum & clarissimum uirum D. Doctorem Paulum Crellium, ut me & alios doceat, & fundamenta explicationis monstrat.

## RESPONSIO AD QVÆSTIONEM.

**S**æpe testati sumus, & testamur, amplecti ac retinere nos doctrinam de omnibus fidei Christianæ Articulis integram & incorruptam. Et non intelligere hanc aliter, quam sicut uoce diuina traditur & enarratur. Et constanter perseuerare nos in sententia orthodoxa, exposita ac comprehensa in confessione Augustæ exhibita Imperatori Carolo Anno 1530. Ad quam & uos nunc obligati estis omnes ac singuli, Ac Deo iuuantente sententiam et Confessionem hanc nunquam in uita nostra abijciemus aut deseremus. Sed quid his testificationibus nostris proficiamus, aut profecerint hactenus patres ac præceptores nostri carissimi questio ostendit quam proposuisti, de qua una nunc acerbissime & atrocissime accusamur ab ijs, qui ex Ecclesiarum nostrarum sinu egressi,

egressi, & sine culpa nostra hostes nobis facti sunt ἀποδοῖοι & implacabiles. Nec obscurum est quanto illa conatu ac uehementia, & olim agitata sit, & nunc propugnetur. Cumq; non desinant nos propter hanc criminari ac traducere atrocissime Enthusiastæ ac Sycophantæ Βλακικοὶ non moleste fero de hac ipsa queri à te, Ac sententiam de ea nostram quam plurimis notam esse, ac sepe repeti, & necessarium, & utile esse iudico, ad refutandam, aut leniendam, certè apud bonos & intelligentes criminationum illarum maleuolentiam & acerbiteriam quibus passim deformamur. Etsi simul uideo non posse hoc & loco & tempore causam totam ita exponi, quemadmodum magnitudo eius requirit.

Ac primum omnium asseuerationem, de qua initio dixi, repeto iterum, constanter nos amplecti ac retinere Confessionis Augustanæ sententiam, cum de reliquis Articulis omnibus, tum de hoc ipso, cuius à te in quæstione mentio facta est. Ac uera me dicere testaturos spero honestorum & piorum omnium oculos qui scripta Præceptorum nostrorum legunt ac legerunt. Et uos omnes, qui in Schola & Templo docentes nos auditis.

Nequaquam Pelagiani aut Monachi sumus, qui peccatum Originis & illa tristia mala, quæ lapsus primorum hominum secuta sunt, extenuamus aut contemnimus: Sed miseriarum & malorum molem maiorem & tristiore esse adfirmamus,



manus, quam quæ ullius hominis aut etiam Angelî  
sapientia & eloquentia comprehendî & exprimi  
possit.

Itaq; argumenti illius, quod recitasti, & rectè  
iudicas præcipuum ac summum esse eorum, qui  
nos accusant ac criminantur: Eius inquam ex-  
aggeratio tragica, quæ passim utuntur, nobis non  
erat opponenda, sed Pelagianis & Monachis. Ne-  
quaquam enim dicimus aut sentimus peccatum  
Originis tantum reatum esse propter Ade lap-  
sum, Nec, ut Monachi, tenebras tristissimas in  
mente, auersionem & ἀταξίαν in uoluntate &  
corde, dicimus poenas tantum esse peccati Origi-  
nis, nec esse res pugnantes cum Lege Dei. Sed cer-  
tò eas & poenas primi lapsus, & peccata in sin-  
gulis nascentibus esse adfirmamus. Nullo etiam  
modo imaginamur, hoc tantum in natura huma-  
na malum, & in omnes homines propagatum  
morbum, esse in hac uita instar accidentis separa-  
bilis, quod à natura hominis nostro arbitrio &  
nostris uiribus, tolli ac separari possit, ut passim  
nos Sycophantæ illi falsè derident, inculcatione  
amissæ imaginis Dei, quam inquit non fuisse in-  
star Coronæ, quæ capiti uirginis pro arbitrio im-  
ponitur aut adimitur.

Memimus nos quoq; , quod Augustinus ima-  
ginem Dei intelligat de ipsa substantia animæ,  
mentis, & uoluntatis, nec reprehendimus hanc  
sententiam. Sed complectimur nos cum substantia

Et ipsa dona, seu ut usitate nominant, uirtutes in singulis animæ potentijs, congruentes cum mente diuina: In mente lucem de Deo Et noticiam legis, Et firmam assensionem acquiescentem in Deo. In uoluntate Et corde rectitudinem ac conformitatem cum uoluntate Dei, Et copulationem omnium uirtutum, Et deniq; libertatem uoluntatis talem, quæ sine ulla contumacia inferiorum uirium poterat Legi Dei obedire.

Hæc dona omnia complectimur appellatione imaginis, sicuti Et Paulus imaginem non de sola deprauata substantia intelligit, sed de ea, in qua lucent uirtutes, congruentes cum mente diuina.

Illæ uero dona fuisse ab ipsa substantia animæ, mentis Et uoluntatis distincta Et separabilia, lapsus ostendit, quo dona illa amissa sunt, manente ac retenta animæ, mentis Et uoluntatis substantia. Huius autem, ut naturæ intelligentis Et liberæ, cum aliæ sunt actiones, effectiones Et motus, quam corporum aut rerum brutarum, aut aliarum quarumcunq;, sine iudicio Et deliberatione, naturaliter Et uniformiter tantum agentium, Nequaquam sequitur simpliciter, propter deprauationem, quæ accessit, conuersionem hominis esse tanquam trunci ociosi, aut repugnantis Et inuiti. Nec enim coherent illa: amissa est in potentijs animæ similitudo Et conformitas cum Deo: Ergo nullæ sunt harum actiones, effectiones ac motus. Item conuertitur homo lapsus ac peccati la-

be corruptus, ergo repugnans conuertitur. Distincta enim & diuersa cum sint, morbi & peccati originalis Locus, ut sic loquar, seu subiectum ipsum habens actiones sibi proprias ac peculiare, in quo subiecto heret malum, & deinde morbus ipse, seu defectus in subiecto, propter quem subiectum reijcitur, ut aliud sunt rudera seu partes ædificij dissipati, Aliud ipsa ædificij seu formæ destructio ac dissipatio. Item, ut aliud est membrum in corpore hominis, aliud morbus aut uulnus in membro hærens. Sic inquam cum distincta sint, peccatum, & summæ potentiæ hominis, in quibus peccatum esse dicimus, prudenter retinendum erat hoc discrimen, & considerandum, quomodo naturæ deprauatæ & inquinatæ fiat sanatio & instauratio.

Nam noticiæ nouæ, quæ de Deo, de iudicio Dei aduersus peccatum, & rursus de misericordia eius, uniuersaliter & gratuito recipiente ad filium confugientes, & aliæ similes, in mente accenduntur per uerbum & Spiritum sanctum, non sic imprimuntur menti, ut ceræ sigillum inprimitur, aut ut radij solares in dolium sparguntur, aut parti corporis stigma aliquod inuritur, sed accenduntur eo modo, qui naturæ et actionibus mentis competit, & proprius est ex creatione. Et cum accense sunt, non sic in mente retinentur aut manent, quemadmodum uinum in dolium infusum retinetur, aut ut in corpore cicatrix & uestigia

ex uulnere, aut in usto stigmate manent, Sed ut accense sunt, ita manent ac retinentur in mentibus, eo modo, qui actionibus menti competentibus & proprijs congruit. Ita cum in uoluntate & corde serius & uerus timor Dei, cum fiducia misericordie non simulata, cum ardens dilectio Dei, cum letitia in Deo, cum spes, patientia, aut alie uirtutes, accenduntur: Non fit hoc, ut si ceram manu tractes & liquefacias, aut ut herbe & medicamenta humores in corpore trahunt, aut ut corpora igne calefiunt, ut frigore obrigescunt. Multo minus ita haec fiunt, ac si lignum nodosum & distortum, sculptor quispiam formet, Aut eques recalcitrantem & furentem equum frenis et calcaribus mansuefaciat, Sed ut de prima de summa animae potentia, de mente & intellectu, dictum est, Ita hic quoque in uoluntate & corde conuersio illa & regeneratio & noua immutatio, fit eo modo & ordine, qui actionibus & motibus uoluntatis & cordis proprius est, quiq; in hac quamuis deprauata, & peccato corrupta, atq; inquinata natura, tanquam Dei opus ex prima creatione reliquus est.

Ac quae sint illae actiones, effectiones & motus, mentis, uoluntatis & cordis proprii & naturales, non ex Physica tantum doctrina: Sed multis diuinis testimonijs, ostendere ac demonstrare facile esset, nisi & loci huius & temporis habenda esset ratio.

Perfpiciuè igitur, quid de modo conuerfionis & fanationis naturæ noſtræ ſtatuamus, argumẽto & quæſtioni tuæ reſpondeo. Nequaquam miſerrimæ naturæ noſtræ, aut uoluntatis uiribus, ſeu, ut uulgo loqui ſolent, libero hominis arbitrio, hanc magnam & excellentem dignitatem tribuimus, quod ſuis uiribus poſſit ſe applicare ad gratiam, Imò hoc non tribuimus, quod minus eſt, quod mens & uoluntas non renata, ſuis uiribus, ſine Spiritu ſancto poſſit aſſentiri promiſſioni Euangelij, aut inchoare interiorem obedientiam, placentem Deo. Nequaquam ſumus Pelagiani, qui finxerunt, nihil eſſe peccatum originis, & poſſe hominem, uiribus naturalibus, ſine Spiritu ſancto, ſi uelit, legi Dei ſatiſfacere, interiore & exteriori obedientia.

Exprefſe damnamus Pelagianos, & abhorreamus ab his blaſphemijs contumelioſis in filium Dei & Spiritum ſanctum, & delentibus ueram doctrinam de Lege, de peccato, de gratia & de beneficijs diuinis, quæ per Filium & Spiritum Sanctum nobis exhibentur. Ample etimur toto peccatore uocem Filij Dei: Si uos Filius liberauerit, uere liberi eritis, Et Pauli dicta: Qui Spiritu Dei ducuntur hi ſunt Filij Dei. Item, Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, & Deo gratias agimus pro his ſummis bonis, pro donato Filio & Spiritu ſancto.

Res maiores sunt tollere peccatum & mortem, quam quæ uiribus humanis, aut libero Arbitrio non renatorum sine Euangelio & sine Spiritu sancto tribui possint. Talis enim seu libertas seu facultas, si adhuc superesset in natura hominum non renatorum, quid opus esset Euangelio, filio Dei, aut Spiritu sancto? Itaq; & adfirmatiuam hanc nos amplecti ac retinere, diserte & sancte testamur. Solius Dei beneficium esse, non nostrarum uirium aut nostræ uoluntatis, quod conuertimur, sanamur & regeneramur. Quod à tristissima seruitute peccati & mortis per Filium & Spiritum sanctum liberamur, Quod accenditur in mentibus nostris, lux recte agnoscens Deum, firma assensio, uera fides, uerus timor Dei, ardens & seria dilectio Dei, & reliqua obedientia.

Ita uero utrumq; adfirmamus, ne hac assen-  
tatione deleamus aut destruamus, quæ in natura ho-  
minum, admiranda sapientia & inenarrabili bo-  
nitate Dei, non solum creata, sed etiam post tri-  
stissimum lapsum relicta sunt, ac quid intelliga-  
mus iam diximus, ipsam uidelicet mentis, uoluntatis  
& cordis in homine substantiam. Item actio-  
nes, effectiones, & motus harum potentiarum  
propriæ. Quod ut faciamus, hac grauissima &  
maxime necessaria ratione mouemur, quod Deus  
uult doceri homines, Et hoc modo solo, & non ali-  
ter, uult regenerare, sanare & conuertere Homi-  
nes,

nes, imò uult homines ordiri consolationem, & conuersionis certitudinem, non à regenerationis aut renouationis sensu, non uult homines pronunciare de se aut de uoluntate sua, secundum lucem illam nouam à se in mentibus accensam ac fulgentem, non secundum qualitates seu motus nouos in uoluntate & corde, non secundum læticiæ ac consolationis sensum, seu paruum, seu magnum, sed iuxta solum uerbum à se propositum, quod uult audiri, legi, cogitari & accipi fide.

Hæc cum sint certissima & indubitata, & in lectione, auditione, ac cogitatione uerbi, in quærenda consolatione à uerbo proposita, profecto homo non sit truncus, non possunt illæ ut sic nominem, naturales & congenitæ omnibus, mentis, uoluntatis & cordis actiones & motus quantumuis deprauati, inquinati & languefacti labe originali, deleri aut tolli ex natura. Et cum sint illæ in natura reliquæ, nequaquam dici potest, nec congruit secum in explicatione, conuerti hominem tanquam truncum ociosum, multo uero minus dici potest, conuerti inuitum & repugnantem.

Nihil hæc de impressione Nouitatis (nam hoc uerbo utuntur illi præstigiatores) imaginatio differt à Monachorum somnio, de iusticia seu gratia infusa, aut gratis data, & preparante ac formante hominem ad accipiendam gratiam, gratum postea facientem, ut de congruo & condigno homo iusti-

iustificetur. Nam etsi mollissime hæc paradoxa interpretaberis: Intelligi ea omnia, quæ de pure passiva & quidem repugnantium conuersione disputant, tanquam de alieno & donato beneficio, quod nostris uiribus non acquiratur, tamen nondum hoc dicitur, de quo Paulus et Ecclesiæ nostræ contendunt. Quomodo donatum beneficium accipiat & qua in re uoluntas, accipiens id, acquiescat, unde item certitudo sit, de qua maxime pauide & perterrefactæ mentes in ueris doloribus disputant.

Hic Paulus & Ecclesiæ nostræ multo aliter mentes erudiunt, beneficium inquirunt, alienum & gratuitum esse, quod per & propter Filium Dei mediatorem recipimur, sed hoc ea conditione propositum ac promissum esse, ut fide accipiat. Proponunt ergo pauifectis mentibus cum promissiones uniuersales, tum mandatum omnium summum, quo præcipitur, ut omnes & singuli propria fide oblatum beneficium accipiant, ut uerbum auditum, lectum & cogitatum non abijciant, non aspernentur, ut non indulgeant dubitationi aut diffidentie contra uerbum. Hoc cum faciunt hi qui ea ætate sunt ut doceri possint, non dubitant Ecclesiæ nostræ tales certo accipere promissum beneficium, & accipere id uolentes, non coactos. Accipere autem non liberi Arbitrij aut uoluntatis uiribus aut merito, sed ut donum Dei per filium & Spiritum sanctum, uoce Euangelij lecta, audita, cogitata, efficacis.

Hanc



Hanc ergo Euangelij uocem proponimus mentibus pauefactis & trepidantibus. Et ab hac ordiri eos processum uniuersum conuersionis, regenerationis, iustificationis & saluationis iubemus. In hac ipsa uoce etiam acquiescendum, atq; inde petendam esse certitudinem docemus. Nequaquam offundimus pavidis mentibus hoc quasi spectrum, se audiendo, legendo & cogitando uerbo, aut recitandis in inuocatione precibus, non alio cum fructu occupari aut fatigari, quam olim Iudaei occupati fuerint suarum traditionum obseruatione, aut non facere opus melius aut fructuosius, quam βαπτολογοι Monachi & Moniales, qui in templis libros sacros ut uerba & sonos non intellectos, demurmurent. Sed iubemus anxias mentes pronuntiare & statuere de Deo iuxta uerbum & promissionem Euangelij gratuitam & uniuersalem, quam affirmamus cum Paulo potentiam Dei esse ad salutem omni credenti. Non iubemus statuere, ut Monachi & hi Enthusiaste noui, secundum lucis aut nouitatis infuse uel impressae sensum, seu paruum, seu magnum, seu ardentem, seu languidum. Hunc enim sensum, qui Spiritus sancti opus est, affirmamus non anteuertere aut praecedere cogitationem & acceptationem uerbi, sed sequi certo & indubitate, quodcumq; mens in uerbo acquiescit, & eo se sustentat. Nam processus diuinus dissimilis est Physicis & humanis processibus. Medicus nihil adfirmat de remedij efficacit,

ficacia, nisi prius facto experimento: At uox diuina iubet homines pronunciare iuxta uerbum, & accedere ad Deum innixos uerbo, Postea sequi efficaciam & sensum consolationis dicit. Sicut hæc omnia Regula breuissima complexus est Paulus Rom: 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Item Rom. 10. Ex auditu fides est, auditus per uerbum Dei.

Nec præstigiæ ille, de trunco & impressione nouitatis, refutari melius aut rectius possunt, quam simpliciter opposito mandato hoc summo et immoto, quod à uerbo ordiendum & eo solo ad Deum accedendum est, à quo cum abducant homines hæc paradoxa portentosa de trunco & de repugnantia, ad imaginationem aliam, de querendis nouis in mente, uoluntate & corde motibus impressis, ut loquuntur, diuinitus, eueriti ac deleri omnem fidei & consolationis certitudinem non dubium est.

De repugnantia uero etiam conuersorū quam nihilo pertiniacius propugnant, una est perspicua responsio. Cum intelligamus conuersionem, non de uno tantū momento, aut de mutilo atq; imperfecto initio, sed duobus eā terminis includamus, Terminum uidelicet, à quo, & ad quē, ut discernere cōuersum et nō cōuersum possumus, Eamq; assiduo cōtinuē exercēdā esse, et certo exerceri in inuocatione uera dicamus, imō cū uices & incrementa eius sint, non fingimus hunc conuersum esse, in quo reliquæ peccati,

peccati, ita Spiritui & legi mentis repugnant, ut ipse regnent & captiuum hominem abripiant, ad excutiendam fidem & lapsus contra conscientiam. Sed in quo hæc ipsæ reliquæ contumaciter Spiritui aduersantes, à Spiritu mortificantur & sepeliuntur, ne regnent aut dominantur. Sed ut regnet Filius Dei & Spiritus sanctus, per uerbum in renato & conuerso habitans, Et ut uita conformis esse incipiat motibus, & efficacæ filij & Spiritus sancti, iuxta dicta Pauli: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, si actiones carnis spiritu mortificaueritis, uiuetis, Item mente seruo legi Dei &c. Itaq; propter multiplicem ambiguitatem neutrum horum paradoxorum recepimus, conuerti hominem repugnantem, aut habere se hominem in conuersione, & post conuersionem repugnatuè & hostiliter erga Deum. Nam etsi caro aliquatenus adhuc repugnat & aduersatur spiritui, tamen non sequitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, homo conuersus repugnat &c.

Sed abrumpo hæc δὲ σφραγῖς, Et prolixiorem totius controuersie explicationem alijs relinquo, & oro Filium Dei, fontem lucis & sapientiæ omnis, ut clementer nos regat, doceat, & certamina docentium sanet & tollat, Amen.

Oratio

## ORATIO AB EODEM

DECANO RECITATA CVM TRI-  
bueret testimonium primi in Philosophia gradus  
quatuordecim honestis adolescentibus stipen-  
diarijs Illustrissimi Principis, Ducis  
Saxonie AVGVSTI,  
Electoris, &c.

**A**Nnus iam alter agitur, quando de sententia  
collegij docentium Philosophiam in hac Aca-  
demia decretum fuit, ut restitueretur intermis-  
sa aliquandiu consuetudo, tribuendi publicè testi-  
monium doctrine, ijs, qui perceptis feliciter pri-  
mis artibus, quæ formandi sermonis ac regendæ  
ratiocinationis causa traduntur, & degustatis  
etiam aliquantulum reliquæ philosophiæ initijs,  
fundamenta iecissent firmissima ad eruditionem  
solidiorem. Huius consilij causæ, scripto fuerunt  
explicatæ ac propositæ publico.

Nec suspicari tunc potuisset quisquam ullos  
fore tam incogitantes, qui laudatissimam consue-  
tudinem ueterem sapienti consilio maiorum insti-  
tutam, legibus sancitam, diuq; cultam atq; usurpa-  
tam, & nostræ scholæ communem cum alijs Aca-  
demijs, qui studium huius reducendæ improbatu-  
ri essent, aut contentui habituri, uel etiam exagi-  
taturi, præsertim cum id agi, spectariq; cōstaret, ut  
inclinatis ad ruinam ac nutantibus studijs hoc eti-  
o o o am quasi

am quasi remedio, sicut nonnullis alijs, subueniretur, atq; consuleretur maturè priusquam euersa omnia, & proiecta penitus obrueret barbaries ex Illyrica illuue nata. Sed hanc de more antiquo reuocando uoluntatis optimæ significationem, quomodo exceperint corruptissima seculi nostri iudicia non libet meminisse, & referre pudet. Sequutum est deinceps, ut cum noua donatione illustrissimi Principis Electoris & Ducis Saxonie, & Domini nostri clementissimi, Academia aueretur, qua alerentur, & educarentur, qui seruirent olim Ecclesie & Reipublice, ut ergo in ea donatione, ij, qui frui uellent munificentie illustrissimæ beneficijs, iuberentur secundum leges, & uti conuenit, ordine discere artes necessarias, & de confectis distinctarum classium studijs petere testimonia à præceptoribus publica. Ad hanc illustrationis Principis constitutionem, sperauimus nonnullos æquiores futuros ueteri mori & de consilio præceptorum rectius iudicatuos esse. Sed adeo licentia deprauandi censuris iniquis omnia, que fiunt à superioribus, ac maledicendi libido, in nonnullorum insedit animis, ut ne nunc quidem continere se potuerit. Quibus cum digladiari hoc tempore non uolumus. Suas enim illos furias ulturos esse scimus, & poenas publicas contemptum legum, ordinis, disciplinae, uindicaturas esse, certum est. Quo res redierit, quantam disciplina labem fecerit, quantum ferocia creuerit, & contumacia in  
etate

etate teneriore, agnoscimus, cum id sentiamus & experiamur. Deploramus id etiam, & eò magis deploramus, quo magis usu comperimus, eo usq; mala processisse, & inualuisse, ut remedia, quæ adhibentur, non ferant, imò ut his irritentur & exacerbentur. Quare cum frustra talibus remedia querantur, relinquamus ea Deo iudici. Sed cum multi in hoc cœtu boni sunt, multi sanabiles, illos hortamur, ut deliberatis ac decretis autoritate publica superiorum religiose obtemperent, & de ijs, quæ more maiorum introducta ac recepta, quæ legibus ex usu publico constituta, quæ singulorum commodis sunt accommodata, reuerenter sentiant ac loquantur, tanquam de re sacra, quam prophætanis sermonibus, scommatis, sannis, calumnijs exagitare, hostilis sapientia est, ut Pindarus ait.

Propter hos pauca de gradibus dicam, quibus in scholis publicis & studia & honores distinguuntur. Non repectam prolixè quo consilio et olim gradus instituti sint, & quantum ad communia studia momenti adferat illorum conseruatio. Natam esse consuetudinem conijcio ex scholis peripateticorum, qui gradus fecerunt doctrinarum, & quasi classes quasdam τῶν ἰζωτηρικῶν καὶ ἀρχαμολικῶν, etatum et ingeniorum causa, cum magnam constet esse dissimilitudinem discientium, & ordine tam sit opus in doctrinæ solidioris ædificatione, ut sic dicam, quàm in omnibus alijs uitæ negotijs, in Republica, in Architectonica. Est

in etate puerili imbecillitas quedam, quæ nec in plura diuersaq; se distrahi sinit simul, nec amplitudinem rerum capit aut assequitur, quas artes superiores complectuntur, nec aliena lingua de rebus differentes intelligit sine linguarum cognitione, sine cultura aliqua atq; assuefactione iudicij, sine adminiculis multarum artium, quæ præcedunt & uiam sternunt. Quare uisum fuit, quasi, per gradus quosdam, pueros paulatim ad artes grauiores traducere. Quemadmodum enim, ora infantum non statim cibos capiunt aut ferunt solidiores, sed lacte diu aluntur, postea præmanso cibo, donec confirmentur & grandescant. Ita infirmioribus teneræ etatis ingenijs, rudiora ac faciliora initio tradenda esse, postea ordine reliquas artes adiungendas esse, Sapiens antiquitas censuit. Nec etatis tantum & ingeniorum hac in re, habita est ratio, sed ordinis etiam, quam natura monstrauit, quæ ab ijs, quæ sunt priora natura ordiri docet & ab his deinceps, ad ea quæ sequuntur atq; coherent proximæ, accedere, Donec percursis ac superatis omnibus, eniti atq; euadere ad fastigium liceat.

Ad quod ut uix peruenerit ullus, nisi qui gradatim ascenderit, sic quo cum fructu in superioribus Doctrinis uersentur, & qua eas cum felicitate ac dexteritate tractent, atq; exerceant, qui inferioribus præteritis, ad illas pedibus, quod aiunt, illotis proruperunt, tanquam in rosas sus, exemplis didicimus

didicimus multorum, quos serò nimis præpostera rationis discendi pœnituit.

His de causis uiri prudentes in scholis classes quasdam descripserunt discantium, ut secundum ætatum discrimina, & ingeniorum uires alij in alijs disciplinis instituerentur & in sua quisq; classe, tanquam intra septa detineretur, donec ad alia maiora uideretur esse satis præparatus, quod cum exploratum esset, transferretur in ordinem proximè superiorem.

Vtq; id fieret cum quadam solennitate, & acueretur diligentia in discantibus, proponebantur honorum præmia, quæ cum approbationis ac iudicij eorum, qui præerant testificatione publica conferebantur, & adiungebantur iura, immunitates, & ornamenta certa, quibus differrent ab alijs. Hinc honorum etiam ac dignitatum quidam gradus extiterunt, qui testimonia sunt iudicij publici Academiarum de doctrina cuiusq;. Hos sapiens antiquitas tanti fecit, ut qui uel infimum consequutus esset, haberetur dignior, atq; in Republica, in scholis, in Ecclesia, eueberetur præ alijs, tanquam magis idoneus. Nec puduit hæc doctrina testimonia petere Principes origine clarissimos. De Alberto enim Bauariæ duce, Auo illius Alberti, qui nunc rerum potitur apud Bauaros, affirmant, quod in Parisiensi schola cum in examini- bus usitatis profectus in primis artibus suos collegio Philosophico probasset, ornari hoc primo gra-



du uoluerit, nec recusarit illa etiam gestare ornamenta, quæ consuetudine scholæ promotos in hunc ordinem distinxerunt à cæteris. Multum degenerauit à grauitate maiorum ætas nostra, & accidit gradibus in scholis, quod in militia ordini equitum auratorum. Creari equitem auratum, patrum memoria, tanta erat dignitas, ut à summis Regibus etiam expeteretur. De Francisco enim Galliarum Rege meminimus, quod insignia & ornamenta huius ordinis, non usurparit, antequam promerisset ea uirtute & rebus gestis, quod factum est, post deuictos ad Marignanum Heluetios. Nunc in tantum deuenit contemptum, ut latrocinari, quàm hac dignitate equestri ornari, minus turpe ducatur.

Eadem ferè conditio est graduum in scholis, sed primus contemptior est reliquis, quia eas artes, quas complectitur, ac requirit hic gradus, fastidunt pleriq; aut leuiter attingunt, ac superba persuasione protinus irruunt ad artes seueriores, nulla linguarum, nulla dicendi scientia, nullo aliarum artium præsidio instructi. Hinc illa rei literariæ nata calamitas est, quæ ita concutit & labefactat scholas, ut nisi adhibita emendatio fuerit, necesse sit collabi & interire studia, Ac uenit mihi in mentem uox quedam, clarissimi Iuriscoñti, Doctoris Hieronymi Schurff, is in confesſu præstantissimorum uirorum, Multas fore in doctrina uiris confusiones dixit, non multo post, quod plurimi rudes præceptionum primarum artium ad u-

ris prudentiam sese conferrent. Taxans iuuentu-  
tem, quæ nullo ordine, ad grauissima studia ruit.

Audiuistis quas sui consilij rationes habuerit  
antiquitas. Nunc nostras etiam cognoscite. Nos  
ruina mouet, quæ ante oculos est, Ruina inquam  
bonarum artium atq; disciplinarum, cuius cause  
sunt, quòd non ordine, neq; integre artes iuuentus  
discit, quòd examina refugiunt, alij ambitione, alij  
conscientia suæ ruditatis, quòd sine censura, & si-  
ne exploratione promiscuè, quouis sese in Scholas,  
Ecclesias, aulas & Respublicas ingerunt, Mittun-  
tur in Academijs plurimi prorsus rudes, quorum  
aliqui capti dulcedine libertatis, quæ conceditur,  
& exemplis licentiæ inuitati, recusant uiuere sub  
alieno Imperio, & legibus institutionis legitime  
sese submittere, oderunt enim ut legum, ita præce-  
ptionum uincula, ingenia non mansuefacta, atq; ut  
in moribus, sic in artibus licentiam querunt. Ali-  
qui intuentes in exempla profectiorum, putant in-  
genij esse sordidi, diu hære in Grammaticis, aut  
similibus nugis. Mox properant itaq; ad artes ali-  
as, in quibus cum aliquot annos contriuerunt, si  
differendum sit deinceps de parte aliqua, uix his-  
cere possunt, destituti facultate dicendi, cuius  
comparandæ prior cura esse debebat. Ita fit ut  
cum neq; adferant in scholas publicas, recte per-  
ceptas artes primas, nec cura sit eas discere, nun-  
quam perueniant ad solidam eruditionem, & sua

contagia propagent postea inter eos, ad quos erudiendos conducuntur. Hi ipsi sunt, qui oderunt primum in Philosophia gradum, quia examina oderunt, Alij, ut dixi superbia, & contentu, alij metu. Nam examina instituuntur, non tantum, ut explorarentur profectus, sed etiam, ut in mores inquiratur, & considerentur ingenia. Actus sui itaq; alij alias causas habent. Insciam alij, & quidem pluri, quia primas artes pleriq; negligunt, Alij corruptos aut pollutos mores. Alij ingenia distorta, perplexa, ambitiosa. Hec initio nec prodi uolunt, neq; argui. Hi ergo adolescentie & scholarum pestes sunt, quam extirpari necesse est, quod cum aliter fieri non possit, nisi ut adigantur ad examina, constitutum est, urgente sic necessitate, neminem uel ad scholasticas functiones deinceps promouendum esse, uel testimonio ornandum ac prosequendum publico, quo multi hactenus abusi turpiter alijs imposuerunt, nisi se prius Decano & professoribus collegij Philosophici, dignum probarit primo gradu. Hec graui consilio a præceptoribus sanciri, uos agnoscere decet, & recta præcipientibus obtemperare, præsertim cum ipsi, & publice & priuatim fideliter & paternè modum discendi tradant, & lectiones optimas in omnibus disciplinis proponant, summo studio explicent artes, quæ uelut alæ sunt, quibus adiuta mens in cælum attolitur, nec sit aliqua philosophiæ pars quæ non præclarissimè enarretur. Vestrum igitur est, id ope-

ram dare, ne uobis defuisse uideamini, sed præsentibus commodis grati fruamini. Et statuetis Ecclesiam id à uobis petere, ut iudicia Præceptorum, qui studijs, & conseruationi summorum bonorum, in genere humano, examina & hos gradus conducere existimant, & nunc optimo consilio in hanc scholam publicè reuocant, magnificiatis, & eorum autoritati pareatis. Quum enim maiora beneficia ab Ecclesia accipiamus, quàm à priuatis ullis, siue parentibus siue amicis, æquum est, nos illi hanc gratiam referre, & omni fide artes custodire ac defendere. Id tum demum commodè fiet, si à primis artium initijs, ad superiores disciplinas contendemus, ac patienter repositibus doctrinæ auditæ dictata, respondebimus.

Cum autem nullius conatus sit foelix & utilis unquam, sine Deo, à quo manant omnia, quiq; perennis æternusq; bonorum omnium est fons, toto cum pectore oro, ut nos omnes clementer iuuet, regat & protegat, pœnas mitiget, nec sinat dissipari cœtus rectè docentium & discentium, Per & propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

**Q**uod igitur foelix ac faustum sit, Ego autoritate publica, qua iam fungor, uos quatuordecim candidatos, Primo gradu Philosophiæ orno & in Baccalaureos ingenuarum artium Promoueo & promotos renuncio, In nomine Pa-

tris & Filij, & Spiritus sancti, Cumq; sciamus uitam non esse foelicem, nisi Deo gubernante, & iuante, & quod clementissime praeceperit Deus, ut ipsum inuocemus, & auxilium inuocantibus promittat, sicut scriptum est, Petite & accipietis. Oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem caeli & terrae & hominum una cum filio suo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto suo, fontem sapientiae, iustitiae & pacis, ut nos omnes gubernet, & faciat organa salutaria nostris animabus & alijs, & illustret ac confirmet propter gloriam nominis sui haec salutaria studiorum uestrorum principia.

DIXI.

## ORATIO RECITATA

TA AB ILLVSTRISSIMO PRIN<sup>ce</sup>  
cipe, ac Domino, D. BARNIMO, Duce Seditanorum Pomeraniae Cassubiorum ac Henetorum,  
Principe Rugiae, Comite Caycorum & c.

Rectore Academiae VVitebergensis  
ante statutorum Scholasticorum  
praelectionem.

**C**elebratur schola Pythagorae, in ea ora Italiae, quae magna Graecia appellata est, quod protulerit & Philosophos summos, & optimos ac sapientissimos.

pietissimos Nomothetas atq; Gubernatores, qui ab autore Pythagorici sunt nominati.

Et si autem postquam hi passim in urbibus principatum obtinuissent, clandestina quaedam illorum coniuratio, quæ tamen qualis fuerit, non exprimitur, causam præbuit, ut delei ipsi, & Synedria eorum exusta sint uno tempore uniuersa, cuius simile, de familia quadam Militiæ sacræ legimus, maiorum nostrorum ætate, quos Templarios nominarunt: tamen & leges quibus constituerunt Respublicas, honestissimas fuisse atq; grauissimas, docent reliquæ constitutionum Zaleuci & Charondæ, et easdem profuisse publicæ tranquillitati, quamdiu uiguerunt, testantur seditioes, quæ Pythagoricos sublatos secutæ sunt, & doctrinam politicæ sapientie, quam autor familiæ ex Ægypto aduexit, congruam esse fontibus sapientiæ diuinæ, ostendunt fragmenta disputationum, quæ supersunt, ex schola illa profecta.

Recitatur alicubi Diotogenis Pythagorici sententia, qua qualem deceat esse bonum principem definitur. Princeps bonus, inquit, est, qui iustissimus est: iustissimus est, qui Νομιώτατος, id est, qui maxime secundum leges imperat, τὸ ὕψιστον νόμιμον ἐν τῷ. Talis autem est & Imperator bonus, & Iudex iustus, & Sacerdos sanctus. Tria enim exigunt officia præcipua à bono Principe, τὸ στρατηγικόν, id est, foris bello arcere hostes, ac latroci-

latrocinia depellere, ut subditi domi pace frui possint, & ijs uacare operibus, quæ pacis propria sunt.

Secundo, τὸ δίκασ' ὠλεῖρ ἢ τὰ δ' ἰκονα δ' ἰκα-  
νέμερ, id est, domi tueri & administrare iustici-  
am, quæ stabilit thronum, regere iudicia ac disci-  
plinam, τὸ ὠσιῖρ εὔ καὶ εὐεργετῖρ τοὺς ὑποτε-  
ταγμένους, id est, affectu paterno consulere utili-  
tatis populi, ut patres familias educare liberos  
& honestis artibus erudire possint, ut conserue-  
tur in terris uera de Deo & filio eius Iesu Christo  
noticia, & colantur alia uirtutis studia, quæ ne-  
gliguntur aut deseruntur, cùm uastationes effici-  
untur bellis aut latrocinijs, aut cùm tyrannicè  
opprimuntur subditi, uel exhauriuntur princi-  
pum Βασιμια.

Tertium, quod requirit, est τὸ θεραπέυειν θεόν,  
iuxta dicta: Reges intelligite: Erudimini qui iudica-  
tis terram: Osculamini filium. Item: Aperite  
portas principes uestras, ut introeat rex gloriæ.

Item, Reges erunt nutritores tui. Duo enim  
complectitur hæc pars, ut qui præsumt alijs, ipsi  
rectè agnoscant, seriò inuocent, uera ac non simu-  
lata pietate, & pijs officijs atq; exemplis colant  
Deum. Deinde ut foucant ac tueantur Ecclesias  
& scholas, adiuuent ministerium Euangelij, pro-  
pagent ueram Dei noticiam inter homines.

Idem Diotogenes ciuem optimum describens,  
hunc cæteris antefert omnibus, qui nullas uicto-  
rias

rias, triumphos nullos, nullos in Republica honores, ut Plato ait, pluris facit, quàm dici ciuem obtemperantem legibus & principi, qui est νόμος ζῶν, id est, uiua & animata lex, sed ita, cum non discedit à Regula, nec degenerat à semetipso, sed intra metas legibus circumdatas sese continet.

Etsi scio autem ab homine Ethnico hæc dici, neq; ignoro, quantum intersit inter doctrinam Ecclesie propriam & sapientiam Ethnicorum: tamen præcepta moralia à quocunq; tradantur, si cum Decalogo congruant, iudico esse uocem legis diuinæ, quæ est æterna & immota sapientia & regula iusticiæ in Deo, cuius radios Deus conditor sparsit in mentes hominum, ut ostendant, quod & qualis sit Deus, & uelut normæ regant actiones. Et fiunt illustriora talia præcepta, ut cætera legis diuinæ, cum ex Ecclesie doctrina declarantur, præsertim si concinna breuitas insit.

Ideo libenter talia dicta amplector & usurpo, meq; hac Diotogenis commonefactione delectari fateor mea & aliorum causa. Nam & me studijs eo consilio adhibitum esse intelligo, ut quæ mei officij futura sunt in gubernatione discam atq; exercere consuescam. Et cum propter Magistratum scholasticum quem gero, dicendum esset aliquid ueteri more atq; instituto, de obedientia & officio, hoc in loco: iudico me à memetipso ordiri debuisse. Nam qui alijs præcipiens, sibi etiam le-



ges fert, δὺὸ ἡρώδου ἑ σωέργου τοῖς ἰοχ ὑπο  
τάτοις ἰσότητι καὶ εὐλαβρωπία, id est, adminia  
stris utens duobus fortissimis, æqualitate et huma  
nitate, ut Polybius inquit, is suo plus efficit exēplo,  
quàm uel oratione longa, uel atroci cominatione.

Me quidem & horum & similibum aliorum  
preceptorum, quæ uox cœlestis tradit, ad quæcum  
que me Deus gubernacula prouexerit & euexe  
rit, memorem fore profiteor. Et oro Deum patrem  
æternum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi,  
per & propter filium, ut me doceat, regat et du  
cat Sancto suo Spiritu, ac faciat me uas misericor  
diæ, & organum salutare meis ac multis alijs in  
genere humano.

Hæc cum de me dixerim, uos etiam commilito  
nes optimi, officij uestri commonefacio, in quo fa  
ciendo, si studio inter uos & diligentia certaueri  
tis, qui est agon omnium splendidissimus, ἑραῖον  
auferetis tali uictoriæ destinatum amplissimis pro  
missionibus diuinis. Ambitiosè, ut Paulus loquitur,  
hoc agite, ut propria faciatis, hoc est, quæ officij  
sunt & uocationis uestra, quæq; sunt uera, iusta,  
casta, amabilia, laude digna, & referte omnia ad  
gloriam Dei, ne irritetur ira Dei, ne offendatur ac  
deformetur Ecclesia, ne turbetur pax publica, ne  
mœrore afficiantur pij parentes uestri.

Sit perpetuò mens defixa uestra in Deum seue  
rè flagitantem disciplinam, ac minitantem contu  
macibus, quos ponè sequitur ἀδράστια, uibrati fre  
ni so

ni sonitu innuens assidue τὸ μὲν ἄρα. Cogitatio uerò complectatur sanctos angelos, custodes corporum uestrorum & actionum omnium inspectores, oculi intueantur preceptorum, & omnium honestorum hominum iudicia, ubicunq; eritis, quæ non reuereri, aut ferociter etiam ac petulanter contemnere, argumentum est impudentiæ ac prophanitatis extremæ, cui proximè imminent ruina atq; interitus. Perijt enim is, cui perijt pudor.

Moueamini & pœnarum magnitudine, quæ immutabili lege iusticiæ diuinæ delicta comitantur. Quia Deus iustus est, & cum propter iusticiam suam abominatur ac destruit contraria, tum intelligi uult, se iustum esse, & extare uult discrimen inter iusta & iniusta. Nec consistere societas generis humani posset, nisi facinorosi ceu perniciofa membra tollerentur. Vt sciat autem unusquisq; quæ statuunt & requirant leges scholasticæ ab uniuersis & unoquolibet uestrum, suo loco atq; ordine, recitari nunc eas publicè curabimus. Vos qua decet attentione & reuerentia auscultate.

#### POST LEGES RECITATAS.

Audiuistis leges Academiæ, quibus, cum spectent gloriam Dei, salutem & tranquillitatem publicam, commoda priuata singulorum, & congruant cum decalogo, reuerenter obtemperabitis.

Summa

Summa laus est illorum, qui ita uitam instituant, ut non modo non pœnis digna committant, sed etiam obedientiæ consequantur testimonia & mereantur præmia. His longeuitas uoce diuina promittitur, referta atq; cumulata rebus ad uitam benè beateq; degendam necessarijs omnibus.

Proxima laus cedit ijs, quibus τὰ παθήματα sunt μαθήματα, qui uel commonefacti uel castigati peccare desinunt, aut quos aliorum pœnæ à peccando deterrent. Amentia est, in hac tanta natura infirmitate & Diaboli seuitia, querere animo politiam sine uicijs & sine erroribus. Quare sua etiam tribuenda laus est sanabilibus, quos pœnæ & exempla reddunt meliores.

Deplorati prorsus sunt, qui uel cæci ac ferrei, nec suis nec alienis pœnis emendantur, uel efferantur in pœnis ac fiunt rabiosiores, uel repressi aliquantulum, mox relabuntur in eadem scelera. Tales Salomon facit similes canibus redeuntibus ad uomitum. Sed longè tristior est uox Christi, qui affirmat, talibus postrema fieri deteriora prioribus, redeunte Diabolo cum alijs septem nequioribus spiritibus. Hæc cogitantes totis pectoribus conhorrescite, cumq; multæ & magnæ confusiones in uita orientur, tum à Diabolo, tum ab hominum uel negligentia, uel petulantia, petite uos gubernari à filio Dei, & maiore cura ac diligentia regite mores uestros, reprimite impetus ferocios, & obtemperate benè monentibus: quia certum est, Deum  
non

non esse efficacem in his, qui frena laxant cupiditatibus, aut perseuerant in delictis contra conscientiam. Lex enim est pædagogus in Christum.

Oro autem toto pectore Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem cæli & terræ, & hominum, & Ecclesiæ, unâ cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, & Spiritu sancto paracleta, ut sua immensa misericordia propter filium perpetuò inter nos colligat æternam hereditatem Filio, & regat nos Spiritu sancto suo, seruet hospitium Ecclesiæ, & cum uerissimè sit fons sapientiæ & legum, sit etiam custos inter nos communis societatis, ordinis politici, disciplinæ, iudiciorum & uirtutis, efficiat ut semper inter nos luceat uera ipsius agnitio, ut eum in omni æternitate celebremus.

DIXI.

PPP

Oratio

RESIGNATIO EIVS  
 DEM ILLVSTRISSIMI PRINCI-  
 pis &c. publice habita, cum magistratum scho-  
 lasticum, die S. Lucae Euangelistæ deponeret,  
 & Inchyto ac Generoso Comiti Solmensi,  
 IOHANNI GEORGIO  
 traderet atq; com-  
 mendaret.

I Deo uersamur in studijs literarum, ut in rerum  
 Inatura, in ordine politico, in perpetua serie Hi-  
 storiarum Ecclesie & imperiorum, in doctrina  
 Ecclesie & uera Philosophia queramus & colli-  
 gamus testimonia de DEO, & his confirmati  
 firmiter statuamus esse aliquam DEI Ecclesiam  
 in genere humano, nosq; in ea DEO curæ esse, ac  
 propter eam seruari hanc rerum naturam, impe-  
 ria, literas, disciplinam, leges & alios Neros hu-  
 manæ societatis. Et ut ad illum nos cœtum adiun-  
 gamus, qui est Ecclesia, atque in eo singuli suo lo-  
 co atque ordine, fructum studiorum referamus ad  
 hunc finem, ut gloria DEI celebretur atq; illu-  
 stretur.

Hæc cogitatio infixæ sit animis nostris, hæc ac-  
 cendat inuocationem DEI & flectat animos ad  
 timorem DEI, ad modestiam, ad studium obedi-  
 endi DEO ac recte discendi artes necessarias. Ad  
 hunc scopum directus sit omnis labor atq; cona-  
 tus noster.

Neq;

Neque est ulla ullius uel doctrine, uel historie uel societatis humane uel nature pars, tam exilis, obscura, contempta, que non sit referta uestigijs prouidentie, presentie et bonitatis diuine infinitis. Sed inter reliqua uos scholastici considerate precipue domestica exempla huius Ecclesie & schole, in qua Deus ex densissimis & plusquam Cimmerijs tenebris errorum & Idolomanie pontificie accensam rursus immensa bonitate, clarissimam Euangelij lucem illucescere orbi terrarum uoluit, qua fundamenta prima iecit Ecclesie ex diuersissimis gentibus hoc mundi postremo seculo colligende. In his nidulis initia habuit sua postremi temporis Ecclesia, quam nullis innixam humanis presidijs, mirandis modis protexit & seruauit Deus, cum oppugnaretur infestissime à precipuis omnibus orbis Christiani principibus.

Hec DEI opera, non minora esse miracula certo statuatis, quam fuit eductio populi Israëlitici ex Ægypto per undas maris rubri, uel reductio eiusdem ab exilio Babylonico in primam patriam ac restitutio, Etsi animos securos & uoluptatibus ebrios leuiter afficiunt. Sed ab horum prophanditate totis pectoribus abhorrentes, hec ingentia DEI beneficia, grata memoria repetamus ac celebremus, cum alias tum uerò precipue hoc die Natali Academie, consistentes ad sepulchra quatuor summorum uirorum quibus tanquam organis Deus usus est ad tantarum rerum perfectionem. Inter

quos cum effigiem Illustrissimi Principis Iohannis Ducis Saxonie Electoris aui mei materni oculis intueor, animus meus recordatione uirtutum illius mirificè percellitur atq; commouetur.

Excelluit enim omnibus uirtutibus necessarijs bono principi atq; ad communem consociationem utilibus, iusticia, amore ueritatis, fide, constantia, modestia inimica fastui & ambitioni, fortitudine, castitate. Neque in eo illæ arte ascitæ aut fucatæ erant, sed nativæ. Fuit in eo pectus candidum, & ingenuum, non πλεοεκακον, non fucatum, non insidiosum, non liuidum, non suspicax, alienum ab emulatione, à crudelitate, ab auaritia, à curiositate, candidè suum cuiq; locum tribuens, fugitans rixarum, amans Principum consociationem et publicam concordiam.

Has uirtutes rexit non ostentatio sapientiæ inanis et sophistica, sed uera prudentia, intuens uirtutum fontes in Decalogo monstratos, & Deum authorem ordinis Politici & beneficiorum omnium, quibus se affectum & ornatum esse diuinitus agnouit,

Cumq; multa sapienter, multa iustè, fortiter, liberaliter, piè fecerit, tum reliquarum uirtutum chorum hac suprema coronide, quæ fuit in eo excellens opus Spiritus sancti, condecorauit & absoluit, constantia scilicet confessionis magno ac præsentis animo editæ coram Imperatore Carolo Quinto, inter infensissimos hostes, non territus  
peria

periculis, quibus expositum sese undiq; & obiectum esse intellexit. Hæc uictorijs omnibus & Triumphis est anteferenda.

Eo libentius autem hæc commemoro, ut & me excitem ad imitationem uirtutum auitarum, & uos commonefacti de beneficijs diuinis, gratias mecum agatis Deo autori, atq; incolumitatem & salutem Ecclesiarum piarum & scholarum omnium, quæ ex hac Metropoli in multas alias terras, uelut colonie deductæ sunt ac propagatæ, pijs uotis ac precibus eidem commendetis.

Tibi ergo æterne uerissime DEVS, pater æternæ Domini nostri Iesu Christi, conditor & custos Ecclesiæ tuæ, & iusticiæ ac societatis humanæ conseruator, gratias agimus toto pectore, quod reddidisti nobis lucem doctrinæ tuæ, nec finis eã apud nos extingui, quod protegis pia Ecclesiarum hospitia, & concedis pacem Ecclesijs & doctrinarum studijs necessariam, quod accendis & regis corda piorum Principum, ut agnoscant te uerum Deum & Ecclesias curent ac foueant, Et oramus te ardentibus gemitibus, ut nos deinceps quoq; gubernes ac tuearis, & propter gloriam tuam inter nos filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, colligas hereditatem, celebraturã ipsum in omni æternitate, serues hanc scholam, quæ fuit alueus docentium ac discipulorum doctrinas necessarias inde usq; ab initio repurgatæ doctrinæ, ac prohibeas ne peste, fame, aut bellis hi coetus dissipentur.



Cum autem ordinis politici pars præcipua sit, ut quilibet certo sit Magistratui subiectus, in ea societate, in qua uiuit, neq; expediat Rebus publicis ut sine Magistratu uagetur quisquam, graui consilio suus etiam Magistratus cætui scholastico constitutus est, quem cum per hunc annum ordine gesserimus Illustrissimus frater meus, Dux Sediæ norum & Pomeraniæ &c. Ernestus Ludouicus, & ego, de consilio & sententia senatus publici in hac Academia, usum est eidem Senatui, Magistratum eundem grauisimam de causis deferre ad Inclytum & Generosum comitem Iohannem Georgium Solmensem. Quare uobis huius Scholæ Alumni significo nobis successorem, uobis Rectorem designatum esse, atque decretum autoritate publica Inclytum & generosum Comitem Solmensem, Iohannem Georgium, & nobilitate ac dignitate Nataliū & alijs ornamentis illustrem. Et enim longa inclytorum Maiorum serie & cognatione sanguinis attingit præcipuas principum in Germania familias omnes, & egregias Eximij Ingenij & generosi animi dotes habet. Prorectorem uero huic additum esse uirum doctrina & uirtute ornatissimum Magistrum Casparum Crucigerum, Huic uestro Magistratui ut debitam reuerentiam & obedientiam præstetis, nõ minus quam legibus ipsis, uos hortamur, cogitantes illud.  $\phi\omicron\beta\eta\tau\acute{\epsilon}\omicron\upsilon\pi\ \acute{\omicron}\nu\kappa\ \acute{\alpha}\nu\delta\ \rho\acute{\omicron}\varsigma\ \acute{\alpha}\psi\epsilon\lambda\lambda\acute{\omega}\nu,\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\acute{\alpha}\ \nu\acute{\omicron}\mu\omicron\upsilon\ \phi\omega\upsilon\lambda\acute{\omega}\nu,$  quia uox legis, non est hominis sed Dei uox.

Tibi

Tibi uero Inelyte comes gratulor, quod in hac mihi prouincia succedis, quam nec in amiciorem, neque in coniunctiorem quenquam transferre potuiffem, hoc in loco, cum propter alias causas, tum uero propter generis à stirpe Materna tua cognitionem, Tradoq; tibi Magistratus scholastici insignia, sceptrum, sigillum, librum, clauem & Epomidem. Et oro Deum patrem aeternum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, authorem & custodem humane societatis & Ecclesie suae, ut tribuat tibi gubernationem tranquillam ac salutarem, utilem ac necessariam culturae ac propagationi doctrinarum & disciplinae, & seruet ac protegat haec seminaria Ecclesiae, & Nidulos hosce, qui hospicia coctui docentium ac discipulorum praebent, ne turbentur aut dissipentur contagiosis infectionibus, quae in multis Germaniae locis grassantur aut bellis externis aut domesticis. DIXI.

RESPONSIO ELECTI  
NOVI RECTORIS GENEROSI  
Comitis IOHANNIS GEORGII ad Illu-  
strissimum Principem, ducem Pomeraniae  
BARNIMVM.

Illustissime Princeps, Magnifice Rector, domine clementissime, Reuerendi, & clarissimi uiri, etsi propter aetatem, quae tenerior est, & quia ut  
Ppp 4 hospes

hospes nouus in hac Academia imperitus rerum,  
 & consuetudinis publicæ, poteram uel deprecari,  
 uel etiam honeste recusare onus Magistratus scho-  
 lastici, quod mihi imponitur, & planè id facere  
 constitueram: tamen cum me deceat nō refragari  
 sententijs celsitudinis uestre, & caterorum in  
 Academia Professorum, quibus me, ut Academiæ  
 alumnium iudico debere obtemperare, uolui me ut  
 reliquis legibus, ita iudicijs, & sententijs uestris  
 etiā in hac re subijcere. Præsertim cum intelligam  
 aliqua ex parte etiam quæsitum esse honorem me-  
 um. Nam Academiæ dignitati, quæ per se floret,  
 autoritate, & dignitate docentium, ac celebritate,  
 & frequentia auditorum, quæ à me possit acce-  
 dere tanta autoritas, quanta fortasse expectatur,  
 ne per ætatem quidem intelligo. Quare cum mo-  
 rosa recusatio esset habitura speciem uel insulsa-  
 tis uel præpostere sapientiæ, ne in alterutram cul-  
 pam incurrere uidear, parere uestris sententijs  
 decreui, atq; eo libentius oblatum munus accipio,  
 quia & uos uniuersos & singulos confido nego-  
 tia publicæ gubernationis fideliter administratu-  
 ros esse, & quem mihi addidistis Prorectorem,  
 quem pietate, doctrina, autoritate, & fide ante-  
 cellere scio.

Quare de utroq; uobis me gratiam debere ag-  
 nosco perpetuam, & cum ideo me electum esse ui-  
 deam, ut cōsuescam negotia gubernationum pau-  
 latim aspicere & intelligere, benigne peto, ut me  
 &

Et Prorectorem meum uestra beneuolentia, autoritate, studio & industria adiuuetis. Et oro Deum æternum patrem Domini nostri IESU CHRISTI ut hanc scholam & omnes nos gubernet, iuuet, ac protegat.

DIXI.

ORATIO HABITA  
A MAGNIFICO D. RECTORE  
Academiæ Vuitebergensis Iohanne Georgio, In-  
clyto Comite in Solms, Domino in Minceburg &  
Sonnewald, cum recitarentur publicæ  
leges Academiæ.

VT graui consilio institutam & ætati tenera necessariam esse existimem, hanc repetitionem legum publicarum, cum aliqua commonesatione de disciplina, quam in Academia usurpari uideo, moueor non tantum autoritate Illustrissimorum Principum Electorum, Academiæ dik'isop, quorum mandato id fit, etsi hæc apud me, ut par est ac decet, maxima est, sed multo magis causis ipsis consilij huius & moris, quas res ostendit ad excitandum pietatis & uirtutum amorem adferre plurimum momenti. Duo enim agi spectariq; præcipue animaduerto. Vt mentes teneræ recte intelligere fontes & uim legum, & adsuefiant ad reuerentiam erga totum ordinem politicum & obedientiam.

Cum fontes Legum in Decalogo monstrantur, deducitur mens ad  $\nu\omicron\mu\theta\acute{\epsilon}\tau\lambda\omega$  primum legum auctorem atque ordinis politici Architectum Deum, & non tam magistratui quàm ipsi DEO obligatur omne obediendi studium, quia id quod magistratus statuit atque sancit, Deum uelle, illa declarat congruentia cum Decalogo, in quo sapientiæ ac iusticiæ suæ Idæam ac normā Deus expressit, cui conformes uult esse homines, in quorum mentibus hanc lucem accendit, ut natura intelligant τὸ δῖον  $\nu\omicron\mu\theta\acute{\epsilon}\tau\lambda\omega$  δεῖ, Vt Paulus nominat, & uoluntatem armavit, ut regere externa membra, seu ut uocant, motum uoluntarium possint.

Quare sicut in non conformes legi diuinæ, latæ est immota sententia, Maledictus omnis qui non fecerit hæc, quæ in lege scripta sunt,  $\Theta\iota\ \acute{\alpha}\mu\alpha\rho\tau\acute{\iota}\alpha$   $\delta\epsilon\iota\pi\ \acute{\alpha}\nu\omicron\mu\acute{\iota}\alpha$ , id est, quicquid discrepat ab illa norma, ita de ciuilibus Magistratum legibus pronunciat Paulus. Neceffe est obedire non tantum propter iram. Sed & propter conscientiam, quæ uiolans leges Magistratum fit rea coram DEO.

Summum in homine ornamentū est, τὸ παθεῖν  $\chi\acute{\epsilon}\rho\ \kappa\alpha\iota\ \mu\acute{\epsilon}\gamma\iota\sigma\omicron\upsilon\ \acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\acute{\omicron}\nu\ \epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\ \kappa\alpha\tau\alpha\pi\rho\acute{\alpha}\tau\eta\sigma\alpha\iota\ \tau\acute{\omicron}\ \acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\acute{\omicron}\nu$ , quia efficit homines conformes uoluntati diuinæ, qui ultimus est finis, ad quem homo conditus est, & ornatur ingentibus præmijs diuinitus.

Contra nihil tetrius est contumacia aduersus  
leges,

leges, quia non delinquit negligentia aut incuria. Sed ferociter repugnat uoluntati diuinæ cum quodam Cyclopico contemptu DEI, & horribiliter punitur Supplicijs huius uitæ & æternis. Nec cum in poëmatis Gygantes accumulatis montibus struxisse aditus ad cælum, ut Ioui bellum inferrent, & à Ioue fulmine oppressi ac disiecti esse finguntur, significari aliud quicquam cogitemus quam hos manifestos furores magistratui ac legibus contumaciter aduersantium, quorum pectora simul diabolus occupat, insanie ferociam adau-gens. Deinde & atrocitatem pœnarum, quæ uisip talem comitantur, DEO manente in statione, ac magnam partem delinquentium rapiente ad supplicia suis manibus, quos uincire legum repagula & coercere Magistratum uires non possunt. Ut cum nõ puniebantur à iudicibus Pharaon, Alexander, Antiochus, Antonius, Caligula, Nero, & innumerabiles alij, opprimebat eos Nemesi diuina, & opprimit similes alios omnibus ætatibus. Verissime enim dictum est:

Non urbs, non regio, non ætas ulla seueri  
Iudicij exemplis non domus ulla caret.

Ita cum de ordine politico dicitur, quod sit opus DEI, indicatur mentione auctoris, qua ueneratione hoc opus tractandum, qua fouendum sit atque tuendum cura, scilicet tanquam res sacra, & munus uitæ nostræ utilissimum.

Vtinam

Utinam uero hæ conciones eos parerent fructus in omnium animis, qui quærentur. Sed magna ingeniorum diſſimilitudo eſt. Alij inſirmitate nature ruunt contra leges, Alij ſtudio aut conſuetudine ſibi furores accerſunt, quos ubi inuaſit diabolus, furores illi creſcunt. Neq; eodem modo commonefactiones accipiuntur à iunioribus, & à natu grandioribus, qui iam non ſolum ætate, doctrina & uſu aſſuefacti ſunt ut propius conſiderent hanc DEI uoluntatem & ordinis pulchritudinem, Sed etiam calamitatibus ita ſunt edocti, ut iudicium & iram DEI metuant. Cum enim reiſpa experimur euentus certo reſpondere comminationibus diuinis firmior ſit aſſenſio. Ictus ſæpit, ut dici ſolet, Ita nos poenis commonefacti ac territi, ſubmittimus animos & intra modæſtiæ fines nos recipimus.

Plato rogatus, ut Cyrenaicis Leges ſcriberet, reſpondit. Difficillimum eſſe Leges ferre ſecunda fortuna utentibus, Nihil enim indomitum magis eſſe & efferum animo rebus proſperis & ad uoluntatem fluentibus inflato, Contra tractabilius nihil eſſe et flexibilius calamitatibus aliquantulum ſubacto & condoceſacto. Idem & teneræ ætati accidit, quæ cum ſit ignara miſeriarum humanarum atque improuida, nec magnitudinem rerum tantarum intelligat, & laſciuentium adhuc atq; exultantium cupiditatum iuuenibus ſtimulis agitur, non minus odit & auerſatur conciones de  
discia

disciplina, quàm ipsa legum uincula, ceu caput quatiens ac frenum mordens instar equorum indomitum, cum de officio admonetur aut seuerius cohercetur. Sed hoc interest, quod etsi nostra ætas uelut luxurians genuino succo fertur nature impulsibus & ferocior est, nondum obrigit tamen. Sed à deterioribus ad meliora flecti ac traduci potest. Ideo in scholis doctrina excolitur & regitur disciplina, ut cicurata & domita conuertatur ad agnitionem DEI, ad timorem DEI, ad obedientiam. De quo sine legis, Paulus grauissimè inquit, Lex est pædagogus & additur laus amplissima, cum inquit esse pædagogum, Vt Christum agnoscamus, id est, Lex docendo & castigando rudibus instillat initia sapientie cælestis, & paulatim prouehit discentes, & compescit errantes impetus, Vt mentes admittant doctrinam de filio & incipiant fieri templa DEI.

Cum igitur hæ publicæ commonefactiones instituantur præcipue nostra causa, quibus disciplina maxime opus est, audiamus reuerenter diuinam uocem in legibus sonantem, & his magna cura obtemperemus, Summam laudem in obedientie studio ponentes. Agnoscamus etiam paternas affectiones præceptorum, qui pia sollicitudine consulunt, quibus possunt modis ætati nostræ, & ut *ἐὺ σοφοί* patres sæpe tolerant nonnullorum errores, aliquorum etiam ferociam, sive emendationis. Non existimate tamen eos qui indulgent cupiditatibus,  
nec



nec desinunt petulanter detrectare auctoritatem legum & præceptorum, quos Deus & suo & parentum loco nobis cõstituit, Deo placere. Sed tales sine omni dubio cogitate à Deo deseri & futurum esse ut tandem tristissimis pœnis inuoluantur. Im-  
 mota sunt enim hæc oracula : Nolite errare DEVS non irridetur : Idolatræ Scortatores, adulteri, homicidæ, maledici, auari, fures, raptores & c. non possidebunt regnum Dei. Item propter hæc uenit ira Dei super uos. His oraculis omnes commonefacti disciplinam statuamus necessariam esse, & timore Dei ad modestiam animos componamus. Hoc qui facient indies magis magisq; intelligent, quantum sit bonum esse domicilium Dei, & regi, duci, protegi diuinitus.

ADHORTATIO POST LEGVM  
 lectionem habita.

Audiuistis leges Academiae & præmissam his commonefactionem huic loco conuenientem, quæ apud modestiores, qui disciplina reguntur, qui ueram obedientiæ laudem appetunt, quæ fundamentum est & uirtutum omnium radix seu quæ uerius omnes in sese uirtutes continet. Deniq; qui & esse Deum sapientem, iustum, & uindicem statuunt, & eius iram & pœnas metuunt. Apud hos ergo cõfido illas hoc effectura esse, ut cogitatione de his assidua sese exuscitent ad hæc diuina bona ueneranda & ad obedientiam Deo debitam, ac discipline

disciplinæ amorem. Hos adhortor, ut consuetudinem  
 ceterorum, qui furenter disciplinæ repagula ex-  
 cutiunt, & frenos abijciunt, fugiant, eosq; uelut  
 pestes et ἀλασποῦς uitent. Cogitate ut recte cen-  
 suit apud Xenophontem Cyrus, pietatem eorum,  
 quibus cum uersabimini singulis uestrum condu-  
 cere, iuxta dictum, Cum bonis bonus eris, cum per-  
 uersis peruerteris. Quare ut ij, qui mare ingressu-  
 ri sunt, nauigare malunt, cum pijs, quã qui aliquid  
 scelerate fecerunt, Ita in contubernio scholastico  
 uelut in naui honestis uos potius & modestis ad-  
 iungatis q̃ turbulentis & inquietis, quos ut mare,  
 sic & societas humana, & hic ordo politicus cum  
 tolerare amplius non potest, tandem euomit. Tales  
 enim certum est esse hostes Dei, & suis cupidita-  
 tibus querere infinitam licentiam, et præbere cau-  
 sam dissipationibus & uastationibus in optimè cõ-  
 stituto coctu, & tandem his turbis obrui quibus  
 simul implicantur alij minus mali. Sed horum con-  
 suetudine & societate contaminati.

Oro autem Deum æternum patrem Domini  
 nostri Iesu Christi, ut seruet Ecclesias ac politias,  
 & custodiat hoc agmen scholasticum, in quo do-  
 ctrinam filij sui Iesu Christi multi rectè discunt,  
 quos magno usui & ornamento Ecclesijs & poli-  
 tijs futuros esse, spes est. Auertat occasiones disti-  
 pationum & pericula contagionum & lumen do-  
 ctrinæ suæ nunquam sinat extinguui.

D I X I.

Oratio

## ORATIO CONTI-

NENS COMMONEFACTIONE M

de disciplina scholastica, recitata à Decano Colle-  
gij Magistro Alberto Lemaier, cum testimonium  
doctrinae aliquot honestis & doctis uiris tri-  
bueret die Martij uigesimo.

**C**VM uetustas testimonia publicè tribui uo-  
cluit, non eò solum respexit ut hæc in oculos  
incurrentia spectacula, adolescentibus dignitatem  
doctrinarum & graduum commendarent, sed  
multo magis ut in his congressibus fieret inuoca-  
tio, & adderentur commonefactiones ætati tene-  
ræ utiles, de aliqua doctrinae necessaria parte, de  
uirtutum exemplis, de disciplina.

Non dubium est enim, hunc talem confessum  
tot piorum senum Doctorum, & tot piorum ado-  
lescentum, uerè esse templum Dei, & præcipuum  
Ecclesie agmen ac seminarium, congruens ad di-  
ctum, Domus mea domus orationis uocabitur, cui-  
us agminis Rector est ipse filius Dei λόγος, Do-  
minus noster Iesus Christus, accendens mentes lu-  
mine suo, & impellens atque gubernans corda  
Spiritu sancto, sicut de se affirmat, inquit, ubi-  
cunq; duo uel tres congregati fuerint in nomine  
meo, in medio eorum sum. Quare neque inuocatio  
nostra, que fit coniunctis animis & uotis irrita  
est unquam, neque inefficaces prorsus sunt uoces  
monitri-

monitrices, quia scriptum est, Verbum meum non reuertetur ad me sine fructu, etsi fortasse sunt in hoc coetu, quos illæ uoces non magis mouent aut afficiunt quam auræ sibilus.

Ordiaur itaq; orationem nostram precatio, cuius cum me uelut ἑξαρχορ constituat munus publicum, quòd gero, uos quæso uerba pijs animorum motibus subsequimini. Tibi omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ una cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, sapiens, bone, uerax, iuste, caste, misericors, gratias agimus, quòd hæcenus immensa bonitate hoc tuæ militiæ agmen ita protexisti, ut cum tentatum fuerit undiq; bellis, fame, peste, calumnijs inimicorum, conuulsum tamen ac dissipatum non sit. Et idem agmen tuum quòd ita rexisti, ut quanquam in hoc fatali articulo mutationum mundi senio ceu fathiscentis, omnia ruinam minitentur, studia tamen doctrinarum in eo uiguerint atq; fleruerint, & mediocriter sit gubernata disciplina.

Non casu hæc tanta bona nobis euenisse, neq; industria aut uigilantia nostra parta esse sentimus. Sed te authorem grati agnoscimus, & tuæ misericordiæ tribuimus, quod & nos superstites sumus, & his tuis beneficijs, incolumi ac tranquillo Ecclesiæ in his terris ac Reipub. statu fruimur. Ac uotis ardentibus te propter filium Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis &

resuscitatum oramus, ut deinceps etiam simili bonitate nos serues, & omnium nostrum mentes, uoluntates, consilia, actiones & studia gubernes, ut sint salutaria nobis & alijs, ut uerè simus uasa misericordiae, luceat lux nostra coram hominibus, ut tu uerè celebreris.

Hæc uota, ut maiori motu animorum faciatis, & sæpe ingeminetis, præsertim in hoc confessu, moneant uos & præsentēs calamitates orbis terrarum, & pericula quæ impendent. Præforibus sunt pœnæ peccatorum atroces ac terribiles & penè ἐὼς ἀτα ἐὼς ἀτῶν ut Græci dicunt, Grassantur bella, seditiones, pestilentia, furores fanatici, seucicia aduersus rectè sentientes & docentes, quæ fatali quadam amentia ac cæcitate exasperatur in multis locis. Sed tristiora imminent ab irruptionibus barbaricis, & domesticis motibus ut dispersiones gentium, uastationes, excidia urbium, exilia quæ & accidere possunt & prodigijs multis, phasmatibus, eclipsibus, infaustis congressibus syderum, denunciata sunt, & multorum furoribus irritantur.

Hæc nisi aut ferrei essemus, aut prorsus ἀπὴν γυνότες, nisi aut dedoluissimus prorsus, aut obriuissemus, flectere animos ad aliquam considerationem iræ & iudicij diuini, & excitare atq; acuire, in nobis curam & studium inuocationis ac uitæ modestioris debebant. Sed quid fit? Pars penè maxima aut uoluptatibus ebria, aut cæca, ac uis  
rijs

vis ardens cupiditatibus ruit, quo cupiditatum uesano impetu incitatur. Hi seculi mores, non denunciant tantum, sed attrahunt & cumulant pœnas publicas. In hos non minus quam in pœnas ipsas intueamur, quos nisi agnitos seriô emenda-uerimus, quo animo compellabimus Deum, calamitatum publicarum mitigationum petaturi?

Precaationi itaq; subiungam cohortationem, quam ad uos scholasticos, mandato præceptorum dirigo. Hanc instituere nos cogit, degenerantis paulatim ubiq; locorum, atq; collabentis disciplina ruina, & morum corruptio, quam si tam facile esset nobis restituere, quam promptum fuit ambitiosæ leuitati nonnullorum dissoluere, ac labefactare, minus in remedijs quærendis laboraremus, Sed conatus nostros non fore irritos confidimus, freti promissionibus auxiliij diuini.

Magna est generis humani imbecillitas, qua fit ut natura ætas rudior, aberret atq; exorbitet facile à recto, & non secus ac carcerem oderit disciplinam & leges quas existimet esse tristia & iniusta uincula naturæ ad uoluptatem condita, Sed ad hanc communem imbecillitatem accedunt alie maiores causæ uel à negligentia, uel à petulantia, & furoribus hominum & Diabolorum, & æquor-  
 mou multiplices, quibus petulantia confirmatur et crescit. Nam non solum prima ætas luxurians ad-  
 huc succo genuino, & ignara miseriarum huma-  
 Q q q 2 nar um

*narum ac incauta, inimica est disciplina, Sed etiam maxima pars grandiorum, qui cum prospiciant pœnas contentarum legum, tamen strenuè indulgent exiciosi cupiditatibus.*

*Parys, Ægyptus, Tarquinius, Pausanias, Alcibiades, Marius, Catilina, & innumerabiles alij, dum libidini, ambitioni, cupiditati uindictæ morem gerunt, scientes accersunt sibi & alijs calamitates. Quam multi sese iracundia aut ebrietate in extrema pericula coniiciunt? Nec noua est hæc querela. Omnibus temporibus sapientes doluerunt uinci legum & magistratum auctoritate, petulantia & furoribus hominum. Et in hac infirmitate humanæ naturæ, quam in alijs magis in alijs minus deprauant, infaustæ commixtionis syderum, & educatio prima assuefactioq; ac doctrina, quæ in utramq; partem plurimum ualeat, In hac ergo insidiæ Diabolorum assidue sunt ac multiplices, quam cauere uigilantia ac diligentia circumspeditionis humanæ sola nequit.*

*Has causas initio considerate adolescentes, & mementote auxilium petendum esse à filio Dei qui inquit: Orate ne intretis in tentationem, ut adiuti diuinitus uitetis laqueos & retia Diabolorum. Coniungi enim uult Deus utrumq; Inuocationem & diligentiam nostram. Quare inquit Ioannes, Natus ex Deo custodit se, & Diabolus non attingit eum, uidelicet intentum καὶ τῆς ἐνταῦθα ἐαυτοῦ. Hæc uerba intimis sensibus pectorum uestrorum perpe-*

perpetuò infixæ, excitent & impellant uos ad diligentiã cauendi occasiones peccatorum, & Diaboli insidias.

Sed propositi nostri non est, de causis uicioſarum actionum in singulis hoc in loco differere. Remedia quærimus, quibus labascenti disciplinæ, priusquam tota corruat obuiam eatur, Hæc unde petemus, nisi à causis, quibus disciplina hoc nostro seculo labefactata est? Sed causas quomodo tollemus? Initium corruptionis disciplinæ extitit à bellis, hæc quantum infringant, euertant & conculcent uim legum & Magistratuum authoritatem, superiorum annorum exemplo didicimus, Etsi uero nata inde mala maxima fuerunt, sanari tamen atq; emendari restituta pace publica paulatim potuissent, nisi labefactata antè, grauius mox impuissent ex ambitione & odijs profectæ contentiones docentium in Ecclesia, quæ mox in manifestos & horribiles furores eruperant.

Quas uoces enim audiuit Ecclesia? quæ spectauit certamina? Quas experta fuit molitiones? ab ijs, qui uelut Cadmæi fratres hostilia arma huic schole atq; Ecclesiæ intulerunt, quorum aliqui ceu transfugæ in castra hostium se contulerunt, aliqui turbato domi dulcissimo consensu Ecclesiarum, quas una doctrinæ confesio copularat, tantum hostibus commodarunt, quantum prodesse non poterant, si apud ipsos militarent. Hæc discidia, etsi uulnus penè immedicabile inflixerunt dis-



ciplinæ, tamen plus nocuerunt tribunitiæ conciones nouorum dogmatistarum, Quales ille sunt uoces: Hominem habere se ut truncum. Et expectandos esse Enthusiasmos & raptus. Et retineri fidem & Spiritum sanctum in lapsibus contra conscientiam, Item qualis illa est concio cycloporum aut Cynicorum potius, quam Christianorum, quæ uociferatur, hanc propositionem falsam esse bona opera sunt necessaria.

Mirabitur posteritas fuisse seculum tam furiosum, in quo talis insania applausores inuenerit. Tales tamen conciones, quæ amplificant libertatem multitudini gratam, & frenos cupiditatibus laxant, auidè arripiuntur.

Sed quantum damni dederint, quantum effecerint animos, non sentimus tantum indies, sed & sero nimis & frustra deploramus, cum ne nunc quidem his manifestis furoribus sui desint patroni ac defensores. In seditionibus πᾶσι καὶ ἰδέα κακῶν βίαι, inquit Thucydides. Et ueritatem poëtæ ueteris comprobatur experientia ἐν δὲ δίχως αὐτῶν ἡ πᾶσι κακῶν ἐμμορε τιμῆς, id est:

Pessimus ut quisq; est, sic crescere honoribus orta Seditioe solet, premitur contra optimus omnis.

Hæc si quis ex nostris euenisse dissidijs nondum cernit, uel sua uoluntate cæcus, uel malitiosus est. Sed eo maiora detrimenta adferunt dissidia & seditiones in Ecclesijs, quam politijs, quo maius bonum

num est, quòd in his periclitatur. Extinguitur enim uera Dei agnitio, extinguitur inuocatio, & pro dilectione regnant Cainica odia. Nec queritur ueritas, sed odijs certatur, προσκαλύμματα queruntur καὶ προσήματα, quibus præstigiæ quæ suis quisq; opinionibus & odijs obtendit, pingantur ac fucentur.

Hæ causæ seculi nostri mores publice corrumpunt. Hæ pestes in singulas æconomias peruaserunt, imo in scholas priuatas & Ecclesias domesticas. Vnde noua rursus mala in Ecclesiam redundarunt. Singularum enim familiarum priuata uicia nisi reprimantur, mox abeunt in mores publicos, sicut è diuerso intrant in thalamos publica damna tuos. Noti sunt uersus ueteres, de Heliaca urbe quam tandem terræmotu absorptam esse Pausanias tradit.

Ἡλιε καὶ μεθύει καὶ φεύδει ὡς ὕψικασα  
ὄικε τοῖδ' καὶ ξυαπάρα πόλις.

Heliaca urbs simul est mendax, atq; ebria, talis  
Tota urbs est, domus ut quelibet esse solet

Quales enim auditores, quibus præditos moribus, quibus imbutos opinionibus, qua licentia deprauatos ex domestica nonnullorum parentum institutione & aliquibus etiam priuatis scholis acceperimus? Quæ illi nobis inuexerint uitia quem

attulerint contemptum uel doctrine publicæ, uel præceptorum, commemorare non libet. Hoc dissimulare silentio non possumus nec debemus, cum et corruptionis causam non minimam extitisse hætenus inde compererimus, & honestos homines præmonitos, de suorum salute & commodis, sponte hac in re consilia & conatus nostros, adiuturos esse confidamus.

Adiunguntur filijs pedagogi, parentum priuato iudicio, quibus ipsis propter ruditatem & ætatem, sæpe & Magistris doctrine & censoribus morum ac uitæ priuata opus esset. Præceptores tales, non metuuntur à discipulis, sed ipsos metuunt. Ideo neq; stolidis illorum & iuuenilibus erroribus, ac cupiditatibus aduersari, nec delinquentes coercere audent. Ei in ipsis adolescentibus ferocia nata primum ex indulgentia parentum, ita paulatim memoria lenitatis illius augetur, ut non uereantur, quoties libuerit, præceptores mutare, donec in tales incidant, qui ad ipsorum genium alludant, id est, qui ad ea indulgeant & conniuant, quæ uolunt, & uident discipuli. Ex hoc fonte plurimum mali oriri si dubitamus, intueamur exempla tot præstantium iuuenum in hac Academia, qui cum et à parentibus quadam seueritate à teneris sint ad uirtutem assuefacti, & intelligentium præceptorum cura & iudicio regantur ita uiuunt, ut magno sint ornamento Academiæ. Hos Academia & ornabit, ubi poterit Encomijs iustis

stis, & prosequetur discedentes præconijs merite laudis. Xenophon in disciplina Persica, hoc præcipuè commendat, quòd teneram ætatem ita finxerint, & formarint, ut ne appeterent quidem deinceps ullum licentiæ genus. Ad hunc modum, si ceu præformatos filios, parentes omnes ad nos mitterent, uel si horridiores adhuc ac minus cicuratos commendarent seuerioribus Magistris, & si apud hos reuerentia parentum tanta esset, ne excutere repagula disciplinæ suo arbitrio auderent, quoties liberet & quoties licentia grata esset, minus laxarentur, & laborarent minus disciplinæ publicæ nerui.

Sed quæ adhibebitur his malis Medicina? Causis cognitis faciles sunt medicationes. Sed non medicinam ferunt eandem, nec medicos eosdem, cause diuersæ. Ad Magistratum seueritatem pertinebat, coercere tales qui spargunt & defendunt opiniones contumeliosas in Deum, & moribus perniciosas, è quibus si fuisset & ipsis initijs malorum obuiam itum, non eò usq; processisset licentia: Ἐὐλίγῃ ποῦλά inquit Thucydides. Ita ex leuissimis ac penè ridiculis exordijs, natum dissensionum incendium, cum non restingueretur auctoritate publica, penè maximam partem Ecclesiarum recte sentientium corripuit. Nec finis erit malorum, nisi adhuc audacia & insania nonnullorum repressa fuerit.

Quid nam inter bruta interest & homines? Quis usus erit concionum pœnitentiæ, fidei, Remissionis peccatorum, nouæ obedientiæ, si quæ Aristarchi illi nobis pepererunt, locum habere debent: Quales uerò Ecclesiæ, quales Politicæ erunt remota Dei & legum noticia: In parentibus nonnullis quid desideremus, ostendimus, scilicet ut & ipsi seuerius regant suos domi, & in Academijs eosdem non sinant uagari sine gubernatore & custode idoneo, præsertim si ætas adhuc sit talis, quæ regi suo consilio non possit, sed alieno ductu, ope & institutione indigeat.

Nos in scholis qui patriam potestatem in auditores nostros exercemus, quàm afferre medicinam possumus aliam, quàm qua huc usq; usi sumus? Cum inserimus teneris animis ueras sententias de Deo, de legibus Dei, de magistratu, de doctrinis omnis generis, de disciplina, & præmunimus eosdem contra mala exempla & perniciosas opiniones, obtestationibus, exhortationibus, minis, denunciatione iræ diuinæ & pœnarum coelestium, castigatione etiam paulo asperiore, ubi iusta seueritate opus est.

Quæ nos remedia cum repetere cogat nonnullorum petulantia, rursus uos auditores carissimi, omnium præceptorum nomine & loco, obtestor, ut cogitetis quo consilio in hanc literariam militiam conscripti sitis, quid à uobis Deus, quid Ecclesiæ & Respub. quid parentes exigant & expectent

Etent, quæ omnia furenter contemnere, Diabolica infania est. Tota uita uestræ ratio congruat cum Decalogo.

Sitis diligentes in discendis initijs doctrinæ de Deo, in lectione, in recitatione piarum precum, in seruandis ritibus ministerij Euangelici, quæ quidem opera requirit prima tabula. Cum his coniungatis & exercitia uirtutum secundæ tabulæ, iusticiæ, temperantiæ, modestiæ, ueritatis.

Iusticiæ propria sunt, reuerentia erga parentes & præceptores, non turbare quietem aliorum, rixis, digladiationibus, discursationibus, barbarico boatu, tumultibus, debita tempora studijs tribuere.

Temperantiæ est seruare modum in cibo & potu conuenientem ualeitudini, & rectè distinguere laborum, cibi, & somni tempora, non producere uel uigilias studiorum, uel commensationes belluationum, in multam noctem.

Modestiæ est in sermone uitare obscœnitatem, scurrilitatem, arrogantiam Thraasonicam, conuicia, uirulentiam, atrocitatem & minas, ironias, toruitatem in gestu aut leuitatem, formam uestitus non conuenientem personæ.

Veritatis est amplecti, amare, & constanter retinere ueras noticias, ueram doctrinam, & ueros sermones, & abhorrere à mendacijs & Sophistica, esse alienum à fucatis & insidiosis simulationibus, efficere ut dicta seu promissa & facta  
congru=

congruant, & ut sermo ac gestus externi, respondeant cogitationibus animi.

Harum uirtutum exercitia scitote à uobis exigi. Considerate etiam cum animis uestris, quantum sit bonum esse domicilium Dei, habere Rectorem & custodem filium Dei, esse in numero electorum, frui inijs eternorum bonorum, quæ in illa eternitate Deus integerrima communicabit credentibus, cum erit omnia in omnibus credentibus.

Contra quàm horrendum sit & miserum manere hostem Dei, aspernari sanguinem filij Dei, esse organum Diabolorum, qui impios in multa scelera & in tristissimas corporum & animorum pœnas præcipitant. Non libenter attrecto uulnera nostra, sed exempla meministis quæ immutabili lege iusticiæ diuinæ petulantiam comitantur. Quantum uerò stupor est non adfici uel communibus ærumnis, uel proprijs uulneribus aut periculis, quorum conspectus nos commonescere de precatione & cura nostri ac modestia debebat. Sed & confessio contra Diabolos quotidie ostendenda erat, non tantum inuocatione & cultu animorum, sed corporum etiam & externorum gestuum. Hanc quomodo impediunt helluationes? ut de reliquis non dicam, quòd mens obtenebratur, in qua lucere debebat Filius Dei, quòd languescit uirtus cordis, cuius motus debebant seruire uiuidis motibus spiritus sancti, quòd aboletur & destruitur imago Dei in homine? Barbaries autem in gestu & uestitu, etiam si

etiamsi per sese deformis est, cum propter ipsam speciem, ab habitu honestorum hominum alienam, tum quia natura hominum ad ordinem condita est, tamen eo magis fugienda erat, quia significat in animis contemptum legum, ascitam feritatem, & multos furores, hanc in nonnullis quanto cum dolore & gemitu aspiciamus, qui fere redeunt in Academiam, habitu tali deformati à suis, eum quidem dolorem nobis auget parentum indulgentia, eò quòd impedit conatus nostros in disciplina in-  
stauratione.

Agnoscite ergo scholastici curas ac sollicitudines nostras, & rectè monentibus obtemperate, ac regi uos & seruari petite à filio Dei. Quod si nostra monita aspernati fueritis, sequuturas non dubitetis pœnas publicas atrocissimas, quarum initia præ foribus sunt, bellorum scilicet barbaricorum aut ciuilium, in quibus utrisq; tantum est malorum, quatum nulla mens humana complecti cogitando potest.

Hæc à nobis ut depellas, nec sinas fieri in  
his terris uastationes Ecclesiarum et  
politiarum, te fili Dei, toto  
pectore oramus.

DIXI,

PETL



PETITIO AD PRO-  
 CANCELLARIVM, VT CONFER-  
 retur Magisterij titulus triginta quatuor Candi-  
 datis, facta à M. Sebastiano Theodorico  
 VVinshemio, Mathematicum  
 Professore.

Spectabilis Domine Decane, collega & amice  
 Obseruande, iudico hanc de disciplina commo-  
 nefactionem fuisse necessariam, & confido scholæ  
 profuturam esse. Etsi enim dissimiles sunt au-  
 ditores nostri, tamen plurimorum ingenia talia  
 sunt, quæ flecti commonefactionibus, & regi dis-  
 ciplina possunt. Qui ubi diligentius cogitarint,  
 quantum sit bonum, quòd ideo conditi, & per fi-  
 lium redempti simus, ut efficiamur domicilia Dei, in  
 quibus uiuat ac regnet Deus ipse in tota eterni-  
 tate, & quòd tales qui sunt templa Dei custodi-  
 antur ac protegantur diuinitus, maiore cura ob-  
 temperabunt monitis nostris, & feruidos ac fe-  
 roces impetus animorum repriment, quibus eij-  
 citur Spiritus sanctus. Repetuntur autem hæ  
 de disciplina conciones tractabilibus ac modera-  
 tis. Cæteris quos ita occupauit λόγος τε ἀνοία φρε-  
 νῶν τε ἐπίρρυς ut nec pœnarum atrocitate, nec  
 conspectu ingentium miseriarum, quæ delicta co-  
 mitari solent, moueantur, ceu surdo fabula cani-  
 tur. Hos non hæ nostræ conciones afficient prius,  
 quam

quam in pœnis hæserint. Sed sera tunc erit pœnitentia.

De temperamento uirtutis & doctrinæ inquit Menander ὡς ἴδῃ σωέση χησότης κερραμένη. Neq; est omnino homini Ethnico ullius rei species externa pulchrior, quam eruditio ornata honestis moribus. Quas mitiores uirtutes pariunt, quæ humanitatem efficiunt. Sed res longè excellentior est sapientia Filij Dei lucens in mentibus, atq; ardentibus ac uiuis è corde Spiritus sancti motibus sese ostendens in uera inuocatione & obedientia erga Deum, in omnibus pijs officijs erga homines. Harū rerum inchoantur exordia in ijs, qui doctrinam Ecclesiæ in scholis diligenter discunt, & normam doctrinæ moribus exprimere studēt. Et qui id dant operam, ut sint domicilia Dei, hi res easdem tunc penitus cognoscent, cum pleni luce diuina in illa æterna Academia coram in Deo & Ideam nature contemplabimur, & causas creationis nature, ac redemptionis generis humani audiemus. Quod qui faciunt, ijs honor etiam debetur in hac uita.

Cognouimus autem tales esse hos 34. honestos ac doctos uiros, qui doctrinæ suæ & morum testimonia à nostro collegio petunt. Hos tibi diligenter commendo, petoq; ut gradum atq; insignia Magistrij Philosophici eis tribuas. Quo beneficio illos & tibi deuincies, & Ecclesiæ obligabis.

Oro autem ueris gemitibus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ipse semper adsit

adsit in mentibus & cordibus nostris, & in hoc suo domicilio, mentes, corda, Spiritus & uires omnes nostras gubernet sua luce & suo spiritu, ut uera doceamus & salutaria nobis et Ecclesie agamus. Gubernet etiam totum cursum studiorum ac uitæ horum Candidatorum, ut sit salutaris Ecclesie & ipsis. DIXI.

## ORATIO CONTI-

TINENS COMMONEFACTIO-  
nem de peste, quæ latè uagatur per Europam. Re-  
citata à CASPARO PEVCERO, Philo-  
sophiæ & Medicinæ Doctore clarissimo, cum in-  
signia Doctoris in Arte Medica conferrentur  
uiro doctrina & uirtute ornatissimo Magi-  
stro Petro Cnemiandro Laubanensi  
Silesio, die 27. Martij.

**G**Rauissimæ sunt causæ, cur de diuinis operi-  
bus sæpè & dicamus, & dicendum esse exi-  
stimemus. Inter quas hæ præcipuæ sunt, ut teneras  
mentes ad testimonia præsentis Dei, ac prouiden-  
tiæ in rerum natura & ordine Politico, non osci-  
tanter & uelut in transcurso, sed cum attentione  
quadam atq; admiratione consideranda, uoce no-  
stra exuscitemus, & quasi manu ducamus: Deinde  
ut DEVM Architectum huius pulcherrimi opus-  
ficij, & societatis humanæ autorem atq; custodem  
grati

grati celebremus: Deniq; ut simul nos ipsos com-  
monefaciamus de fine, ad quem conditi sumus. Sa-  
pientia præpostera est, magna cura peruestigare  
uim & usum corporum motuumq; cælestium, aut  
rerum terra nascentium: Neq; à se potius ordiri, et  
primùm querere atq; intueri finem, ad quem mul-  
tò maiore arte sabrefactum est genus humanum,  
quod cæteris omnibus antecellere ac dominari  
opifex rerum uoluit.

Ille ingens rerum uarietas in natura, gratissi-  
ma uicissitudo temporum, copia ac distributio ali-  
mentorum ac remediorum, ostendit genus huma-  
num Deo curæ esse. Sed cur uult seruari homines?  
An ideò, ut pecudum ritu titillatui cupiditatum  
obsequentes, delicijs & uoluptatibus corpora ex-  
pleamus, quas maxima pars hominum solas expetit  
ac sectatur? Imò propter hanc causam unam om-  
nium maximam, ut sint homines domicilium Dei,  
in quo in tota æternitate habitet ipse & acquies-  
cat, spargens in nos simul è perenni fonte sue di-  
uinitatis, uitam, lucem, sapientiam & iusticiam æ-  
ternam, quarum rerum haurimus initia, & quasi  
gustum percipimus in hac uita, ex sobria ac pia  
cogitatione creationis ac redemptionis per filium.  
Ideò cum opera creationis celebramus, includimus  
autorem Deum, & inuitamus iuuentutem, ut de  
Deo, de ingentibus Dei beneficijs, de semetipsis sa-  
pè & reuerenter cogitent, dona Dei magnifici-  
ant ac prædicent, & his rectè utantur. Sit itaq;

Orationis nostræ in hoc confessu prima pars præcatio, cum qua uota uestra coniungite.

Tibi omnipotens Deus, uiue, sapiens, uerax, iuste, benefice, caste, liberrime, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cæli & terræ & hominum, unâ cum æterno filio tuo Domino nostro Iesu Christo, crui fixo pro nobis & resuscitato, & Spiritu sancto effuso in Apostolos & Paracleta, gratias agimus uero & ardenti motu pectorum, quòd immensa misericordia te patefecisti in creatione, redemptione et resuscitatione generis humani: Et quòd in hac uita colligis tibi ex genere humano uoce tua agmen sanctum, fruiturum consuetudine tua in omni æternitate: Et ut colligi possit, non sinis deleri totum genus humanum bellis, fame, peste, nec uastitatem effici impedituram congressus publicos, necessarios ad communicationem doctrinæ: Sed sustentas hominum uitam, seruas & protegis honestas politias, leges, iudicia, & in ira misericordiæ recordaris, mitigans pericula bellorum ac sæuitiam grassantis multis in locis pestilentie.

Rursus ueris te gemitibus oramus, ut deinceps etiam benignè respicias ac foueas & Ecclesias sætantes uocem Pastoris sui IESU CHRISTI, & hos alueolos nostros, in quibus te multi rectè agnoscunt, & colunt te rectè non simulata inuocatione & obedientia: Colligas tibi ex hoc agmine nostro & in his regionibus perpetuò æternam  
Eccles

*Ecclesiam, atq; in pectoribus nostris obsignes Spiritu tuo lucem, quam uoce doctrinae accendisti: Arcas Diabulos insidiantes gloriae tuae, & huic coetu profidenti nomen tuum: Depellas semina atque contagia falsorum dogmatum & pestilentiae, ne uel illis oppressa ueritate, laus tua inter nos conticescat, uel his turbato disiectoq; hoc coetu audientium & cognoscentium uocem doctrinae tuae, interrumpatur necessarius Ecclesiae cursus studiorum publicorum.*

*Huic de Deo commemorationi adiungam ex presentibus occasionibus sumtam commonefactionem de causis & periculis pestiferæ luis, latè uagantis per Europam, quæ multas Germaniæ partes iam in annum tertium infestat ac depopulatur. Vtraq; enim in natura testimonia Deus inquiri & pensitari uult, inexhausti amoris sui erga genus humanum, & uicissim iustissimæ iræ suæ aduersus peccata generis humani, quibus conflata horribilis labes, reddidit hominum naturam, quæ ad æternitatem perfectione summa condita erat, obnoxiam morti, morbis, malis externis, utrisq; inueneris.*

*Pulcherrima totius opificij Oeconomia, & corporum uiriumq; sapientissima distributio cum directa sit atq; accommodata ad hominum utilitatem, ostendit Deum uoluisse consulere salutem atq; incolumitatem hominum. Ergo è diuerso quæcumq; aduersa peruitiosaq; hominibus uel portendant.*

uel infligunt, siue lege & ordine naturæ, ut eclipses, infausti congressus siderum, siue præter usitatum cursum, nouo insolitoq; more eueniant, ut ostenta ac prodigia: ea statuamus esse indubitata argumenta indignationis diuinæ, propter scelera hominum, & causas esse horribilium atq; atrocium pœnarum, quæ iustissimo Dei iudicio grassantur in totas gentes. Nec minor est impietas in Deum, ridere & præuia in natura signa, & antecedentes atq; effectrices causas bellorum, sterilitatis, pestilentia, quam Epicureo furore tollere ex natura, imò ex nobis ipsis uestigia diuinitatis.

Quotiescunq; igitur naturam rerum & nos ipsos aspiciamus, cogitatione complectamur Deum Architectum, & firmissimè teneamus contra Epicurea deliria, Nequaquam casu ex Democriti Atomis confluisse hunc distinctorum corporum, interq; sese admirabili nexu coherentium, coeli, aëris, aquæ, terræ tractum: nec sidera temerè ipsædem perpetuò legibus motuum circumferri, quæ gratas ac necessarias pariunt dierum ac noctium, æstatis & hyemis uices: Nec homines casu nasci & occidere: Nec in hominibus fortuita esse, aut ex natura bruta erupisse, intellectum numerorum & ordinis, lumen discernens honesta ac turpia, horrendos cruciatus cordis, & furias ultrices scelerum in facinorosis. Sed esse mentem æternam, Architectatricem, ordinis intelligentem, sapientem, boni causam, quæ & initio fabrefecerit omnia,

Et hanc fabricam sustineat, agitet atque gubernet.

Hanc æternam mentem intelligamus aliud esse, præter istam cœli circumflexu conclusam machinam, quam oculis cernimus, & esse eum *Δευσις* *Υορ* liberrimum, non inclusum carcere mundi, nec legibus naturæ uinctum, sed qui liberrimè hunc ordinem instituit, & quàm diu uult conseruat ac uegetat, qui hoc destructo nouum condere, & in hoc ipso uires effectrices à sese rebus inditas inhibere ac reprimere, qui hominibus omni destitutis spe opitulari possit & uelit, citra opem obuiarum in natura causarum, & contra earundem uim uel exertam iam atq; intentatam in ipsas percuntium ceruices.

Talem se esse, & ita de se quòd sentire nos uoluit, testatus est non tantum patefactionibus nouis, ut promulgatione promissionum, Sed & operibus inusitatis, extra ordinem naturæ, resuscitatione mortuorum, repressione cursus Solis, partu mulierum natura steriliū aut senectæ effectarum, partu uirginis, fluctibus dehiscientium & scopulorum instar insurgentium atq; insistentium aquarum, conseruatione hominum in medijs flammis, certissimis uaticinijs de Monarchiarum numero, exortu atq; interitu, mutationibus.

Hæc & similia alia testimonia opponamus Stoicorum deliramentis, qui ità Deum secundarum causarum nexibus irretiunt, ut libertate om-



nipotentiæ exuant, & nostris eadem inculcemus animis, ne in calamitatib. aut periculis, cum deserti à tota rerum natura uidemur, de auxilio diuino desperemus.

Sed addamus ex Ecclesiæ doctrina illustriora testimonia peculiarium patefactionum, quæ declarant hanc æternam mentem esse illum ipsum uerum Deum, qui est Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui cum Filio & Spiritu sancto res uniuersas creauit ex nihilo, qui misit Filium ad redemptionem generis humani, quod perierat, & cum Filio Spiritum sanctum effundit in corda credentium, deniq; qui etsi uerè irascitur peccato, tamen recipit & sanat resipiscentes per & propter Filium.

Hæ de Deo sententiæ uelut ὁδοὶ certissimi minimeq; fallentes præcedant nos, quoties ad naturæ contemplationem animos aduertimus, & dirigant cogitationes cæteras, quæ sine hac norma rectrice sæpè à uero aberrantes, tandem in labyrinthos incidunt inextricabiles humanæ rationi, ut Philosophorum commenta ostendunt.

Sed si Deus causa boni est, & ad hominum salutem natura condita est, unde est in genere humano tantū morborum? Unde tam subiti interitus tantæ multitudinis, quantam conspicamur peste absumi, & celeritate sæpè tanta extinguui, ut uix fulmine adflati pereant citius? Quare quæ saluti  
homi

hominum seruire debent, pro subsidio necessariae opis uim inferunt, pro salute intentant perniciem atq; interitum? Hoc scilicet est, cuius inuestiganda nobis atq; explicanda ratio est, contra Epicureos, Atheos, Hypocritas, quorum illi in casum omnia: hi in uagos incertosq; materiae motus, & uim quandam siderum omnia, secluso Deo, quem si modo Deum esse credunt, somniant tamen, ut Iouem Homericum neglecta cura rerum humanarum, ociose & secure alicubi deliciarum: Hypocrite contra in Deum omnia referunt, causis secundis e natura sublatis.

Sic igitur sentiamus, Nec morbos mortemq; (de his enim precipue nunc nobis sermo est) casu & sine ullo Dei consilio accidere: Nec causas in solo materiae uicio uagoq; motu, aut caelo querendas esse: Nec ita in iustitiam diuinam conferendas esse clades publicas sterilitatis, bellorum, pestilentiae, ut uim omnem secundis causis detrahamus, quarum ministerio Deus utitur.

Sed contra Epicureas opiniones, quas primo omnium euelli ex animis atq; extirpari oportet, accendamus & confirmemus in nobis agnitionem praesentiae Dei, & cura ac sollicitudinis de nobis diuinae, his ueris ac perspicuis testimonijs: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorum. Dominus mortificat & uiuificat. Ego Dominus faciens bonum, & creans

malum, scilicet pœnæ. Hæc dicta enim ostendunt non fortuito, sed sciente Deo mala obijci. Quare ut in beneficiorum, sic in pœnarum causis complectamur Deum.

De secundis causis hoc teneamus. Quanquam ut seditiones, bella & similes aliæ pœnæ à Diabolorum & hominum seuitia oriuntur, sic morbi præsertim epidemij in materia causas habent, quæ uel initia corruptionis concipit intra sese, ex insisto à primo ortu, contractoue deinceps ex alijs causis uicio, ac semina mox contactu, fomite aut expiratione propagat, uel cœlestium corporum motibus ac lumine inficitur: tamen ne hæc quidem casu eueniunt, & sine Dei uoluntate. Adest enim perpetuò Deus operi suo, & naturam liberrimè administrat. Ut igitur frenos laxat uel iniicit malicie Diabolorum aut hominum, definitis metis, ultra quas illa efferrî ac prouehi nequit: sic & materiæ uagos motus moderatur atq; cohercet, & cœlestium causarum uim uel restringit atq; cohibet, uel incitat atq; exacuit cum uult, cumq; id scelerata hominum merentur.

Ita Deus grassantibus epidemijs infectionibus, multos aut correptos iam ueneno ac periclitantes seruat, quibus nulla potest auxiliari humana industria, aut prorsus tutos atq; immunes à contagijs præstat. Et sæpè alias in calamitatibus publicis aut cursum naturæ suum permittit, aut uictus Ecclesie precibus, uel mitigat uiolentiam publicæ se-  
 uientia

uientium cladium, uel opem fert oppressis, natura tota aduersante ac ceu conspirante in perniciem desertorum, ut seruabat populum Israëliticum in Ægypto, in mari rubro, in deserto.

Hac spe & fiducia muniamus animos, ad excipiendos pestiferæ luis appulsus, ut à quibuscunq; causis illa creatur, sciamus effundi eam atq; exundare in genus humanum, Deo sciente ac permitte, & causas omnes positas esse in Dei potestate. Nec quod multi intereunt, in solam analogiam patientium atq; agentium causarum, ut Athei: Nec quod multi uel inter media cadauera non inquinantur, uel superant uirulentiam mali, in solam referamus subiectorum corporum δύσπνοια, aut uim atq; efficaciam remediorum. Sed in illo iustitiam, in hoc misericordiam Dei simul comprehendamus, quod non accendit omnem iram suam, sed aliquas seruat reliquias generis humani propter Ecclesiam. Nam & quod nature in aliquibus tantum est robur, ut uenenum profliget atq; discutiat, & quod medicina efficax est ac prodest, Dei opus est.

Nec uero propterea aut contemni debent cause presentes atq; obuiæ, quæ sunt uelut indices ac nuncie iræ diuinæ, & uelut ministræ atq; excutrices iudicij ac sententiæ diuinæ: aut negligi debent remedia, his malis uel arcendis, ne inuadant, uel extirpandis, si prehēderint, proposita diuinitus. Custodit enim, tuetur ac seruat Deus alios sine me-

dijs, alios per ordinata media. Sed medijs omnes uti uult, sicut cibo & potu.

Magnam uim esse infauſti congressus aut conmixtionis trium superiorum Planetarum, præſertim ubi crebra tetraq; miſcentur luminum deliquia, & Mercurius ſuum uirus aſpergit, ſi quis inficiatur: aut oſcitanter nimis, aut nunquam proſus cœli motus uiresq; contemplatur, in terrena ſola oculis animoq; defixus. Sed quid ad peſtilentiam hæc inquier, cuius è putredine origo creberimè eſt? Eſt non inficior multa particulatim loca inquinari halitibus peſtilētibus, emiſſis è putredine magna, ſordida atq; concluſa, uel cadauerum, uel rerum terra naſcentium, uenenatarum maximè, in aquis & extrà aquas, aut malignæ materiæ in terræ cauernis abſtruſæ: tamen nulla erit unquam putredo tam magna, quæ in tam amplos atq; patentes aëris tractus, tantam molem halituū et coalitu tam firmo coherentium diſſeminabit atq; diſperget, ut ſimul in pluribus iſſq; diſiunctiſſimis locis, ceu fomitè in aëre peſtilentis malignitatis accendat, multos annos duraturum, ſed accedat ad propinquas cauſas uis maior ac penetrantior è cœlo neceſſe eſt, præſertim cum ſæpè multos citrà cõtagia ulla, citrà antegreſſam putredinem, uis uenenata corripiat ac ſtrangulet ſubitò. Tradunt hiftoriæ, circiter annum Chriſti 1127. lucem tam immanem terras Europeas peruagatam eſſe, ut tertiam partem hominum extinxerit. Eo tempore conſtat ſub Vir-

ginis

ginis Dodecatemoio coiffse Saturnum, Iouem & Martem, & antecessisse defectus luminum frequentes.

Que secuta deinceps Pestilentia circiter annum millesimum, trecentessimum, quadagesimum quintum, maiore seuitia partem hominum dimidiam sustulit quinquennij spacio, Initia habet ex eorundem Planetarum. Synodo sub Dodecatemoio Aquarum.

Alia rursus ingens Pestilentia, sed prioribus mitior Europam depopulata est, anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo quarto, Saturno & Ioue copulatis sub iugo, oppressisq; aduersi & infesti Martis diametralibus radijs.

Vidimus congregari eosdem hisce duobus annis, sub Cancris & Leonis signis, cum quidem preceserint aliquot annis creberrima & terribilia maxime luminis utriusq; deliquia. Effectum mox deinceps sensit Europa, & sentit eundem adhuc iam perseverantem in annum tertium, inde à Borysthenae ac Ponto Euxino ad Oceanum Atlanticum usq; ut penè ab infectionibus seuisimis ac celerrime ingulantibus, nullus reperiatur angulus immunis, nisi quibus Dei benignitas hæcenus pepercit.

Compertum & de hoc loco est multis ueteribus obseruationibus, infici hunc lue pestilente, cum Saturnus uebitur in Leone uel Aquario, et exasperari uirulentiam ac uehementiam, si Mars uel assistat Saturno, uel in hunc aduersos radios minaci  
uibratu

uibratu ei aculetur. Etsi igitur Pestilentiam ἐνδύει  
 μίον seu ἐπιχώρασιον & contagiosam è putredine  
 particulatim nasci facile assentior: communem ta-  
 men immensis terræ tractibus ac uerè ἐπιδημίον  
 creari conflariq; ui maiore, quæ cælo excidit, con-  
 sensus experientiæ dubitare nos non sinit.

At qua ui fundunt uenena cælestes causæ, cum  
 nullas ab orbe elementari recipiant uel admittant  
 uicissim affectiones? Nulla fiat in cælo luminis  
 cum terrenis expirationibus permixtio? Vnde tan-  
 ta emergit inter superiora & inferiora corpora  
 Antipathia certo positu siderum, ut extillans è  
 superioribus uirus protinus homines iugulet?

Causam huius Antipathie nulla Philosophia  
 assequitur. Sola enim eam doctrina cælestis demon-  
 strat, in horribili labe uiciatæ materiæ ac turbatæ  
 harmoniæ rerum omnium, quam & hominum ge-  
 neri & reliquis naturæ elementaris partibus in-  
 fluxit peccatum. Tantam DEO iusto iudice ac  
 uindice præstantissimarum ac perfectissimarum  
 rerum ruinam, tantam inter se earundem discre-  
 pantiam atq; discordiam traxit lapsus tristissimus  
 primorum parentum. De hoc lapsu & de ingenti  
 infirmitate nostra, quæ lapsum consecuta est, com-  
 monefaciant nos tristia spectacula magno numero  
 intercuntium hominum.

Sed cur ubi recurrunt iidem positus, non sem-  
 per pari uehementia ingruunt atq; urgent? Cur  
 uerò etiam non in omnes homines pariter sese  
 exerit

exerit & effundit uis eorundem? Longum esset singula ad ueros causarum fontes reuocare. Neq; ut in re obscura & nondum satis explorata, inquisitio difficultate caret. Dicam tamen & de hac questione aliquid.

Consensus est mirificus cœli cum orbe elementari. Cogor & hoc fateri, experientie documentis conuictus, alia cœli sidera his terræ partibus & huic generi animantium cognatione magis familiari, quàm alijs coniuncta, aut contrà infesta magis atq; inimica esse. Quare & ipsa octauæ orbis sidera uim errantium, uel extimulant uel frénant. Obseruatum est enim, ut cætera præteream, uibratos coniunctim radios superiorum, è Geminarum, Virginis aut Aquarij sidere ualidius incumberè in genus humanum, idq; urgere infestius, quàm animantia cætera, præsertim si ex antegressis alijs cœli qualitatibus euidētibus ac manifestis, Endemiæ aut Epidemiæ constitutiones aërem & corpora præpararint. Sæpè & positus interueniunt contrarij aut similes inferiorum Planetarum, quorum illi uim cæterorum non elidunt quidem, sed retundunt tamen ac hebetant, hi uerò exasperant.

Sed ne quidem orbis elementaris eadem ubiq; est constitutio, aut habitudo ad uim cœlitus emissam.

Neq; eadem corporum humanorum temperies est aut conditio, aut habitus idem. Et alius alio diligentius uitat fugitq; pericula. Citius omninò  
conci



concipit uenenum corpus κακόχυμον aut πλῆθος ορισμόν, non eo tantum, quia talibus fomes inest copiosior accommodatiorq; suscipiendo & alendo ueneno, Sed eò etiam, quòd in his punit Deus ingluuiem, belluationes, intemperantiam, libidines, quibus & eneruantur & polluantur, & uiciosis humoribus implentur corpora: in illis ostendit Deus non firmitate tantum aut robore uirium, aut præsidijs humana industria comparatis atq; adhibitis, conseruari uitam hominum, sed ope diuina, cui quidem magis quàm cæteris causis tribuamus, quod multi seruantur. Necessè est enim fateri Medicos sapientissimos etiam & exercitatissimos, tantam sepe in pestilentibus morbis ueneni uim esse, ut præsidia artis atq; industriæ humanæ prorsus respuat, qualia de Attica pestilentia Thucydides, de Italica Antonini sæculo Galenus commemorat.

Neq; excludatur ab his causis Diabolus hostis Filij Dei & generis humani, qui permissu diuino ex his occasionibus crudelius seuit in miseros homines, atroci cruciatu lacerans corpora, & uirus afflatu uenenatiore adaugens, Sed tamen & huius potestatem scimus metis certis circumdatam esse diuinitus, ultra quas progredi nequit.

Coniungamus itaq; causas omnes, quas & Deus ipse coniungit, Pestilentiam statuamus esse poenam multiplicium peccatorum, in magna multitudine generis humani, & immitti seu uolente & ordinante

ordinante, ut in Historia Dauid, seu permittente Deo. Cogitemus iusticiæ diuinæ proprium esse, ut atrocia delicta atrocibus pœnis, publicè grassantia publicis & communibus supplicijs uindicerentur. Intueamur et in eas causas, quibus Deus ceu medijs utitur, tanquam in testimonia iræ diuinæ aduersus peccata, & tanquam in Legis diuinæ uocem, denunciantem & infligentem pœnas promeritas.

Rursus opponamus his et remedia analogæ, sua scilicet & conuenientia singulis, sed eo ordine & modo, quo à Deo institutum atq; concessum est. Cogitemus Deum & liberrimum esse naturæ Dominum, & non tantum iustum, sed & misericordem esse, qui pœnitentibus uult parcere aut pœnas lenire. Ideo uera pœnitentia, & seria atq; assiduâ inuocatione studcamus flectere & auertere iram Dei. Peti enim & expectari à se auxilium precipit. Sicut dicitur: Inuoca me in die tribulationis, et eripiam te, & honore afficies me. Atq; ut precum, sic remediorum presidium concessum nobis esse sciamus, quæ in hunc usum Deus condidit. Nec magis peccat contra Deum, usurpans remedia legitima, quam petens liberationem à morbo aut mitigationem, si ad obedientiam sese offerat, si aliter Deo uisum fuerit. Propterea non fastidiamus aut spernamus remedia, necessitatis Stoicæ persuasione, quæ in magna uulgi parte dominatur, Cuius uoces sunt: Si in illorum Catalogo sum, quos DEVS superesse uult, quorsum Medicina opus est?  
Nec

Nec temerè in pericula nos conijciamus, quod est tentare Deum. Sed & uitemus loca infecta, & contagijs occurramus, & præmuniamus atq; obfirmemus corpora aduersus seminaria & inquinamenta contagiorum. Animos uerò præparemus ad utrunq; , scilicet ad piè placideq; ferendum quicquid euenerit, & ad obediendum uoluntati diuinæ, si uel uocatio nos retinuerit intra metas officij nostri, uel ex hac nos statione Deus euocarit.

Ne tùm quidem recusemus medicationes, cùm pericula urgent. Sed satisfactum pietati certò nobis persuadeamus, si & integris uiribus, & desperatis auxilijs, pari fiducia unici Mediatoris nostri IESU CHRISTI in Dei uoluntate acquiescamus.

Hæc de causis & periculis pestilentie, ut adolefcentibus proponerem, tempus me admonuit.

Cum uerò & bella nobis non tantum cælestes minæ, sed iam strepentium penè præ foribus undique armorum sonitus ex multis locis quasi denuntient, recordor uersus Oraculi:

Ἡἶτα Δωρικὰδες πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἂμ' ἀντ'.

Dorica bella simul uenient, & maxima Pestis.

Et ualdè metuo, ne similibus calamitatibus Germania obruatur. Triste est spectaculum, cum agminatim funera efferuntur. Sed tristiora longè sunt

Sunt spectacula bellorum, & maximè quidem barbaricorum & ciuiliū.

Barbaricis, non ut inter humaniores gentes tantum certatur de imperio, nec uictor contentus gloria uictorie parcat debellatis, neque incendijs tantum deuantur prouincie, aut cadibus familie, direptionibus facultates exhauriuntur: sed delentur Ecclesie, Politie, leges honeste, iudicia, contractus legitimi, & alij consociationis humane nerui. Abiguntur ut pecora homines honesti, & nihilo mitius aut humanius, quam pecora tractantur. Abstrahuntur à complexu parentum liberi, maritorum coniuges, & diuulsi in perpetuum disiunctiq; abripiuntur in tristissimam seruitutem animorū & corporum. Qua re mens pia, amans suorum, & sollicita non tam de presenti quam de aeterna beatitudine, atrocius nihil nec tristius cogitare potest.

Nec multò clementior est exitus bellorum Ciuiliū, in quibus ferè ij inter se dimicant, & infestius penè atq; ardentiori odiorum impetu, quam truculentissimi hostes, non de imperio, sed utri super sint: li ergò dimicant, quos natura, quos religio, quos patria, quos Respublica infinitis arctissima necessitudinis uinculis coniunxit, & eo euentu, de quo dicitur:

Κλαίει ὁ νικῆσαρ, ὅδε νικηθεὶς ἀπόλωλε,

Nam inter νικῶν καὶ παρολεθρίων in bellis Ciuilibus nihil est medium, secundum Appianum.

§ § §

Quare

Quare Homerici uersus de Ciuiliū bellorum auctoribus uerissimi sunt :

Αφρίτωρ, Αθέμισος, Ανέσιος ὄσιμ' ἐκείνῳ.

Ὁς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὠκρυόεντος.

Impius in patriamq; suam, legesq; Deumq;

Est, quicumq; cupit ciuilia bella ciere.

Immani quæ mox funestant omnia cæde,

Et sacra, & leges abolent in pace uerendas.

His malis nostro nos loco obuiam eamus, pœnitentia, precibus, sobrietate, modestia, diligentia in omnibus pijs officijs. Et ardentibus uotis commendemus Ecclesiam suam filio Dei, atque in Ecclesia nos quoq;. Et oremus, ut hæc ingentia mala amoliatur ac depellat à nobis.

Te ergò Fili Dei, Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate oramus, ut pœnas nobis lenias, nec sinas in regionibus optimè constitutas Politias & Ecclesias euertere, aut deleri doctrinarum studia, ne uastitas fiat, qualem in Oriente arma Turcica & Tartarica effecerunt. Propter te hoc facias, ut tu celebreris,

Amen.

D I X I.

PETI

## PETITIO.

**C**Larissime D. Doctor Vite, Decane & Pro-  
 cancellarie dignissime, Præceptor & Com-  
 pater colende. Similitudo periculorum, in quibus  
 est tota Europa propter pestiferam luem, reuocat  
 mihi in memoriam Scholam Hippocratis, qui flo-  
 ruit tempore belli Peloponnesiaci, grassante illa  
 insigni Pestilentia, quam Atticam uocant, ut opi-  
 nor, propter mentionem urbis Atticæ in historia  
 Thucydidis. Vagata enim est lues per Græciam  
 totam, Macedoniam & Thraciam, & fortasse  
 progressa est uersus occasum longius. Nam serè  
 illarum infectionum, quæ Europam inuadunt ac  
 peruadunt, initium est ab Oriente.

Eo tempore Hippocrates ex sua Schola Medi-  
 cis instruxit Græciam uniuersam, quos publica au-  
 toritate testimonijs ornatos ablegauit. Thessalum  
 filium Athenas, Inde in Peloponnesum: Draco-  
 nem alterum filium ad Hellepontum: Polybum  
 generum in Macedoniam: Alios discipulos aliò  
 misit. Ipse Thessaliam, Achiam & Phociden cir-  
 cumiuit, ac Delphis Apolloni sacrificauit, osten-  
 dens Pestilentiam ab irato numine pœnæ loco in-  
 fligi, nec solis auerti præsidijs remediorum.

Moueor exemplo, ut ex Hippocratis Schola  
 profectam esse hanc nostram consuetudinem ex-  
 s s s 2 istimem,

istimen, qua publico testimonio ornatis facimus potestatem docendi ac faciendi Medicinam ijs, quos idoneos esse deprehendimus. Et cur necessaria sit hæc consuetudo, sæpè aliàs expositum est.

Cum autem & hic Magister Petrus Cnemian-  
der, qui testimonium à Collegio nostro petit in  
presentia, priuatim Collegio nostro, & publicè  
toti Academiæ, cum laude sua & approbatione  
omnium, ostenderit se doctrinam artis Medicæ, ex  
Hippocratis fontibus integrè & solidè didicisse,  
& peritiam, industriam, fidem, felicitatem in  
medicando iam per multos annos probârit pluri-  
mis, in hac urbe & alibi, & professionem hone-  
stissimis ac castis moribus ornet: abs te Collegij,  
meo & ipsius nomine reuerenter peto, ut autori-  
tate publica, qua fungeris, facias ei potestatem, se-  
cundum leges nostras, suscipiendi gradum & in-  
signia Doctoris in Medicina. Hoc officio & Col-  
legio nostro gratissimum feceris, & illum tibi ad  
perpetuam gratitudinem deuincies.

## RESPONSIO.

**N**ON est mihi ignota huius Magistri Petri  
Cnemian-  
dri amici nostri doctrina, & uita  
ac morum integritas. Proinde eum paterno amo-  
re complector, Et hoc eius consilium ualdè probo  
atq;

atq; laudo, quòd non uoluit ad Medicationes accedere, absq; Præceptorum autoritate & testimonio. Id enim signum est, quòd quàm periculosa sit huius artis tractatio, iam pridem secum animo reputauit, neq; ad eam temerè & quasi illotis manibus irruere uoluit. Hæc modestia laude digna est, & hominem Medicum in primis decet.

Quamuis igitur non dubito, quin sanctissimum Iusiurandum Hippocratis sepe legerit, & semper in conspectu habeat, imò in ipso pectore scriptum secum circumferat: tamen præcipua eius Iurisiurandi Capita propter Scholam & hunc honestissimum confessum, hic commemoranda esse duxi, ut uideant omnes, quàm castam & sanctam Hippocrates uoluerit esse huius artis tractationem. Sunt autem huius Iusiurandi hæc præcipua capita.

Primum, Præceptores meos loco Parentum habebò, & liberos eorum fratrum loco, illisq; quod habebò benignè impertiam, neque egere eos patiar.

Dietam ordinabo omnibus ægrotantibus salutarem, & noxia prohibebo.

Nulli uel sponte uel iussus præbebo pharmacum noxium aut lethale, nec talia facinora ope uel consilio iuuabo.

Nulli mulieri præbebo, quod abortum cieat.

Castè ac sanctè & artem hanc exercebo, & uitam meam custodiam ab omni labe.



Aliud nihil nisi sanitatem & salutem ægrotantium queram, neq; spectabo, ad quemcunq; uocatus fuero.

Deniq; ubiq; honestatem & castitatem tuebor, & ab omni suspitione libidinum innocentem me conferuabo.

Et quicquid uel in curatione morborum, uel extra eam uidero uel audiero, quod non sit effe-  
rendum, id per uniuersam uitam meam tanquam  
sacrofanctum mysterium semper celabo.

Hæc ideò recensenda duxi, ut & nos ipsi ad-  
moneamur, & alij uideant, quàm sanctè & castè  
hanc artem tractari uoluerit Hippocrates.

Sed omisit ipse, ut homo Ethnicus, ea quæ no-  
bis prima & præcipua esse debent, nempe timo-  
rem Dei, ueram pietatem & inuocationem Dei.  
Nos autem beneficio diuino foelicius & melius in-  
stituti hoc statuere debemus, Omnem salutarem  
Medicinam à solo Deo esse. Ideò ab eo assiduis uo-  
tis & precibus petere debemus, ut cogitationes,  
manus & mentes nostras Spiritu sancto suo regat  
ac gubernet, ad quàm plurimorum hominum sa-  
nitatem & salutem. Neque hæ preces irritæ, sed  
efficaces erunt, & magis quàm ulla morborum re-  
media leuabunt ægrotos. Sicut pius Poëta nostro  
tempore cecinit:

Namq; preces castæ pallentes pellere morbos,  
Votaq; Pæonia fortius arte ualent.

Quod

Quod autem ad hoc attinet, quod in presentia à me petitur, id uerò Domino Candidato, pro meo erga illum amore, summa uoluntate concedo.

Et autoritate qua in presentia fungor, potestatem illi facio, seu, ut loquuntur, tribuo illi licentiam assumendi titulum & insignia Doctoratus in arte Medica: Et cætera quæ ad renunciationem, ceremonias, atq; ad hanc solennitatem pertinent, clarissimo Viro D. Promotori, Compatri meo charissimo permitto & commendo.

Et æternum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, omnis salutaris Medicinæ fontem perennem oro, ut & te & nos Spiritu suo sancto regat, & efficiat, ut medicationes tuæ quàm plurimis hominibus felices sint ac salutare in Christo, & per Christum Iesum, Redemptorem nostrum, Amen.

## QVÆSTIO.

ET meminimus disputationum tuarum de Febribus & Pestilentie malo nuper habitarum, Renunciate domine Doctor, Medice eximie, amice paterne: & audiuimus modò orationem de causis diuinis & naturalibus contagionis illius mortiferæ. Quibus ut meo loco subseruiam, edoctus sum de eodem argumento quærere aliquid, non tam Physicè, quàm de communi & ad omnes pertinens.

te doctrina religionis Christianæ, quæ est scientia sanctorum, cum talia sint omnium locorum & temporum, & hunc etiam locum dicatum ritibus sacris & inuocationi religioſe, dedecere minimè poſſint.

More igitur inueterato, & pro conſeſſa ætati noſtræ in feſtiuitatibus Scholaſticis talibus uerba faciendi poteſtate, primùm renunſiati Domini Doctoris honoribus nouis gratulor, eiq; bene precor, & Queſtionem propono hanc.

Cum Peſtis ſit inter eas pœnas, quæ irritata ira diuina graſſantur in genus humanum, An ſemper cauſas in natura habeat, aut diuinitus & per miſterium bonorum Angelorum hoc malum in terras effundatur, aut etiam à malis ſpiritibus nonnunquam exiſtat, Deo neq; mandante neq; curante, qui miſterio horum ſpirituum nunquam utitur.

Difficilis eſſe putatur & impedita reſponſio, & aliarum Scholarum propria. Sed & hoc loco non eſt indigna queſtio, & quòd fidei ſit ἀνάλογος de his dici, et ita res tractari poteſt, ut à Scholis etiam Medicis non ſit abhorrens diſputatio. Atque ut commemorem quæ de hac re ego didici.

Magna res eſt plenaq; difficultatis & obſcuritatis, de contagionibus & cauſis harum dicere, ſed de ijs quæ in peſtilentia fiunt imprimis, & tamen ſi res inexplicata manet, & ignoratur cauſa,  
methoſ

methodus certa in medendo esse non potest. Atque uenire alicui in mentem possit, hac de causa ueteres Medicos in ἀντιφάρμακα & ἀλεξιφάρμακα contra Pestem sua tam multa coaceruasse, ex genere eorum quæ contra uenenum ualent, & putredinem arcent, & præcipua membra confirmant, quod huius ueneni causam & naturam non haberent perspectissimam. Sicut cum Gallicus morbus primum inuaderet nostros homines, in malo ignoto adhibita fuerunt ea omnia, quibus Empirici ueteres contra Scabiem grauissimam usi fuere, in quibus & unctiones sunt illæ cum hydrargyro, quæ hac occasione adhuc in illius morbi cura conseruantur.

Sed ex scripturæ sacræ historijs & testimonijs hoc constat, inter pœnas diuinas, quibus peccata hominum puniuntur, esse famem, bella, pestem, sicut morbi in genere sunt pœna peccati, & scribit sapiens Hebræus: Qui peccat coram creatore suo, incidet in manus Medici. Potest autem in natura deprauata, & ut Paulus loquitur, subiecta uanitati, ex ijs quæ stellarum concursus & configurationes certæ aëri imprimunt, affici ille & inquinari. Sunt enim Græcis μιάσματα, & in didem uentorum flabra commoueri possunt pestilentia, & in terræ cauernis & superficie huius materia colligi potest, quæ exhalando aërem inficiat. Quæ cum sunt, de naturæ cursu, qualis iam est, & Physicè pestis excitari uidetur, non alla-

borantibus uel Deo per bonos Angelos, uel malis spiritibus in natura admodum turbantibus. Et tamen hæc etiam tunc poena est, cui natura subiecta est propter peccatum, absq; quo nihil tale in natura fieret. Sic etiam ea quæ Siracides commemorat, noxia sunt homini, ignis, mare, fames, bestia, uenena, Scorpion, inundationes, morbi, non consulto accersiti.

Hoc igitur distinguendi causa primum genus pestis esse ponamus, Physicum, id est, cuius causæ in natura appareant aliquæ, & quod tamen poena esse diuina non desinat.

Sed præter hoc genus sunt alia duo, cum non simpliciter de naturæ statu præsentis malum existit, sed accedit uis externa, eaq; uel diuina, quæ malum poenæ huius commouet, uel diabolica malorum spirituum, qui natura abutuntur ad perniciem.

Cum diuinitus pestis immittitur, utitur Deus ad eam rem Angelorum suorum ministerio, sicut in alijs poenis, quæ non assumptis naturæ administrantur à Deo existunt. Hæc enim aliàs assumit ille, aliàs non assumit, & ut in Scholis loquimur, aliàs cum causis secundis, aliàs sine his aliquid exequitur, ut cum Angelus Domini interficit multa millia hominum in exercitu Sennacherib, & percutit primogenita Ægypti. Ita 1. Paralip. 21. mittit Dominus Pestilentiam in Israël, & mittitur Angelus Domini in Ierusalem, ut percutiat eam

eam peste, & uidet David Angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & strictum gladium manu eius, & uersum contra Ierusalem, cui & paulò ante mandat Dominus, ut cesset manus eius à cœde. Sic enim ibi legitur: Cum percuteretur Ierusalem, uidit Dominus, & misertus est super magnitudine mali, & imperauit Angelo qui percutiebat: Sufficit, iam cesset manus tua.

Ita est Deus ὁ κτίζων κακὰ, qui malum creat, sed non κακὰ ὑπὲρ ὧν κολαζόμεθα, ἀλλὰ πονηρόμεθα, ut ex Græcis Theologis unus loquitur, Id est, Non ea mala creat Dominus propter quæ punimur, quod uulgò malum culpæ nominant, sed per quæ castigamur, quæ in bonum uertunt ijs quibus immittuntur, quod est malum pœnæ.

Quicquid est præterea in natura mali, id Deus neq; condidit neq; nunc etiam creat, neque sustentat, aut conseruat, sed in naturam ab ipso conditam deprauatio illata est, atq; ita & peccatum in homine extitit, & propter hoc cætera in uniuersitate rerum mala extitère, quæ omnia Deus odit & auersatur, & in homine peccatum detestatur, & punit grauissime, tantum abest, ut conseruet aut sustentet. Et haud scio an cœlum et terra hac de causa interitui subiecta sint.

Non igitur neq; peccatum in homine, neq; malum in natura reliqua Deus uult, sustentat aut

conseruat, sed tantum naturam à se cōditam conseruat, quæ bona est, atq; ut iterum dicamus, hanc solam conseruat. Quo modo fit, ut ea quæ in hac hærent non ab ipso condita, sedem & locum reperiant, quo nitentia simul ipsa sustententur, non à Deo, sed ab ijs in quibus hærent, quàm diu hæc ferre in operibus suis Domino libuerit. Erit enim tempus, cum hic mundus conflagrabit, & tunc non amplius sedem habebunt opera Diaboli. Interea & tolerat de præsentè statu aliquid, & aliàs hoc ad pœnas uitur, aliàs cohibet & reprimit quod in hoc sese commouet.

A Diabolis pestis commouetur per causas secundas & nature adminicula tantum, quæ his subiecta est propter peccatum, & propter hoc ius habent in naturam, & Principes mundi sunt & appellantur à Christo. Quos enim subiectos pedibus nostris conculcare potuimus, eos per peccatum fecimus  $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\kappa\rho\acute{\alpha}\tau\omicron\rho\alpha\varsigma\ \eta\upsilon\delta\iota\ \acute{\alpha}\rho\chi\alpha\iota\varsigma$ . Ita igitur hi in aëre ea commouent, quæ hunc ueneno inficiant, ut fiat pestilens hominibus.

Neque ab ijs etiam quæ in aëre naturaliter fiunt, & quæ in primo genere retulimus, ab his inquam non etiam abesse uidentur Diaboli opera mirifica & occulta atque inexplicabilia. Vnde fieri potest, ut sit quod Physicorum ac Medicorum rationes de causis & ortu Pestis in plerisq; conuertuntur & hæreant, præsertim cum absq; hoc  
multa

multa in natura rerum humani ingenij acies perspicere nequeat.

Sic uerò illi Spiritus natura abuti possunt & solent ad perniciem, quasi pro iure suo, nisi à Deo reprimantur, qui permittit, ut nature laboranti cursum præsentem, ita potestatem his in naturam propter peccatum, ut diximus, quod odit & execratur atque punit, per se: ut cum Dominus pluit ignem à Domino, super Sodomitas & Gomorrhæos, & per ministros suos Angelos, quod ostendimus: uel permittens cursui suo naturam, & potestatem in hanc suam Diabolis, quibus nos & naturam subiecit.

Hoc modo administri poenarum nonnunquam appellari leguntur Diaboli, ut, Emisit in eos iram furoris sui, iram, furorem & calamitates ἀποστολῶν διὰ ἀγγέλων πονηρῶν, & cum Siracides scribit, esse Spiritus, qui ad poenas exequendas conditi sint. Ἐσὶ πνεύματα ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἐκλήσθη, καὶ ἐν θυμῷ αὐτῶν ἐσθρέωσε μάστιγας αὐτῶν ἐν καρῶν σωπελείας ἰσχῶν ἐκχέουσι, καὶ τῶν θυμῶν τῶν ποιήσαντες, αὐτῶν κοσῶσους. Ministerio enim horum ita ut Angelorum suorum Deus non utitur, sed hi sunt hostes Dei, & abiecti à facie huius: neque ulla est κοινωνία horum cum Deo: neque pars sunt, πολιτείας diuinae, neque ut uulgò sentiunt, hi spiritus sunt quasi Carnifices in Repub: diuinarum



rum opera ad pœnas utatur Dominus: sed sicut Latrones & καδάρματα, quorum opera & potentiam & iam cœpit destruere aduentu in carnem suo filius Dei, & euertet prorsus glorioso altero suo, quem expectamus.

Recitavi breuiter, quid de tantis rebus ego sim edoctus, quæ & tuæ censura subijcio præstantissimè Domine Doctor, & tuo arbitrio permitto, ut de his tuam sententiam nobiscum communices, uel ad alias Scholas me remittas.

## RESPONSIO AD QVÆSTIONEM.

**E**ST omninò explicatione digna Quæstio, Puer charissime, de qua erudite in partem utramq; disputasti. Et cuperem ipse quoq; addere aliquid, si ratio id temporis elapsi pateretur, & nisi uerer, ne prolixitate nimia auditores satis fatigatos plus etiam offendam.

Quare meæ sententiæ explicatione reiecta in tempus aliud, conuerto me ad usitatam & debitam gratitudinis declarationem, quam si à commemoratione summorum beneficiorum, quibus in hac Schola affectus sum, ordirem, & singula cum laude ac dignitate percenserem, tempus me citius quàm Oratio deficeret.

Sed

*Sed & uos Præceptores perpetua mihi pietate & obseruantia colendos à nimis ambitiosa meritum uestrorum exaggeratione abhorrecere scio: Et ego re ipsa quàm Oratione ostendere malo, ubicunq; fuerit occasio, constanter me beneficiorum perceptorum memoriam retinere, & daturum operam sedulò omni tempore, ut fidem & gratitudinem meam uobis probem perpetuò.*

*Sed quia & uerbis gratum hominem animi sensa testificari decet: Ago gratias primùm æterno Patri Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, fonti omnis sapientiæ, & autori artis Medicæ, toto pectore, quòd semina purioris doctrinæ & optimarum artium in hac Schola restituerit, & me in Ecclesia sua uera luce illustrata nasci atque educari, & huius Scholæ ciuem, horum Præceptorum auditorem esse uoluit, & quòd conatus meos atq; industriam sancto suo Spiritu rexit, iuuuit & fortunauit.*

*Ac precor eum ardentibus uotis, propter æternum filium Iesum Christum, crucifixum pro nobis ac resuscitatum, ut lucem sapientiæ suæ, quæ ex hoc doctrinarum nidulo, immenso ipsius beneficio, post longas tenebras, rursus orbi terrarum illuxit, clementer foueat ac conseruet, neque extingui eam aut indoctorum barbaris furoribus, aut Turcica Tyrannide sinat: Tueatur & docentium ac discientium cætus in hac Schola, quorum*

quorum uigilanti cura & studio doctrine possessio propagatur ad posteros, ac Præceptoribus uitam proroget, & tranquilla Halcyonia Studijs largiatur, repressis ac sopitis bellorum motibus, & luis pestiferæ contagijs.

Cùmque nulla sit fœlix & salutaris Medicatio, nisi quæ à Deo est: me quoque & studia ac medicationes meas, ac totum uitæ cursum Deo commendo, Precorq; ut suo me spiritu ducat ac doceat, & labores fortunet ac dirigat meos ad gloriam nominis sui, & salutem multorum, ut fiam uas misericordiæ, & organum salutare, ac opera mea seruiam & prosum alijs.

Deinde ago gratias Illustrissimo Principi ac Domino, D. Augusto, Duci Saxonie, Electori, & c. cuius liberalitate ac beneficentia hæc Schola conseruatur, non tantum quod ad uetera beneficia attinet, sed attributis etiam & cumulatis nouis, Precorq; Deum, ut adsit ei in gubernatione, & consilia gubernationis flectat ac dirigat ad gloriam nominis sui, & ad salutem Ecclesiæ ac subditorum.

Ago etiam gratias humiliter maximas Magnifico Domino Rectori, Inclyto ac Generoso Domino, D. Iohanni Georgio, Comiti à Solms, & c. Illustrissimis Principibus ac Dominis, D. Ernesto Ludouico & Barnimo, Fratribus, Sedimorum, Pomeraniae, Cassubiorum, Henetorum Ducibus, Rugiæ Principibus, & Comitibus Caycorum & c.

Domini

*Dominis meis clementissimis. Et easdem inchyto Domino Ottoni, Comiti à Solms, &c. Generosis Dominis Baronibus ac Nobilibus, Nominatim etiam Nobili Henningo à Vualde, Illustrissimorum Pomerania Ducum Magistro Curie. Generoso Domino Petro à Runge, Commendatori Vuerbenfi, omnibus ac singulis, quòd presentia sua hanc renunciationem Gradus mei ornare & condecorare non sunt grauati.*

*In primis uerò etiam gratias ago Reuerendis & Clarissimis Viris, omnium facultatum Doctoribus, & nominatim Doctoribus Artis Medicæ, Præceptoribus meis reuerenter colendis. Viro reuerendo Domino Ioachimo Cnemiandro, Parenti meo perpetua mihi pietate reuerenter obseruando, nec non optimis & charissimis Fratribus meis, M. Martino & Dauidi Cnemiandris, Gregorio Cnemiandro Patrueli, & Balthasaro Romano agnato meo, Thomæ Reichenau, Tilemano à Guntterrodt, Hospitibus Lipsicis, Prudentissimo Senatui Cotbusiano, & ex eo ordine ablegato Viro ornatissimo D. Thobie Englero, Ac seorsim Viris Doctissimis, Artium bonarum & Philosophiæ in hac Schola Professoribus & Magistris, Nobilibus ac Scholasticis, qui honoris mei causa conuenerunt, Et singulis mea officia ac studia, cum perpetua obseruantio ac memore gratitudine defero atq; polliceor.*

D I X I

T t t

Oratio

ORATIO DE STV-  
 DIIS DOCTRINARVM, SCRIPTA  
 & recitata à Magistro Iohanne Ferinario cum  
 susciperet gubernationem Scholæ in oppido Sile-  
 siæ Freistatt, Inde reuocatus ad Professoris locum  
 in hanc Academiam literis & Principis  
 nostri Clementissimi &  
 nostris.

RECTE de uita hominis scripsit Plato in  
 Epistola ad Architam Tarentinum, cogitan-  
 dum nobis esse: ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ  
 μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γνῶσεως ἡμῶν,  
 τὸ μὲν ἢ ἡ πατρις μὀρίζεται, τὸ δὲ τί, οἱ  
 γυμνάσαντες, τὸ δὲ, οἱ λοιποὶ φίλοι, Quod  
 Cicero libro 1. Officiorum interpretatur his  
 uerbis: Non nobis solum nati sumus, Ortusq;  
 nostri partem patria uendicat, partem paren-  
 tes, partem amici. Sed multò rectius de fine  
 actionum nostrarum loquitur Paulus ad Corin-  
 thios, cum inquit: πάντα εἰς δόξαν θεῷ ποιῶ-  
 τε. Omnia enim ad gloriam Dei potissimum, fa-  
 cienda & referenda esse admonet. Vtrunque  
 autem, & illud Platonis, & hoc Apostoli, inde  
 usque ab intio primæ ætatis uolui esse studijs me-  
 is scopum, quem & crescente ætate urfi, cum  
 deliberatione quadam, & iudicio mediocri, &  
 assiduis uotis à Deo precatus sum, ut faceret  
 cum seruo suo secundum misericordiam suam,  
 &

Et uelut confecto cursu mihi in portum delato, daretur aliquando occasio, precipuos studiorum fructos referendi ad celebrandum Deum, qui est fons et autor omnis doctrinae, et ad disciplinas ipsas inuandas et propagandas, precipue in patria, quae uita secundum Deum mihi praebuit comoda.

Haec igitur cum immenso Dei beneficio consecutus sim, censeo iustissimum esse, scholasticas operas, ad quas tractandas publica autoritate magistratus huc accersitus sum, ordiri a gratiarum actione, et ab inuocatione Dei.  $\chi\acute{\omega}\rho\iota\varsigma\ \theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma\ \gamma\omicron\upsilon\phi\ \delta\omicron\upsilon\delta\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\upsilon\tau\omega\chi\epsilon\acute{\iota}$ . Et filius Dei qui est sapientia aeterni patris, de salutaribus actionibus in Ecclesia inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Paulus promittit, labores nostros non fore inanes in Domino, intelligens labores cum petitione, et spe auxilij diuini susceptos, et ad Dei gloriam, et generis humani salutem directos. Quod quidem cum de quouis conatu humanae diligentiae et operae uerissimum est, tum uero maxime de ijs rebus, quibus animi, et studia nostra occupantur et exercentur. Nam omnino operum humanorum summum et difficillimum est, perceptio, et explicatio doctrinarum, ut nemo uel discere optima uel docere possit, nisi DEO studium gubernante, seu ut Plato loquitur,  $\epsilon\iota\ \mu\acute{\alpha}\ \theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma\ \upsilon\phi\eta\gamma\omicron\iota\tau\omicron$ , cuius ductu qui destituuntur, aut operam ludunt, aut aberrant a norma ueritatis, uere  $\acute{\alpha}\tau\epsilon$

ἢ τῆς γελοίου σοφίας δρέποντες κάρπον,  
 & ut Paulus nominat, semper discentes, nec unquam  
 ad ueritatis cognitionem peruenientes.

Ago itaq; gratias toto pectore DEO eterno,  
 patri Domini nostri Iesu Christi, conditori rerum,  
 & generis humani, & filio ipsius Domino  
 nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, pro omnibus  
 in me collatis, eternis & huius uitæ beneficijs,  
 Primum, quòd in Ecclesia sua me nasci, &  
 ad cognitionem filij sui Iesu Christi educari, &  
 peruenire uoluit, & flexit animum meum suo  
 sancto Spiritu, ad expetendas & discendas literas.  
 Deinde etiam rexit atque prouexit conatus meos  
 ita, ne periret mihi & alijs literarum studijs impen-  
 sata opera, ac nunc deniq; huc me collocauit,  
 ubi doctrinæ qualiscunque fideli communicatione,  
 ipsi dicerem & facerem grata, & patriæ utilia,  
 Atque eundem Deum, eternum patrem, oro ex  
 animo, ut in hoc etiam cursu, quem nunc ingre-  
 ditor, ipso duce, eadem benignitate, & clementia  
 me præeat & iuuet, qua me antea fouit, & iuuat,  
 & gubernet labores & consilia mea uocationis  
 ita, ut euentus eorum, cum sælici successu, & huic  
 Reipublicæ ac Scholæ, & studijs ac ingenijs dis-  
 centium, atque imprimis gloriæ nominis ipsius, sit  
 accommodatus & salutaris.

Ago etiam reuerenter gratias optimo & pruden-  
 tissimo Senatui huius oppidi, cum pro affectio-  
 ne & uoluntate laudabili, qua & hanc Scholam  
 suam,

suam, propter amorem doctrinae, & me priuatim, uero studio, piè complectitur, tum pro illustri testimonio, honorifici de me iudicij, quòd gubernationem studiorum iuuentutis in hac Republica sua mihi commendat.

Et intelligit ac didicit ipse, & admiratur ac magnificat optimus Senatus literas, quas prudenter & grauius iudicat, esse non tantum τὸ καλῶς, ut grauißime inquit Xenophon, Sed ut simul complectar omnia, lumen omnium actionum in uita, & neruos atque praesidium humanae consociationis. Ideoq; earum studia non tantum conseruare, sed etiam augere, si queat, cupit, in concessa & commendata sibi à Deo patriæ Repub. quam, cum à libertate nomen habeat, tum demum uerè liberam esse existimat, si filius Dei eam, per agnitionem & liberalem communicationem suæ doctrinae ab impijs erroribus de Deo, & à seruitute Diaboli liberet, Quem quidem eius animum, & gratulemur studijs, & concessum diuinitus optimis gubernatoribus huius Reipub. Deo gratias agamus.

Certè magistratum ita affectum erga doctrinae studia, si ulla alia, hæc nostra ætas requirit, ac flagitat, partim ruentibus ubiq; ferè, partim ad ruinam inclinantibus & nutantibus literarum studijs. Deuenimus enim fato quodam, uel mundi senescentis, uel horum temporum, in tristem & infelicem rerum omnium perturbationem, &



opinionum confusionem, quæ uix magno labore restitutæ luci cœlestis doctrinæ, & bonarum artium, nouæ ac deterioris barbariei obscuritatem imitatur ac tenebras quæ quidem omnium opinione citius obrepent, nisi Scholarum autoritate, consilio & diligenti cura depulsæ fuerint, & docentes ac discentes, possessionem acceptæ doctrinæ, rectitudine quadam iudicij & ingenij dexteritate ac candore tuebuntur.

Numeramus annos paucos à reuerendo Doctore Martino Luthero, & Domino Philippo Melanthonæ, uiris sanctis & beatissimæ memoriæ, qui et Euangelij de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, mundi saluatore, & Philosophiæ ueram doctrinam, obscuratam & extinctam penè tetrismendacijs Monachorum, & nugis Scholasticorum, immenso Dei beneficio instaurarunt, & primi Germaniæ uel reddiderunt, uel tradiderunt. Hoc cum cogitant pij & intelligentes qualis antecesserit caligo, & ignorantia de Deo, & alijs rebus bonis, cohorrescunt toto pectore, & deplorant nostræ gentis uel ruditatem, uel ignauiam, uel ætatis etiam infœlicitatem, bellis potius quàm studijs literarum consumptam. Nec feliciora prospicio secula in futurum, si sublati aut neglecti literis Scholæ conciderint.

Sed Scholæ quid efficient, sine magistratus politici præsidio? sine Principum & Regum nutritorum, ut dulcissimè nominat Scriptura, subsidio?

sidio? Quid uerò de Rebus: fiet, & imperijs,  
 literis extinctis? Plato, referente & compro-  
 bante Cicrone, tum demum Respub: beatas  
 fore affirmat, si aut Philosophi præsint, aut  
 qui præsint Philosophentur. Quantò beatior erit  
 Respub. & Ecclesia, gubernatores & principes  
 adepta, qui non solum philosophia sint exculti, &  
 ornati politica sapientia, ut fuerunt Alexander,  
 Ptolemæus Philadelphus, Augustus, M. Antoni-  
 us, Sed & ad agnitionem & inuocationem Dei  
 uocati, doctrinam de Deo cognorint, & Deum  
 uerè timeant, & Ecclesias & Scholas, quæ do-  
 ctrinæ de Deo, & honestarum artium sunt offic-  
 inæ, & ἐργασίαι liberalium ingeniorum, mul-  
 tis beneficijs foucant, & benignè tueantur, Qua-  
 les tamen omnibus temporibus Ecclesiæ, & ge-  
 neri humano dedit Deus aliquos, ut: Dauidem,  
 Salomonem, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam, Cyrum,  
 Constantinum, Theodosium & similes qui in to-  
 ta æternitate erunt in cœtu beatorum princi-  
 pum, cum Christo principe, & duce populi sui  
 magno. Ac nunc quoque post repurgatam Eu-  
 angelij doctrinam, nostræ Germaniæ immenso  
 Dei beneficio, non desunt aliqui, quos annume-  
 rari his heroibus, & ipsis admodum gloriosum  
 est, & utile Ecclesijs & Rebuspub: diuulsæ  
 alioqui, & exhaustæ Germaniæ. Sed cum Diabo-  
 lus turbator & autor omnis ἀκαταστάσιας, ma-  
 gis plerunq; insidietur ijs, qui in summis fastigijs,

gubernationum sunt collocati, literæ sæpe in urbes honestas confugiunt, desertis Principum regionibus, qui negligunt Scholas & Ecclesias. Nec dubium est, postremis temporibus mundi, quæ similia erunt ætati Apostolorum, Principes, neglectis prorsus Scholis & Ecclesijs, de imperijs & opibus orbis terrarum inter sese dimicaturos, & Ecclesiæ doctrinam, tantum alicubi in moderatis, & Aristocraticis urbibus, addo etiam, tantum in aliquibus pijs & certis familijs mansuram esse. Ita scimus, nunc quoque Dei beneficio, harum regionum Aristocraticas urbes multas, hospitia esse & domicilia ueræ Ecclesiæ Dei, ut erat uiduæ Sareptanæ domus, cum Eliam excepisset. Cuius rei exempla, etsi de multis urbibus Germaniæ recitare possem, tamen ingratus essem, si aliarum potius, quam huius nostræ Sareptæ commemorem eximiam pietatem, ac studium, quod præstat pro loci & oppidi quidem ratione, in fouenda Ecclesia & literis. Rex Demetrius cum Rhodum obsideret, murumq; eo in loco, ubi tabula erat Protogenis magna arte picta, quassaturus esset, cum rogaretur à Rhodijs, ut monumento illi Protogenis parceret, reuocauit inde milites, affirmans, se non gerere bellum cum artibus, eaq; initia fuerunt faciendæ pacis cum Rhodijs. Gloriosum satis fuit Demetrio seruasse in bello unam pictam & mutam tabulam, nescio quid representantem, sed quanto gloriosius est huic nostræ Sareptæ seruare in Schola mul-

la multos homines, qui uiua Dei uiuentis imago sunt, & quorum eruditio seruiet Dei gloriae, atq; usui erit Reipub. quæ certè non poterit consistere, à barbarie & impietate tuta, nisi animi iuuentutis literis imbuantur, sine quibus uita, profectò non uita, sed potius mors est, & interitus. Neque uerò dubium est, quin hæc pietas Deo grata sit, qui propter hæc & similia exempla, quæ ad pietatem, atque officia uirtutis, & cæteris oppidis patriæ multum prosunt, huic Reipublicæ uicissim benefaciet, & leniet ei difficultates & incommoda, propter quæ hæc ipsa etiam officia, pietatis & uirtutis, quæ libenter erga docentes & discentes exercet, angustiora sunt quàm uellet.

In talem igitur magistratum me incidisse lætor, eiq; ut Deus etiam deinceps adsit, & uitam proroget, ac uires animi & corporis confirmet, ex animo precor.

A reuerendis etiam, doctrina & pietate præstantibus uiris, D. Pastore & ministris huius Ecclesiæ, & Scholæ, ac collegis meis reuerenter & maximopere peto, ut me uelut in eadem naui coniuncta cum ipsis opera, partem laborum docendi subiturum, inter  $\omega\alpha\pi\alpha\varsigma\acute{\alpha}\tau\alpha\varsigma$  suos libenter, & cum beneuolentia esse patiantur, & quam mihi de ipsis polliceor humanitatem & beneuolentiam, non obscuris argumentis & inditijs adductus, me experiri sinant, autoritate, opera & consilio suo me iuuent, ac subleuent ubicunq; fuerit opus, fa-

Etiam; uel ignorantione uel errore, candidè & cum  
 equitate interpretentur, & de illis me amanter  
 admoneant, memores illius Theocriti: τέτῃξ μὲν  
 τέτῃγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ: μίᾳς γὰρ  
 φέρως ἀοιδεὺς μάχῃ. Et ut idem ait Euripides:  
 εἰς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὄρᾳ. Et Paulus inquit: Docete  
 & commonete uos mutuo. Ac commendatissimum  
 est omnibus piè docentibus dictum Zacharie, qui  
 inquit: Diligite ueritatem & pacem, quo neglecto  
 amittitur doctrinae puritas, & turbatur inuoca-  
 tio perniciosis distractionibus, quas uitare sapien-  
 tia & pietas est. Ideo dicitur, Deus dilectio est, &  
 qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in  
 eo. Quid maius cogitari potest hac ipsa re, quòd  
 Deus ipse communicationem & inhabitationem  
 sui, uoce Apostoli nobis promittit, si inter nos sit  
 mutua dilectio & concordia, & si in ipso simus  
 unum: De me uicissim promitto singulis, uerè  
 amicitia, & non simulate beneuolentia officia &  
 studia, quae testabor, ubicunq; se offeret facultas  
 & occasio.

Nec dubium est, Reuerendum dominum Pasto-  
 rem huius Ecclesiae, etiam deinceps prudentis Sc-  
 natus & ciuium, piè excitaturum erga Ecclesiam  
 & Scholam, & beneuolentiam ac studia. Qua in-  
 re singularis eius extitit hactenus uoluntas atque  
 opera, cum quidem saepe cogitet, quàm pulcher sta-  
 tus sit illius Reipub: in qua conueniunt atq; con-  
 sentiunt magistratus politicus, & Pastor Eccles-  
 siae.

ſia, exemplo Chriſti, & Capitanei in urbe Caper-  
naum.

Deniq; agnoſco, ipſis etiam clariffimis & re-  
uerendis uiris deberi gratitudinem, qui ad hanc  
noſtram feſtiuitatem ex uicinis locis conuenerunt,  
cum ut amorem ſuum, & perpetuam bencuolen-  
tiam ac ſtudium erga hanc Rempub: in patria  
multis publicè declararent, tum ut oſtenderent, ſe  
præclarè ſentire & iudicare de his noſtris ſtudijs,  
& de profeſſione ac militia, quam ξὺν θεῷ ſuſci-  
pio. Cumq; & mihi priuatim cum ipſis interce-  
dat uetus & dulcis amicitia, iudico eos huic quoq;  
noſtræ neceſſitudini aliquid hac in re uoliſſe tri-  
buere. Ideoq; gratum mihi eſt, hoc tempore εἰς  
βλέπετε εἰς ὄμματα amicorum ingenio, erudi-  
tione, fide & uirtute præſtantium, eiſq; pro hac  
affectuione pia, cum erga patriam, tum erga me, &  
publico & priuato nomine ago gratias. Neq; ue-  
rò his ipſis uiris ſolum tantum in patria uidere  
licet, & gratum eſt, quod ille optat ſolum ſibi dari  
apud Poëtam, ſed uident, Deo dante, cum alia or-  
namenta egregia honeſtæ Reipub: tum uerò maxi-  
mè ipſum ſolem iuſtitiæ, filium Dei, ſonantem  
publicè in templo, & lucentem priuatim in multo-  
rum renatorum cordibus, qui credentes per uo-  
cem Euangelij ad Deum conuertuntur & ſaluan-  
tur. Ideò & libenter ſæpe ſunt apud patriæ ciues,  
& conſeruationem ac propagationem doctrine  
Euangelij ſtudioſè adiuuant inter ſuos. Quam rem  
ut hîc

ut hic, & in uicinia, & in toto orbe terrarum  
adiuues & ipse, precamur o Deus.

Cum autem huc uocatus sim, ad docendam iu-  
uentutem, ad hanc quoq; sermone & uoce me re-  
fero. Ac decebat quidem, me ad eam excitandam,  
de literarum laudibus plura præfari. Sed quid at-  
tinet uerbis exaggerare, quod sese ui sua atq; dig-  
nitate ostendat, & commendat omnibus. Non enim  
gens ulla, modò humanum aliquid retineat, non re-  
gio, non ciuitas, non domus ulla, seu priuata seu  
publica, nec uitæ status atq; conditio ulla, carere  
literis potest, siue de ciuilibus saltem, & politicæ ui-  
tæ consuetudine, usu ac momentis loquamur, siue  
de ijs, quæ sunt & fiunt in Ecclesia, dicamus, cui  
magis etiam doctrina multiplici opus est.

Prorsus igitur sciant iuniores, mandatum Dei  
æternum & immotum esse, ut discamus literas, &  
excolamus doctrinarum studia. Vult enim & sese  
creatorem, & hominem creaturam suam, cum cæ-  
teris rebus in natura creatis, rectè aspici & ag-  
nosci, quod sine cognitione & intellectu uerbi pa-  
tesacti, & scripti in Ecclesia, & sine explicatio-  
ne & distinctione potentiarum animæ erudita,  
& alijs artibus fieri non potest. Postquam enim  
totum genus humanum horribili lapsu defecit à  
Deo, ad cuius imaginem & conformitatem initio  
erat conditum, secuta est totius hominis misera  
bilis destructio. Nam & mens seu intellectus, na-  
turali luce & noticia, Deum qualis est, non agnos-  
cit,

scit, sed aberrat ab eo multipliciter, aut aliud ei, quam quod est, tribuens, aut multos Deos commiscens, & cor ac uoluntas horribili contumacia ab eo auersa est cum ἀταξία tetra, quæ in omnibus membris ac uiribus interioribus conspicitur: sicut uerè φρόνημα σαρκός, inimicitia est aduersus Deum, Paulo, qui nominat ita, & cogitationes & adfectus, hoc est, totum hominem lapsum & non renatum. Impossibile est igitur, hunc, donec est, & manet talis, uel rectè cogitare, uel credere de Deo, uel propria etiam mala & imbecillitates intelligere. Sed filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.

Ad filium igitur nos deducit, atq; alligat æternus pater, cumq; audiendum esse de cælo ipse clamat, patefactum multis non fallentibus testimonijs, ac miraculis, in uerbo Prophetarum & Apostolorum. Qui cum non possint intelligi sine magna uarietate multiplicis doctrinæ, & cognitione linguarum & purioris Philosophiæ, manifestissimum est, simul etiam literas nobis commendari uoce Dei, cum de filio inquit: HVNC AVDITE, atque ideò necessaria esse earum studia, ad propriam & natiuam sententiam Scripturæ retinendam, quæ corrumpitur sæpe & toto genere detorquetur ad aliud, inscitia literarum & linguarum. Cuius rei exempla, etsi infinita passim in sacris, ac præsertim in Prophetarum libris, occurrunt, tamen propter temporis breuitatem,



unum atq; alterum saltem, in nouo testamento inu-  
tueamur.

Translatio uerborum Christi, Iohannis 4. τὸ  
ἀρχαῖον οὐ καὶ λαλῶ ὑμῖν: Principium quod &  
loquor uobis, Quantas disputationes, etsi non im-  
pias aut absurdas per sese, tamen inconcinnas &  
alienas à uero eius loci intellectu, etiam doctiori-  
bus peperit, ut Augustino, Ambrosio, quos refutat  
mediocris Græcæ linguæ consideratio. Nam hic  
non erat quærendum, quare filius Dei se nominet  
principium, sed dicendum erat, has particulas τὸ  
ἀρχαῖον, Græca phrasi ἐπιφύημα ἁπλῶς poni, &  
significare idem, quod prorsus, omnino, planè, ut  
sit sententia: Prorsus sum id quod loquor uobis:  
quasi dicat Christus: Sum λόγος, & prorsus hoc  
uerbum, quod est secunda persona diuinitatis, &  
ab initio est missum, & loquitur ad Ecclesiam, &  
assumpsit certo tempore humanam naturam, &  
sonat apud uos decretum æterni patris de redem-  
ptione generis humani, & quod uerbum semper  
est efficax in ijs, qui fide promissionem & uocem  
Euangelij amplectuntur. Atq; habere hanc for-  
mam loquendi uim aduerbij, confirmant apud Xeo-  
nophontem, Thucydidem, Isocratem, Herodotum,  
Galenum, & alios, multa exempla, quæ annotant  
docti.

Cum Rom. 3. Paulus inquit: λογιζόμεθα πῖσα  
δικουδοῦσαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου.  
Versio usitata habet: Arbitramur fide iustificari  
hominem,

hominem, sine operibus legis. An ambigua & incerta dogmata sparsisse Apostolum in re tanta dicemus? Dicendum igitur erat latinè: Adseueramus uel statuimus, firmisq; argumentis concludimus. Nam id significat uerbum λογίζομεθα, & Theophilactus interpretatur συλλογίζομεθα, uelut hoc iam argumento collegerit Paulus. Et eodem modo legitur λογίζεσθαι apud Xenophonem in Pedia Cyri.

Certè sola Grammatica huius dicti, quod ponitur initio Euangelij Iohannis: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, & Deus erat uerbum, expressè refutat pessimorum hereticorum blasphemias, qui de Christo Domino dicebant: ἦν ὅτε οὐκ ἦν, καὶ ἐκ μὴ ὄντων, diuinitatem eius negantes, & creatum esse ex nihilo, atque initium habuisse ut reliquas creaturas, impiè contendentes, quod tamen propter δυσφημίαν & contumeliam in filium Dei, non libenter recito, sed cohorresco recitans, Iohannes itaq; quia in Græco textu addidit uerbo articulum, & Deo non addidit, cum inquit: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, orthodoxam & Christianam expressit sententiam, sic ut aliò detorquèri non possit, nempe hanc: Et illud idem uerbum, quod modo dixi in principio fuisse apud Deum, erat Deus, hoc est, particeps diuinæ essentiae, seu ut dicunt Græci, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, eiusdem essentiae cum patre, Atque hæc ita esse, ut diximus, intelligit, qui utcumq; didicit Græcam linguam, in qua articuli  
usitatè

usitate adduntur priori membro, uidelicet, supposito seu subiecto. Cum igitur huic dictioni, λόγος, additus sit articulus, necessario subiecti locū tenet, et membra ita ordinanda sunt, Et uerbū erat Deus. Quod si uerò & dictioni, Deus, addidisset articulum, ὁ θεὸς ἢ ὁ λόγος, iam non potuisset explicare Euangelista, diuinam essentiam simul tribus personis communem, & confudisset personarum proprietatem, atq; hic fuisset sensus: Et ille Deus, nempe pater, erat illud uerbum, nempe filius. In qua sententia blasphema, impia & contumeliosa in Deum, non solum olim fuit Sabellius & alij, qui Patris, Filij & Spiritus sancti nomina ferè pro nihilo ducebant, non distinctionis alicuius causa posita esse disputantes, sed diuersa tantum esse Dei attributa, qualia multa habentur, ut cum unus & idem Deus nominatur fortis, iustus, sapiens, zelotes, alibi aliter patefactus, nullo ordine, nulla distinctione: uerumetiam cum eadem hereses subinde rursus repullulent, paululum mutatis coloribus, idem proh dolor, hoc tempore longè lateq; recipitur & propagatur, non tantum in multis locis aliarum gentium, sed etiam in nostra Germania, ad Rhenum, & in uicina nobis Polonia, ubi multi uagantur, qui uel Arrij, uel Samosateni, uel Sabellij, & Serueti, aut etiam Mahometi dogma uel renouantes uel introducentes, uociferantur, nomina personæ & Trinitatis non toleranda esse in Ecclesia, tanquam in Scriptura non usurpata.

Vtitur

Utitur uerò Ecclesia necessariò his appellatio-  
nibus, in defendenda simplici & aperta ueritate,  
ad hos ipsos θεομάρχοις fortiter premendos &  
urgendos, qui alioqui ceu lubrici angues, obliquo  
& uolubili flexu effugiunt, et tergiuersando tor-  
tuosa uersutia, ueritatem eludunt: dum modò nobis  
constet, sicut constat, hæc uocabula non aliud uelle  
aut explicare, quàm quod in scriptura consigna-  
tum est, etiamsi totidem syllabis composita ostendi  
non possint in Prophetiis & Apostolicis scriptis,  
quæ certè testantur in Deo uno, uel in Dei unita-  
te, uel in una Dei essentia (quod idem est) subsiste-  
re, certo ordine, certa distinctione, tres personas et  
personarum proprietatem, ut copiose dicitur alibi.

Quod tamen ideò hoc loco etiam breuiter com-  
memoro, ut intelligant discentes, cum Grammati-  
ca, tum multarum aliarum rerum cognitione &  
consideratione nobis opus esse, ut retineamus in  
tanta Diabolorum & hominum malitia, ueram de  
Deo, & salute æterna, sententiam. Nec in re ma-  
nifesta ero prolixior.

Potius te fili Dei Domine Iesu Christe, qui ap-  
paruisti ut destruas opera Diaboli, oro, ut depellas  
à nobis Diabolos, mendaces & homicidas, & bla-  
sphemos homines, hostes tuos, & regas ac doceas  
tu nos Spiritu tuo sancto, uerace & uiuificante  
nos, ut uera discentes et uera retinentes, ueris lau-  
dibus te celebremus, in hac & in æterna uita. Neq;  
uerò post eam, quæ à literis nomen habet, negli-

genda nobis est ars, quam Plato reliquarum apicem ἡγεῖσθαι θριγκὸν nominat. Quid ὀρθοτομίῃσιν doctor, quod requirit Paulus, & quomodo refutabit contradicentes, nisi sobria Dialectica instructus, quæ & certam docendi et discendi methodum nobis tradit, & efficit, ut rectè possimus τοὺς λογιστὰς ἐπιθῆναι διέξελεθῆναι, ἢ τὰς ἐκεῖνους πῶς λόγων ἀρκεῖν διαφυγῆναι, ut Nazianzen. loquitur. Docendi sunt homines huius beneficio, quæ sit uera noticia Dei, qui ueri cultus ab idolatricis distincti, quæ causa peccati, quid peccatum, qui peccatorum gradus, & differentie, Item, de iustificatione, de uocabulis Gratia, Fidei & Iustitiæ, de discrimine legis & Euangelij, de discrimine politicæ gubernationis & Ecclesiæ, quæ omnia si in unum chaos confusa misceantur, nec dextrè & distinctè enarrentur, oriuntur monstrosæ & impie disputationes & corruptelæ, quæ totam doctrinam Euangelij, ut uidimus, euertunt. Cùm enim indocti & impij Monachi et Sacrificuli negligenter superiori etate hanc rationem docendi et discendi, quæ semper fuit usitata in uera Ecclesia, pulso Christo, qui sese pijs communicat, per ueram uocem Euangelij, Idolis templa cõpleuerunt, & ψευδοποιμῶνες, nihil ἀξιόλογον, sed πῆλῆας, & nugas suas pro oraculis histrionico more Ecclesiæ obtruserunt. In Scholis uerò spinosæ & inutiles disputationes proponebantur, ex quibus ne ij quidem, qui doctissimi habebantur, potuerunt sese euoluere, sed cùm finem &

usum

usum earum uiderent nullum, sentiebant esse magnum & conuolutum rixam chaos, quo perniciose & monstrosa aleretur Chimera, quæ esset πρῶδε λέων, ὄπισθεν δὲ δράκων, μέσῃ δὲ χυμῶσα, Fronte Leo, caudaq; Draco, sed uentre Capella. Verum sperabimus ne de hac nostra ætate paulo post meliora? Cerni enim potest & sentimus, quò tendant petulantia & artificia multorum hypocritarum, qui laxatione disciplinæ, et piorum hominũ, et Ecclesiarum piarũ uituperatione, uulgi & Dominorum applausus captant, & πᾶσδ' ὀφλοῦσθαι κενὸς φωνίας præstigijs ueram pietatem labefactant, & manifesta idola in animis & cordibus hominum, uel stabiliunt uel confirmant, etiam propria conscientia contra ipsos dicente sæpe testimoniũ. Sed sperabimus aduersus tales hostes filium Dei Ecclesie suæ, et ijs qui habent ueræ Ecclesie iudicia, ad futurũ esse, sicut dixit: Vbicunq; duo aut tres sunt congregati in nomine meo, in medio eorum sum.

Venio ad Eloquentiam, cuius primum autorem et summum artificem, si quis dixerit esse Spiritum sanctũ, non errabit. Ea certè in sacris literis est uerberrima et amplissima, nõ illa fucò et σοφοῖς φαρμάκοις tincta, sed rerum pietate, ac uerborũ et figurarum dulcedine exornata. Quid illustrius dici posset et efficacius, ad nos cõsolandos, eo ipso, quod in Esaia dicitur: Ut cum pauca uua reliquæ sunt in racematione, sic erunt in terra leuantes uocem & laudantes Deum. Et: Si mater obliuiscetur

V u u 2      infan-

infantis sui, quo minus foetus uteri sui misereatur,  
 ego tui Sion tamen non obliuiscar. Ecce utrisq;  
 manibus meis insculpsi te. Et alibi dicitur: Esto pa-  
 ter orphano, tunc Deus magis te diliget quam ma-  
 ter tua. Quid promitti maius potest amore tanto,  
 qui superet etiam maternam *σοφύλην*, quæ arden-  
 tissima est? Quanta uerò est elegantia & suauitas  
 in concionibus Christi, saluatoris, cum se uitem no-  
 minat, nos palmites, se uerum pastorem, nos balan-  
 tes oues, se sponsum, Ecclesiam suam sponsam, se  
 item uiam, ueritatem & uitam, fontem & panem  
 uitæ, de quo qui manducet, non moriatur in eter-  
 num? Cum Euangelium confert semini proiecto in  
 agrum, sermëto, thesauro, precioso unioni, sagenæ,  
 qualia passim infinita occurrunt in ueteris & no-  
 ui Testamenti lectione. Neq; uerò figuratè dicta  
 non sunt uera, & sepe sunt causæ, quare etiam di-  
 cta fundamenti, qualia sunt, quæ modo de appella-  
 tionibus Christi recitauimus, efferantur figuratè, idq;  
 non obscurandi, sed per figuram illustrandi sen-  
 tentiam, gratia. Potest enim aliquid figuratè &  
 tamen perspicuè dici. Negari igitur non potest,  
 commendari nobis uoce diuina, etiam eloquentiæ  
 ueræ studia, quæ efficiat, ut dicturus, qualiscunq;  
 facundiæ adiumento, sit densus, asper, lenis, uehe-  
 mens, pro cuiusq; circumstantiæ ratione ac uarie-  
 tate. Caterum cum Deus & scripserit, & legi  
 uelit, Ecclesiæ omnium temporum historiam, ut  
 sciamus, quæ sit Ecclesia, ubi semper fuerit, quos  
 habuerit

habuerit doctores, quod doctrinæ genus quasi per manus traditum acceperit à primis parentibus, quæ ei fuerint hospitia tranquilliora, quæ duriora, deniq; quo loco tandem uoluerit nasci, mori & ex mortuis resurgere filium, eam sanè nemo rectè cognoscet, nisi Mathematicarum artium disciplinis sit instructus, quæ totum orbem terrarū monstrant et tempora distinguunt. Ac doctrina quidem, quæ à moribus nomen sortita est, & quæ naturam rerum inuestigat, quæq; τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις explicat, plurimos locos, & capita doctrinæ Christianæ illustrat, de lege, de peccato, de libero arbitrio. Ethica enim cum Theologia collata ostendit, quàm miserè lex naturæ in mentibus nostris obscurata sit, cumq; sit tantum folium fici, quo frustra tegebatur Adam lapsus, iubet nos confugere ad filium Dei, qui solus naturæ nostræ corruptæ est instaurator. Ex doctrina autem Physica sumitur enarratio doctæ, quæ demonstrat, quæ potentie quomodo uulnerate, & à Deo auersæ sint, & quid mancum ac mutilum, quid in rectione locomotiuæ, & gubernandis externis membris atq; actionibus nobis adhuc sit reliquum. Tota uerò Philosophia unà cum doctrina cœlesti, multis modis et partibus amplissimarum doctrinarum, quas de natura rerū proponit et explicat, nos deducit ad Deum, rerum omnium conditorem, & confirmat in animis hominum diuinam providentiam, cum impossibile sit hunc mundum, cœlum, terram, stellas & naturam



rerum uniuersam quam contemplamur, uel extitisse uel conseruari casu, sine æterno aliquo & immensæ potentie numine, et sapiente (ut Xenophon nominat) artifice, qui & hominū, et aliorum animalium cura adficiatur. Et in Actis de hac Vniuersali presentia & conseruatione dicitur: Tām prope adesse nobis Deum, ut palpari possit manibus. Et Plato inquit: Sapientiam Dei in artibus sparsam esse, Quæ cum ita sint, has artes nolle discere, & hæc tāta testimonia de Deo opifice contēnere, horribilis superbia et ingratitude est aduersus Deum, et iniquitas barbarica, conueniens Cycloperum conuentibus, in quibus ἄκρᾳ οὐδέπ' οὐδέϊς οὐδέεως, nequaquam uero ijs, qui sunt in coetu Ecclesiæ, in quo Deus perpetuò uult sonare docentium & discipulorum uoces, sicut dicitur Deut. 6. Et repetes ea filijs tuis, & recitabis ea etc. Et Paulus non soli Timotheo, sed toti generi humano præcipit: Custodi depositū, Et attende lectioni, doctrinæ, et consolationi. Vult igitur in nobis esse doctrinarum studia, & simul usum eorum ostendit, qui conspicitur in consolatione piorum, qui ad Deum conuertuntur. Nam per uerbum auditū, lectum et cogitatum Deus in Ecclesia est efficax, et communicat se nobis, non aliter, sicut dicitur: Euangelium est potentia Dei ad salutē omni credenti. Nec audiendi sunt illi, qui sine testimonio diuino, præter & extra uerbum traditum in Ecclesia, ἐνθρασιασµοῦς et raptus, ac reuelationes nouas, & singulares e cælo petunt,

Et expectant, ac eleuare Et labefactare conantur  
 auctoritatem uerbi scripti, cum dicunt: Deum im-  
 mediatè sese pectoribus infundere. Prope enim est  
 uerbum in ore tuo, inquit Deus.

Quare his de causis hortor adolescentes disci-  
 pulos meos, ut non solum eos, qui diuina uoce socij  
 dicuntur diuini laboris, hoc est, pios Euangelij mi-  
 nistros, Et præceptores suos in hac urbe, piè reue-  
 reantur ac colant, cumq; aliqui longo iam tempo-  
 re piè huic Ecclesiæ seruiert, ut diutius etiam in  
 domo Dei seruiant, precentur: Verum etiam ipsi  
 doctrinam coelestem, Et bonas literas atq; artes  
 Ecclesiæ et Reipub. utiles, ament, Et libenter, non  
 inuiti, non coacti discant, moti ut dixi, cum uolun-  
 tate Et seuerissimo mandato, tum uero etiam lar-  
 ga Et liberali admodum promissione Dei, qui in-  
 quit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit,  
 Et pater meus diliget eum, Et ad eum ueniemus, et  
 mansionem apud eum faciemus. Quanta enim est  
 consolatio pijs scholasticis, quòd æternus Pater, ue-  
 ro Et ardenti amore, quo filium complectitur, nos  
 quoq; miseros Et sordidos homines complexurus  
 est, Et unà cum filio suo Et Spiritu sancto suo in  
 nobis, tanquã in templis Et domicilijs suis, in omni  
 æternitate habitaturus est. Si modo doctrinã Euan-  
 gelij per filium editã, discere, retinere ac propaga-  
 re studeamus, cum è diuerso contemnentibus, et ne-  
 gligētibus doctrinæ studia omnia his summis bonis  
 opposita mala Deus proponat, ac minuetur, cū in

Osea inquit: Quia tu scientiam repulisti, uicissim repellam te. Quæ poena potest esse maior, quã eos, qui negligunt uerbi Dei studia, à Deo auelli, et abijci cum Diabolis in æternos cruciatuſ. Sciant ergò Scholaſtici, repelli & damnari à Deo, non modò extra Eccleſiam impias & idolatricas gentes, ut ſunt Iudæi, Mahometiſtæ & ſimiles, ſed etiam in Eccleſia eos, qui nolunt rectè diſcere doctrinam Euangelij, et tantam rem, (ut ille in Comœdia ait) tam negligenter agunt, eoq; diligentius & auidius adoleſcentes, & ipſi hauriant ac diſcant, quæ in templo & ſchola piè traduntur, & aſiduis uotis & gemitibus petant à Deo lucem & cognitionem rectæ ac ſalutaris doctrinæ, quam per uerbum ac Spiritum ſanctum in pectoribus diſcentium accendit. Ideoq; etiam dabunt operam, ne uel eos, qui ſonãt et tradunt ipſis uerbum, offendant, aut à ſeſe abalienent, uel Spiritum ſanctum, qui in cordibus ipſorum audita & tradita obſignat, excutiant & repellant, ulla inobedientia, aut uitæ & morum turpitudine, quam propterea etiam fugere & uitare debent, maiore diligentia ac ſtudio, ne arceant & pellant à ſeſe ſanctos & caſtos angelos, qui fugantur malis & inhonestis moribus ipſorum, quorum corporum prius uigiles erant, ac cuſtodes, cum facerent officia uocationis, iuxta dictum: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. De me nec uolo, nec poſſum polliceri aliud, quàm quod Paulus uult eſſe in docentibus

tibus, cum inquit: Hoc requiritur, ut fidelis aliquis reperiatur. Fidem igitur et diligentiam in docendo præstabo, quibus spero me sapientibus & non duris iudicibus atq; necessitati discentium, Deo iuuante, satisfacturum esse. Successum & euentum gubernet, & præstet Deus æternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui dat sapientiam sapientibus, et intelligentiam intelligentibus, ut Daniel inquit: Quod te iterum toto pectore, uiue Deus, oro. Te etiam eundem Deum, Patrem nostrum, per et propter Filium Iesum Christum, coniunctis precibus, & pijs animi suspirijs in hoc nostro pio congressu oramus, ut benignè protegas & tuearis Ecclesias, nec sinas tuæ doctrinæ & aliarum artium lumen rursus uel extingui uel obrui falsis dogmatibus, & barbarie Turcica, aut Muscouitica, quæ his terris, & patriæ nostræ cum maximo periculo imminet, & conserues publicas & priuatas scholas in Academijs & oppidis Germaniæ, hasq; coniungas et copules inter se, uinculo ueræ concordie & consensu piæ doctrinæ, ut unum sentiant, doceant & profiteantur, uoce & pectore, & omnia referant ad salutem & conseruationem Ecclesiæ, ut ueris laudibus inter nos etiam in hac mundi senectâ celebreris, uere Deus æterne Pater Domini

nostri Iesu Christi, & Domine

Iesu Christe, & Spiritus

sanctæ, Amen.

DIXI.

V u u 5 Oratio

## ORATIO RECITATA

TA AB INCLYTO COMITE D.  
Iohanne Georgio, Comite in Solms, Domino in  
Muntzenberg & Sonnewald, &c. cum Magi-  
stratum Scholasticum traderet successori, Gene-  
roso & nobili Domino Sigismundo Libero  
Baroni à Polheim Calend. Maij

Anno 1565.

**D**ies Calendarum Maij, qui huic Academiæ  
solennis est propter mutationem Magistra-  
tus publici, reuocat mihi in mentem Historiam  
Arcadij Patris & Theodosij iunioris filij, plenam  
illustribus Exemplis prouidentie & protectionis  
diuinæ, pietatis, sapientie. Hoc die enim anno à na-  
to Christo ex Maria uirgine quadringentesimo  
undecimo, exemitus est rebus humanis Arcadius  
Imperator, Princeps pius, in Symboli Niceni de-  
fensione constans, & alienus à crudelitate, relicto  
filio Theodosio iuniore, cuius gubernatio salutaris  
fuit orienti. Arcadium Gotticis insidijs circum-  
uentum seruauit atq; protexit Deus manifestis  
miraculis. Cum enim Caianus Gottus, qui Ar-  
riano ueneno infectus erat, affectaret Imperiam et  
mota seditione incendere regiam in urbe Constan-  
tinopoli, atq; una cum domo Imperatorem exure-  
re conaretur, conspectus est exercitus Angelorum,  
qui milites Caiani depulit, Constabat enim domum  
tunc

tunc nullis humanis præsijs custoditam fuisse, Paulo post latro interceptus ab exercitu Arcadij perfidiose seditionis penas dedit.

Hæc testimonia diuina plurimum eo tempore confirmarunt pios in uera doctrina de Filio Dei contra Arrianorum furores. Mortuus Arcadius filio Tutorem adiunxit uirum excellentem sapientia & uirtute Anthemium, de quo inquit Historicus græcus. Προβιμώτατος ἢ ἐδ' ὄνει ἐπ' ἄρ. Huius sapientia non tantum publica negocia feliciter gubernata sunt, sed adolescens etiam, quem non ut pleriq; tutores indulgenter, sed grauius & cum iusta seueritate rexit. Adolescens ergo ad doctrinas omnis generis, ad ueræ pietatis amorem et studium, ad optimos castissimosq; mores assuetus, ea attulit ad Imperium adiumenta ac præsidia pietatis, sapientiæ, uirtutis, industriæ, magnitudinis animi, Constantiæ in sententijs ueris, & consilijs, ut harum rerum gloria omnes ante se non Ethnicos tantum, sed Christianos Principes superarit. Fuit recte eruditus in disciplinis liberalibus omnibus, firmus in doctrina & sententia Symbolorum, recte & ardentè inuocauit Deum. Scribunt morem ei fuisse mane preces dicere & Psalmos canere cum coniuge & sororibus. Descripsit sua manu libros noui testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit.

De dogmatibus cum uiris doctissimis ita disseruit, ut intelligi posset, non esse eum inferiorem doctrina.

doctrina, Bibliothecam Byzantinā conquisitis undiq; atq; coenitis ueteribus codicibus Ecclesiasticis & Ethnicis mirum in modum locupletauit. Talis cum domi esset, non minus tamen militiae laboribus & rebus bello feliciter gestis claruit. Hunis enim & Persis deuictis pacem orienti reddidit, & in pace ea curauit atq; constituit in Ecclesia atq; Imperio quae propria sunt.

Multas enim utiles leges condidit, quarum aliquae adhuc extant, ut de coniugijs, & Ephesinam Synodum conuocauit, in qua Nestorij impietas damnata est, qui contendebat in Christo non fuisse duas naturas unitas inseparabiliter, sed naturae humanae astitisse λόγος ut ceteris sanctis. Consortem fecit Imperij Valentinianum Tertium, ultimum Imperatorem occidentis, natum ex Constantio & Placida sorore Honorij. Hic cum moribus penas publicas cumularet, mæchus enim, magis & ducum bene meritorum parricida fuit, trucidatus circiter annum Christi quadringentesimum quinquagesimum sextum, prouincias Imperij in Occidente reliquit diripiendas hostibus externis, Italianam Gothicis, Gallias Francis, Britanniam Scotis & Anglis, Africam & ipsam urbem Romanam Vandalis, magnam Europae partem Hunnis.

Hæc recitauit non eo solum, ut repetitio historie notior fieret adolescentibus, sed potius ut in exempla intueremur quae proponuntur. Quid  
puls

pulchrius est Theodosio principe, qui inter multos alios uelut inter gemmas Carbunculus enituit, atq; omni posteritati admirabilis tot diuinis ornamentis ingenij, doctrinae, pietatis, sapientiae, uirtutis, quarum rerum initia ad Imperium attulit è Schola, & ab institutione in his ipsis artibus, in quibus nunc occupatur aetas nostra. Quid contra deformius Collega Valentiano qui sceleribus & turpitudine uitae ita cumulat penas publicas, ut Imperium occidentis penitus euertat? Illius ergo in omni genere honestorum studiorum exemplum imitemur, amemus & magnificiamus doctrinas omni uitae necessarias, quae sapientiae neruos suppeditant, & in his multum nos atq; assidue exerceamus. Quanquam enim commonefactio prodest omnibus, tamen propter praesens exemplum ad nos praecipue pertinet, quos Deus ad publicam gubernationem uocauit. Alterum excitemur & exemplo turpitudinis ac poenarum, quae secute sunt moueamur, ut caueamus, ne à nostris sceleribus existat occasio uel causa cladum & calamitatum publicarum, quibus Imperia & polittiae uel perturbantur uel deleantur.

Consideremus & testimonia praesentiae Dei in Imperijs, munientis ac protegentis pios principes & punientis seditiosos, contumaces, sceleratos qui conteruntur cum uiolant Magistratum, propugnatur Arcadius à satellitibus sanctis Angelis, praesidijs humanis destitutus. Seditiosi contra con-

ijciuntur



ijciuntur in poenas & exitus habent tragicos, ita non dubitemus Magistratus pios Deo curæ esse, ac sepe mirabiliter custodiri regi; diuinitus cum pericula nec intelligunt ipsi, nec prospiciunt, nec si nossent, cauere illa aut auertere possent. Propterea obedientiam deberi ac reuerentiam legitimo Magistratui cogitemus, quam qui non præstant incidunt in pænas absq; omni dubitatione uel potius iam hærent irretiti tricis uinculorum coelestium, è quibus exoluere sese atq; expedire nequeunt. His & similibus exemplis commonefacti uenerari & colere magistratus uestros discite & ad eam uirtutem in Scholis pia doctrina & exercitijs reuerentiæ uos assuefacite. Nunc uobis significo uno consensu Præceptorum omnium Rectorum Academiæ constitutum esse. Generosum & Nobilem Dominum Sigismundum Liberum Baronem à Polheim.

Hunc uobis sisto & commendo, et Dei ac præceptorum loco, ut illi optemperetis præcipio. Tibi uero Magistratum et insignia, sceptrum, epomiden, librum, sigillum & clauas trado. Et oro Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut gubernationem tuam uelit esse tranquillam ac salutarem huic Scholæ & cæteris scholis atq; Ecclesijs, quæ ex hac idoneis Doctoribus atq; gubernatoribus instruuntur. Et prohibeat, ne qua calamitas florentem cursum studiorum interrumpat, neue hoc agmen discipulorum turbet aut dissipet per  
 &

Et propter Filium Dominum nostrum Iesum  
Christum. DIXI.

## ADHORTATIO PHILIPPI MELANTHONIS DE LEGENDIS Tragedijs & comedijs.

SÆpe de hominum moribus & de disciplina cogitans, Græcorum consilium ualde admiror, qui initio Tragedias populo proposuerunt, nequaquam ut uulgo existimatur, tantum oblectationis causa, sed multo magis, ut rudes ac feros animos consideratione atrocium exemplorum & casuum flecterent ad moderationem, & frenandas cupiditates, quod in illis Regum & urbium euentibus imbecillitatem naturæ hominum, fortunæ inconstantiam, & exitus placidos iuste factorum, e contra uero tristissimas scelerum pœnas ostendebant. Qua in re & hoc singularis prudentiæ fuit eligere argumenta non uulgarium casuum, sed insignium & atrocium, quorum commemoratione cohorrescerent tota theatra. Non enim mouetur populus leuium aut mediocrium miseriarum cogitatione, sed terribilis species obijcienda est oculis, quæ penetret in animos & diu hereat, & moueat illa ipsa commiseratione, ut de causis humanarum calamitatum cogitent, & singuli se ad illas imagines conferant. Nec fuit exigua facultas & ars, grandiloquentia sermonis & gestuum

stuum uarietate magnitudinem rerum utcunq;  
exprimere.

Ego ipse sepe toto corpore cohorresco legens tantum, non etiam intuens ut in theatro agentes, Sophoclis aut Euripidis Tragœdias. Nec uero quisquam tam ferreus est, qui sine animi consternatione legat fratrum Thebanorum certamen, & matris Iocastæ exitum, quæ diremtura prælium cum tardius uenisset, ex alterius filij uulnere ensẽ extrahit, & hoc ipso ense qui filij cruore maderabat, miserrima mater sese transfigit. Postea se mediam inter filios abiicit, brachia spargens, quasi in utriusq; complexu moritura. Quid hac imagine lugubrius cogitari potest? Hæc igitur agebantur, spectabantur, legebantur, audiebantur à sapientibus & à populo, non ut erotica, sed ut doctrina de gubernatione uitæ. Euentus isti commones faciebant homines de causis humanarum calamitatum, quas accersi & cumulari prauis cupiditatibus, in his exemplis cernebant.

Et sicut Pindarus inquit, Ixionem implicitum rotæ apud inferos clamitare hanc uocem, quam Virgilius reddidit,

Discite iusticiam moniti & non spernere diuos:

Ita Tragœdiarum omnium hoc præcipuum est argumentum, Hanc sententiam uolunt omnium animis infigere, esse aliquam mentem æternam, quæ semper atrociora scelera insignibus exemplis  
punit,

punit, moderatis uero & iustis, plerunq; dat tranquilliorē cursum. Et quanquam hos etiam interdum fortuiti casus opprimunt, sunt enim multæ arcanae causæ, tamen illa manifesta regula non propterea aboletur, uidelicet semper erynnias et seuas calamitates comites esse atrocium delictorum. Hæc sententia multos ad moderationem flectebat, quæ nos quidem magis mouere debet, qui scimus eam et Ecclesie clara Dei uoce sæpe traditam esse.

Quare Tragediarum lectionem ualde utilem adolescentibus esse non dubium est, cum ad commonefaciendos animos de multis uitæ officijs, & de frenandis immoderatis cupiditatibus, tum uero etiam ad eloquentiam. Summus est enim splendor uerborum & gestus maximè incurrentes in oculos ad omnes animorum motus cicndos accommodati. Sunt autem hæc duo lumina orationis præcipua. Et quanquam multæ causæ recitari possunt, quæ studiosos ad Tragediarum lectionem inuitant, tamen uel hæc una persuadere sanioribus debet, quia omnes omnibus ætatibus degustati hæc lectione, quò sæpius easdem Tragedias relegunt, eò magis consilia operum, & seriem ac formam expositionis mirantur, & sese ad cogitationem de uitæ humanæ miserijs, remedijs, & gubernatione exuscitant. Appetuntur ergo auidius quo magis introspectæ sunt. Ac ut in excellenti pictura, non potest ars subito contuitu iudicari, ita in his operibus sapientissime scriptis non statim perspici

omnia membra possunt. Quare usitatum fuit saepe in theatra easdem fabulas referre. Nec nihil causae est cur in Plautino quodam Prologo dictum sit:

Qui utuntur uino uetere sapientes puto.  
 Et qui libenter ueteres spectant fabulas,  
 Antiqua & opera & uerba cum uobis placent,  
 Aequum placere est ante ueteres fabulas,  
 Nam nunc nouae quae prodeunt Comœdiæ,  
 Multo sunt nequiores quam numi noui.

Dixi prolixius quo consilio excogitatae sint Tragediæ, & quam sint utiles ad mores regendos & ad eloquentiam, quia & morum & eloquentiæ exempla sunt illustriora in Tragedijs, quam in Comœdijs. Etsi autem Comœdiæ iocis & oblectationis causa magis fictæ sunt, tamen consilium pene est simile. Equidem uetus Comœdia propior est Tragediæ. Apud Aristophanem non sunt meretricum, amatorum, lenonum colloquia, sed exempla ciuium, quorum alij Respub. bene rexerunt, alij turbarunt ac euerterunt. Et dissimilitudo uoluntatum, consiliorum & euentuum proponitur ad commonefaciendos spectatores aut lectores, quales singuli gubernatores sint, qui probandi, qui imitandi, qui fugiendi.

Etsi autem hominum uita nec solis præsidijs humanis defendi, nec regi sola diligentia humana potest, & Respub. multas habent fatales mutationes, tamen plerunq; est utilius moderari impetus

& ui-

Et uidere metas officij, nec extra has euagari, nec  
 adpetere maiora. Hæc diligentia aliqua ex parte  
 in potestate nostra est, et cum accedit inuocatio  
 Dei ualde utilis est. Tenebat Imperij Romani  
 partem Antonius florentissimam, late dominaba-  
 tur, habebat opes maiores quam quisquam regum  
 toto orbe terrarum nunc habet. His frui poterat  
 securus, non impediante Octauio. Sed dum extra  
 metas sui muneris prouehitur, ac solus uniuersum  
 imperium concupiscit, bellum non necessarium  
 Octauio infert, in quo uictus, cum supplex ab ira-  
 to uictore uitam impetrare non posset, ipse sibi  
 mortem consciscit. Hic fuit exitus belli non ne-  
 cessaria causa moti. Ita exagitantur apud Ari-  
 stophanem multi ambitiosi, inquieti, turbulenti,  
 πολυπράγμονες, leues, uertumni, inflectentes se  
 subinde ad aliam partem, aut rixatores, morosi,  
 pertinaces, εὐλομενῆς, ueteratores, sycophantæ,  
 architecti prauorum consiliorum arte aliorum  
 animos preparantes et occupantes. Tales sunt  
 Cleon, Paches, Alcibiades, Stenelaidas, Antipho,  
 Hyperbolus, et multi alij. E contra iusti, moderati,  
 fugitantes non necessaria bella, constantes in sen-  
 tentijs honestis, condonantes multas iniurias pu-  
 blicæ tranquillitati Cimon, Nicias, Diodotus, et  
 pauci alij.

Cum autem semper in gubernatione ciuitatum  
 similes sint alij bonorum alij malorum quos Co-  
 mœdiæ describunt, utile est imagines utrorumq;

virtutes, uicia, euentus, euentuum causas diligenter considerare, ut commune facti eligamus iusta & moderata consilia, nec accendi nos ambitione, iracundia, cupiditate uindictæ, auaritia sinamus, ut extra metas officij proueamur, aut moueamus res iniustas aut non necessarias.

Nec tantum res considerentur, sed etiam orationis lumina, quæ sunt insignia in harum imaginum descriptione. Ut piscatores, inquit Aristophanes, non capiunt anguillas, nisi prius agitato et turbato stagno, ita Cleo quoties inconcessam aliquam utilitatem aucupatur, prius turbat ciuitatem. Nam iniusta obtineri non possunt, donec legum & iudiciorum autoritate audacia frenatur. Hic circumspice animo, quoties, quam multos hæc ætas uiderit, qui utilitatis suæ causa Rempub. mouere, aut abolere iudicia conati sunt. Hæc collatio adferet lucem Comædijs, & ostendet quo consilio scriptæ sint.

Hunc eundem Cleonem pingit in concione ouium, balenæ specie præsidem, & dictantem sententiam perterritis ouibus ituris in suffragium. Hæc imago mihi incurrit in oculos, quoties cogito de sinodis, in quibus, doctorum & piorum uox terrore potentum oppressa est.

Hunc ipsum Cleonem alibi dicit alterum pedem in castris, alterum in curia habere. Ita semper multi sunt & fuerunt prophani, indocti, ὀλοῦ-  
πρόγυμνες, qui alterum pedem in aulis, alterum

in Ecclesiastica concione habent, ac pariter leges ferunt de Imperijs & de doctrina. Harum figurarum in Comœdijs animaduersio, simul & de uita hominum multa monet, & conducit ad eloquentiam. Possumus enim & hæc ipsa exempla ad præsentia negocia apte transferre, & his lectis multa ipsi excogitare similia.

Fuit autem initio non ingrata Athenis hæc libertas nominatim taxandi ciues, ac uirtus ducebatur, qui monebat potentes, ut populi iudicia uerentur, deinde metu potentum ingeniosi homines præsertim in ciuitate ociosa, in qua amisso imperio studium uirtutis languidius erat, & plus uoluptatum, & populus tranquillam seruitutem magis amabat, quam imperij gloriam, quæ sine magnis laborib, certaminib, & periculis retineri non potest, transtulerunt Comœdias ad priuatorum, imo ad iuuenum meretricum & seruorum ludos, pericula, & inexpectatos casus, qui cum exitus sunt leti, magna cum uoluptate audiuntur. Et tamen consilium in describendis personis idem fuit in hac noua Comœdia, quod in ueteri. Sed teste, fictis nominibus & priuatis personis, potentiores significabantur, & miscebantur consilia de omnibus uitæ partibus, ac tantum uenustatis & leporis in Menandri fabulis fuit, qui autor est præcipuus nouæ Comœdiæ, ut dixerint illo sale cõspersas esse, ex quo Venus quam fingunt mari ortam, nata dicitur, Cum autem eadem etate multi Athenis in



eodem genere scribendi elaborarint, & egregia monumenta plurima reliquerint magnopere dolendum est, seu hominum barbarie, seu propter excidia urbium omnia funditus interiisse. Nam & ex latinis utcumq; aestimari potest, quantum nenustatis in Græcis fuerit, & fragmenta sunt elegantissima, Deniq; consentaneum est, homines Atticos ingenijs & eruditione excellentes, lepore inter se certantes, cum & honos esset huic studio, & alij ab alijs tum excitarentur, tum adiuuantur, non in sulfos iocos, quales nunc sunt scurrarum aulicorum in theatra attulisse, sed sapienter excogitata argumenta, et uarietate doctrinæ, et orationis suauitate dulcissime ornata.

Postquam uero monumenta horum interierunt, reliquijs fruamur, Plauti & Terentij fabulis, & has sæpius legamus, cum, ut sermonem latinum inde hauriamus, tum uero ut morum & uoluntatum dissimilitudines in personis consideremus, A iunt Antiphanem Comicum Alexandro Comœdiam recitantem, cum animaduerneret Regi, in quo urbanitas & elegantia summa erat, ineptias aliquas displicere, dixisse, ijs demum placere Comœdias, qui & ipsi commessatores essent, & à mulierculis plagas accipere, & eis dare plagas consueuissent.

Natura quidem ita fit, ut maxime eorum seu ludorum seu studiorum commemoratione moueamur, quæ exercuimus. Sed in fabulis non tantum  
ioci

ioci sunt amatorij. Alia multa sunt plena sapientie. Viderat Alexander in aula multos Demecas, Phormiones, Gnathones. Viderat in exercitu multos Thrasones. Vſitatum eſt autem nobis omnibus à talibus interdum contumelia adfici. Horum imagines in Plauto & Terentio propositas diligenter intueatur iuuentus, ut agnoſcere, odiſſe, & fugere moroſos, rixatores, ſycophantas, ardeliones, arrogantes aſſentatores, quorum plenæ ſunt omnes ciuitates, diſcat. Nec Terentius ipſe cum Demecam & Mitionem conferret, ciues obſcuros & ignobiles mente intuebatur. Sed Catonis moroſitatem irridebat, & Lelij ſeu Scipionis grauitatem lenitate & ſuauitate temperatam laudabat. Ita erit dulcior lectio Comædiarum cum uitam hominum contemplabimur, & quorum pingantur mores, animaduertemus.

Interim & hoc proderit iuuenibus, uidere, ubi à factis uulgaribus oratio ad Theſes & grauiſſimarum rerum doctrinam transferatur. Queritur ſeruus apud Plautum, non reddi mutuum. Inde quam Tragicam querelam extruit, de legum & bonorum morum cotemptu.

Mores, leges, perduxerunt iam in poteſtatem ſuam

Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis.

Vbi malos adfigi nimio fuerat æquius.

De re magna concionatur ſeruus, & tamen iocus eſt admixtus comicus, de figendis ad parie-

tem hominibus improbis. Hæc commemorauit, ut adolēscētes commōnesacti de consilijs, quare primum scriptæ sint Tragicæ & Comædiæ, & de earum utilitate libentius eas & sæpius legant. Promitto etiam eis hoc euenturum, ut quo legent sæpius, eo magis admiraturos & amaturos, & lecturos eas audius. Bene uale. Cal. Ianuarij. 1545.

PRAEFATIO PHILIPPI  
MELANTHONIS QUAM  
præscripsit cuidam Libello de arte Poëtica.

**I**N tanta confusione, non opinionum tantum, sed etiam euentuum & fortunæ in genere humano semper quæsiuerunt et quærunt multi, sit ne Ecclesia Dei aliqua distincta à cæteris gentibus, & que et ubi sit, præsertim cum maxima pars generis humani cum florerent ordine quatuor Monarchiæ, ignara fuerit eius doctrinæ quæ propria est Ecclesiæ, & nunc Mahometica barbaries complectatur magnam partem orbis terrarum, & præcipuam potentiam in genere humano teneat. Quomodo autem consentaneum est pauculos & miseros errores & uelut sediciosos, Deo caros esse, illos uero florentes sapientia, uirtute, imperijs à Deo abiectos esse, cum quidem fateri neesse sit, Imperia diuinitus constitui.

Deinde in eo ipso coetu qui nomen Ecclesiæ sibi tribuit,

tribuit, quam horrenda sunt exempla licentiæ in moribus, & in fingendis monstrosis deliramentis. Quales fuerunt Manichei furores qui latè uagati sunt in Oriente & in Aphrica, duos esse coæternos creatores, inter sese præliantes, alterum causam boni, alterum causam mali. Nihil esse libertatem uoluntatis humanæ, Non posse conuerti ad bonum homines Χοινοὺς, ortos à mala causa, Nihil esse diligentiam regendi mores, nullam esse electionem, sed quo cæci impetus unumquemq; impellerent, eò præcipitem necessario ruere. Hoc fascinati errore, nullam adhibebant diligentiam regendi mores, quia nihil profutura uidebatur, sed laxabant frenos cupiditatibus alij alijs. Ipse Martion qui in ea colluue præcipua seditionum tuba fuerat, à diacono uxorem abduxit, quæ post annos aliquot reuersa narrauit historiam illius factionis plenam spurcissimorum exemplorum. Et singulæ ætates uident multa tristia spectacula, quæ ita turbant mentes, uix ut eluctari ex his dubitationibus possint, An & quæ sit Ecclesia Dei. Sed propter hanc ipsam lustram animi quotidie in Symbolo iubemur adfirmare esse Dei Ecclesiam, quod cum recitamus, simul cogitemus patefactiones diuinas, & testimonia quæ nos docent, & esse & mansuram esse Dei Ecclesiam, & sciamus mandatum Dei esse ut nos ei adiungamus, & ciues eius fiamus. Sicut in Psalmo scriptum est. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Sed excusant

se multi dubitatione. Cum tot diuersa agmina sibi titulum Ecclesiæ tribuant, ad quam iubemur accedere? Tot seculorum consensus Pontificiam turbam nominauit Ecclesiam. Nunc alij alios cœtus monstrant. Illa uelut lacerata nauis & fathis cens relinquitur, alij in alias Scaphas defiliunt, Vos quam nobis firmam nauim ostenditis?

Non difficilis responsio est, si normam iudicij sequaris, quam Deus proposuit. Sunt signa ueræ Ecclesiæ non fallentia, scilicet scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Hæc qui sine corruptelis amplectuntur, hi sunt uera Dei Ecclesia, iuxta hæc dicta: Oues meæ uocem meam audiunt. Fundamentum aliud poni non potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Nec dubium est hostes Ecclesiæ Dei esse uniuersalem illam generis humani multitudinem, quæ Prophetica & Apostolica scripta & Symbola palam abiicit, uidelicet Ethnicos, Mahometricos, feces Iudaicas. Et his annumerandi sunt, qui manifesta Idola defendunt, Videlicet Sacrificuli & Monachi & horum Satellites, qui Idola Papæ tuentur, Inuocationes hominum mortuorum, adorationem panis in circumgestatione, uenales Missas, histrionicam Monachorum, dubitationem in inuocatione, Fiduciam propriorum meritorum, uagas libidines. Hæc Ethnica exempla cum incurrant in oculos, manifestè

festè ostendunt eorum defensores non esse Ecclesiam Dei.

Et si enim iactitant se retinere scripta Prophetica & Apostolica, tamen aut palam contraria decreta illis anteferunt, aut affingunt falsas interpretationes & prorsus ut dicitur, ὡς ὁ χαλκὸς ἀγυρίῳ populo exhibent. Idem faciunt & qui nunc Anabaptistæ dicuntur. Loquimur enim de huius temporis impostoribus, Excerptunt hi quoque mutila dicta ex scriptis Apostolicis. Non uindicantes uosmet ipsi. Item, Et habebant omnia communia. Hæc omissa collatione aliorum dictorum non rectè intellecta detorquent ad euersionem iudiciorum & conturbationem Dominiorum, denique ad infinitas confusiones, sicut olim Carpocrates & alij quidam lacerarunt Ecclesiam similibus furoribus. Nec difficile est iudicare modestis hominibus & recte institutis in Ecclesia, qui discedant à Scriptis Propheticis & Apostolicis & à Symbolis.

Hanc normam intuentes sciamus nostros cœtus esse ueram DEI Ecclesiam & leti Deo gratias agamus, quod & seruat in genere humano suas reliquias, & nos ad huius sui agminis societatem uocauit, & in his castris constanter maneamus. At obijciunt nobis multi inter nos quoque dissidia esse. His respondeo congruere omnnes eruditos & dextrè iudicantes de Fundamento. Sed ut in magno exercitu nec Ducum,

nec

nec militum uirtus similis est, etiamsi uoluntates congruunt, ita in multitudine piorum alij magis, alij minus eruditi sunt, alij aurum, alij stipulas supra fundamentum extruunt. Sed de fundamento consensus sit. Et ciues sunt Ecclesiæ, qui quanquam sunt infirmi, tamen sunt dociles, ut de puerili agmine dicit Filius Dei, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Non sunt ciues ubicunq; sunt, qui aut monstrosas opiniones pertinaciter retinent, aut rectè tradita præstigijs Sophismatum & Sycophanticè corrumpunt. Vt autem regantur & emendentur Iudicia, uult Deus studia doctrinæ esse, uult legi scripta Prophetica & Apostolica, uult dicta omnia prudenter conferri, ut Paulus inquit, Sermo Dei habitet in uobis opulenter, cum omni sapientia. Non stolidè accipiuntur dicta, ut accipiebant ἀνθρώπων ὁμοῦ ἑτοῦ, aut ut Anabaptistæ sine distinctione damnant uindictam, quam magistratus exercet mandato diuino, et priuatam, aut ut Pontificij ex dicto Petri, Ecce duo gladij hic, extruunt dogma, Pontifices tenere potestatem regiam. Quid insulsius est, quàm fingere Sacramentum esse panem qui circumgestatur, cum Sacramenta sint actiones instituta ut fiant certo modo. Sed exempla insulsarum interpretationum nimis multa passim obuia sunt, Nec dubium est multos tetros errores ab ijs ortos esse, qui cum essent indocti continuas disputationes Pauli & sermonem eius non intellexerunt, ideoq; mutila mem-  
bra

bra excerpserunt & ijs induerunt sententias natas in ipsis, non traditas in sermone Prophetico & Apostolico. Postea confirmati sunt errores consensu multitudinis, qua deinceps stipati indocti et mali exercuerunt & exercent magnam tyrannidem contra pios, ut dictum est in Euripide  $\sigma\upsilon\upsilon\ \delta\chi\lambda\omega\ \alpha\mu\alpha\theta\acute{\iota}\alpha,\ \mu\acute{\epsilon}\gamma\iota\sigma\omicron\upsilon\ \kappa\alpha\kappa\omicron\upsilon$ . Quae litera est in Prophetiis & Apostolicis scriptis, quae inuocationi mortuorum hominum patrocinetur: Et tamen praestigiatores quidam inde sumunt testimonia contra conscientiam, & muniti uulgi aut Principum satellitio audacissime propugnant ea, quae illis grata sunt. Hae fiunt nunc cum adhuc mediocria sunt literarum studia, & multi sunt recte eruditi qui refutare errores, & impudentiam ostendere alijs possunt, qui non sunt  $\alpha\theta\epsilon\omicron\iota$ . Quid fiet aliquanto post, cum inscitia barbaricam feritatem augebit? Hae cogitare sapientes & bonos Principes decet, ut maiore cura literis & disciplinae opem ferant. Cum intereunt literae, simul efferari animos uidemus ut dicitur,  $\alpha\mu\alpha\theta\acute{\iota}\alpha\ \theta\rho\acute{\alpha}\sigma\omicron\varsigma\ \alpha\pi\omicron\upsilon\gamma\acute{\alpha}\zeta\epsilon\tau\alpha$ . Contra qui procedunt in doctrinis magis uident, quanta moles sit rerum quae discende sunt, & quantum onus sit perspicua explicatio difficultium controuersiarum. Crescunt igitur simul & discendi cura, & modestia, & inuocatio Dei.

Recens Stenkefeldianus satelles edidit librum contra me & Paulum Eberum, in quo ualde uituperat



perat studia doctrinarum, ut hoc persuadeat, Ecclesiam non colligi ministerio lectæ, seu auditæ & cogitatæ doctrinæ, sed prius rapi mentes Enthusiasticis, postea lectionem seu cogitationem scriptæ doctrinæ accedere, quæ alijs ostendat illos adflatus. Ita inuertitur ordo, quem Paulus tradidit, Quomodo credent, nisi audiant. Coaceruat autem ille Stenckefeldianus longam Rhapsodiam testimoniorum ex Scriptoribus ueteribus & recentibus quæ dicunt à Deo mentes illustrari, Id & fatemur, & semper nos professos esse, & scripta nostra ostendunt, & ostendimus in quotidiana Inuocatione. Agimus gratias eterno patri, quod misit Filium qui proferret Euangelium ex arcano consilio diuinitatis. Sed is uult notam esse hanc uocem doctrinæ, per hanc est efficax in cordibus, sicut planissimè dicitur, de externo ministerio: Quomodo audient, nisi prædicatum fuerit, Et de scripta doctrina Esaias inquit, Ad Legem & ad Testimonium. Delectant fanatici consolationem necessariam, cum in dubitationibus & doloribus abducunt nos à scriptis promissionibus. Nec docent in eis agnoscendam esse uoluntatem Dei, & earum cogitatione fidem erigendam. Sed de hac controuersia rursus alibi dicemus.

Nunc obiter hæc intexui, ut confirmem hæc legentes contra doctrinæ uituperatores. Oro autem pios Principes, ut & ipsi sua autoritate pestes illas Ecclesiæ, quæ doctrinam & ministerium in

tum in contemptum adducunt, reprimant, & propagationem doctrinae, & ministerij publici conseruationem adiuuent, sicut eis praecipuum est cum dicitur: Et nunc reges intelligite. Osculamini Filium. Aperite portas Principes uestras. Item reges erunt nutritores tui. Te quidem Illustrissime Dux cum fontes doctrinae Ecclesiae ipse legas, & doctrinarum initia feliciter didiceris, & intelligas necessariam esse Ecclesiae linguarum & honestarum artium cognitionem spero non defuturum esse discipulis, & Deum oro, ut te seruet & gubernet. Oro etiam meos commilitones, ut concordiam ament, quae & Deo grata est, & omnibus nobis necessaria, & principum beneficentiam inuitat. Et uidemus quam multi hostes undiq; Ecclesiam oppugnent. Aduersus hos coniunctione nobis opus est. Bessarion cum Principes ad concordiam hortatur, ut reprimere Turcos possint, narrat hunc Apologum. Bellum erat inquit inter lupos & canes, Cumq; nunciatum esset lupis, uenire ingentem exercitum canum ad laceros lupos, missus est speculator unus ex uetulis lupis. Hic diligenter considerato hostili agmine redit, & renunciat, esse quidem multitudinem canum longe maiorem, quam sit luporum. Sed bene sperandum esse, quia uiderit multas esse dissimilitudines colorum in canibus. Hac uoce confirmati lupi non cedebant, sed dissimiles facile pelli posse sperabant.

Eodem

Eodem modo nunc de nobis triumphos agunt  
 Staphilus, Canisius & alij in factione Papistica.  
 Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum  
 Christum, ut nos gubernet, & faciat ut omnes in  
 nostris Ecclesijs unum simus in ipso. Sit autem &  
 in nobis studium tuendæ coniunctionis. Hæc ad  
 te scripsi Illustrissime Dux, ut publica studia tibi  
 commendarem. Bene uale Illustrissime Princeps.  
 VVitebergæ Cal. Septemb. Anno 1558.

Cel: T.

Seruus.

Philip. Melanthon.



specifische belast met d'giff ende t'ndere t'ndere hee dat de boe

